P. RAMI
IN CICERONIS
ORATIONES ET SCRIPTA NONNULLA, OMNES

quæ hactenus haberi potuerunt prælectiones: quarum catalogum versa pagina exhibebit.


Recéns in unum volumen ordine congestæ, & accuraté emendatæ.

ADJECTO INDICE COPIOSISS.









FRANCOFURTI
Apud hæredes Andr. Wecheli,
M. D. LXXXII.

CATALOGUS ORATIONUM ET CÆTERORUM Ciceronis librorum, *Rami Commentariis illustratorum.*



IOAN. OBSOPOEUS CANDIDO LECTORI S.

Excusis *ante annū octo Ciceronis orationibus Consularibus absq; notis & explicationibus, pollicitus fuerat Andreas Wechelus se Prælectiones P. Rami cúm in dictas orationes, tum in alia nonnulla Ciceronis scripta, propediem editurum. Præterquam enim quód diuturnam possessionem, quorundam præpropera festinatione interversam, jure sibi veluti lege vindiciarum recuperare videbatur; plurimorum & præceptorū vulgata exemplaria pravitatis incusantium hortatu, & discipulorum injuriam sibi factam conquerentium precibus, ad emēdatam Prælectionum harum editionem impellebatur. Cujus in promissi fide exsolvenda quám sedulò laborarit, domesticus testis esse possum, utpote cui earum digestionem, relectionem & emendationem injunxerat. Verúm cúm jam prelo committēdæ essent, subitó luctuosa*

calamitas res nostras turbavit. Wechelo enim Cal. IXbr. pié mortē obeunte, ac generis eius, Claudio Marnæo, & Ioanne Aubrio, suarum rerum occupatione distentis & retardatis, prelorum cursus pené semestre inhibitus fuit. Hisce veró hæreditatem suam adeuntibus hoc maximé cordi fuit, ut typographiam non modó restaurarent, sed etiam in pristino flore, laude, ac celebritate, qua longé lateq; innotuerat, conservarent. Ac in primis quidem hoc sibi proposuerunt, ut & quæ socer ipsorum inchoaverat, expedirent, & quæ publicé promiserat, quorumq; editionem suscipere constituerat, accurata diligentia in lucem producerēt. Inter quæ cúm hasce Prælectiones comperissent, voto ac promisso suo jamdiu publicato Wechelum ante omnia liberandum judicarunt. Utq; Ramo post restitutam sibi profitendi libertatem, octo Consularium orationum, Ciceroni ipsi potissimúm probatarum, explicatio, ad philosophiæ & eloquentiæ usus conjunctionem ostendendam, primus labor fuit: ita operæprecium se facturos confisi sunt, si primó amoris sui erga Socraticæ eloquentiæ & philosophiæ studiosos declarādi caussa has Prælectiones publicarent, boníque ominis loco præmitterent.

Quód

Quòd si hoc studium probatum iri intellexerint, in posterum quoque industriæ & operæ sedulitatem sua in officina desiderari non patientur.

Porró quicquid Rami commentariorum in Ciceroniana scripta haberi potuit, huc congestum fuit: ita ut ne quidem Oratio pro M. Marcello, Heidelbergæ à Ramo prælecta, & postmodum Rodingi studio typis edita, fuerit prætermissa. An enim ulla spes de cæteris Rami commentariis recuperandis éq; faucibus avarorũ aut potiús invidorum eripiendis supersit, valde dubitatur. In hac autem editione, præter accessionem factam varietatemq; lectionum in margine notatam, præcipué opera data fuit, ut typographica vitia undecunq; diversorum exemplarium collatione & citatorum locorum inspectione adhibita, diligenter tollerẽtur. Id an præstitum sit, penes harum rerum peritos æstimatores judicium esto. Hoc saltem polliceri possum: multis partibus postrema dictarum Prælectionum editione hanc nostram emendatiorem esse. Nam ut taceam illic perperam alia pro aliis posita (exẽpli gratia, tempora *pro* corpora, honorem *pro* bonorum, sedibus *pro* seditione, Ebullia *pro* Æbutia,

ut moderatus *pro* vir moderatus, *μετὰ pro* κτ̀, ὕδ{ *pro* ὁ δεῖ, *& ejuſmodi ſexcenta) integra ſæpius vocabula, imó, quod omnium fœdiſsimum eſt, integros aliquoties verſus omiſſos, nonnuſquam etiam repetitos offendere licet. Præterea eo hîc ordine & forma omnia digeſta ſunt, ut nec ſua mole nec precii magnitudine emtores deterrere queant.*


Vale, & his feliciter fruere.

ornatissimo viro Dno Be
rardo Buss.; I.U. Canc
ario am. & commensa
meo sua. simo dedi in
memoriam Arnoldus Goltzen

Ex Libris
Jacobi de Magistris
Anno 1664.



M. T. CICERONIS PRO C. RABIRIO PERDVELLIONIS REO ORATIO AD QUIRITES, P. RAMI prælectionibus illustrata.



AD LECTOREM.


DIFFICILE mihi fuit, Lector, scriptis rationibus opinionem multis jam seculis inveteratam ex animis hominum evellere, Dialecticam in oratoribus non perinde ut Grammaticam perpetuam inesse. Jam veró ex ampliore atque altiore suggesto, Dei singulari gratia nobis instituto, dum quotidie viva voce veluti concionantes, Dialecticæ verum usum in veris & naturalibus exemplis, in vera exemplorũ imitatione & exercitatione, totoq; artis ejus fructu docemus, mirabilem & audiendi & discendi cupiditatem hominibus attulimus. Ergo cúm primum specimen in hac pro Rabirio perduellionis reo Ciceronis oratione dedissem, & singulas partes ut Latinis dictionibus, ut Latina dictionum constructione;

ſic rerum ſententiarumq; inventione & diſpoſitione contextas & cõtinuatas demonſtraſſem, populum admonui, cúm in oratoribus dialecticam non minús quám grammaticam perpetuam conſpiceret, tandem aliquando dialecticam in oratoribus eſſe crederet, veteremq; illum vanæ opinionis errorem deponeret: nec exiſtimaret inventionem hanc & diſpoſitionem dialecticæ non eſſe, ad rhetoras duntaxat attinere, tãquam alió logica Ariſtótelici organi dogmata ſpectarent. Nec enim alios in Ariſtotelis Logica argumentorum locos, vel ſyllogiſmorum modos exponi, quám in inventione Ciceronis & collocatione declaranda ſequeremur, quin connexorũ & disjunctorum ſyllogiſmorũ & univerſam methódi artem hîc oſtenderemus, quam Ariſtotelis organum non attigiſſet. Hæc, inquam, populum docui & admonui. Ac jam ſi quis dixerit multa in Dialecticis Ariſtotelis contineri, quorũ nullus ſit uſus in oratoribus, nil repugnabo: addam etiam eorundem nullum omnino humanum uſum inveniri: nec idcirco tamen oratores, non dialecticos eſſe fatebor, ſed Ariſtotelica illa Dialecticæ nil eſſe profitebor, quia nec ex vero uſu depromta ſint, nec ad verũ uſum referri poſſint: Ariſtotelemq; ſemper affirmabo abundantiſſimo ingenio hominem fuiſſe, qui cúm multa á Platone Dialectica theoremata didicerit de tota & inventione & methodo, iis tamen non contentus, Dialectici auri precioſiſſimam quandam fodinam per ſe quæſierit, multa effoderit & cumularit: ſed aurum illud argento, ære, plumbo, lapi-

lapidibus,ſpinis, terra deniq; inutili obrutum reliquerit, in fornacem non conjecerit, nec igne veri & naturalis uſus approbaverit, nec omnino diſtinxerit,ut in Ariſtotelicis animadverſionibus doceo. Quæ monita qui noſtrum in hac arte ſtudium reprehendunt, nunquam audierunt, ſed (quaſi Sirenum cantus formidarent) obturatis auribus prętericrunt. Tales enim ſunt reprehenſiones adverſus nos editæ,ut cæcos de pictura,aut ſurdos de muſica credas contendere, dum clamant alatas potiús in aëre balænas, quám dialecticam in oratoribus ſe viſuros eſſe. Verúm ſpero tempus illud brevi futurum, ut hi cæci ſurdiq; videant & audiant,valdeque mirentur principes & rectores hominum, non homines, id eſt oratores, non dialecticos, non rationales animantes & logicos ſibi viſós eſſe. Quamobrem, Lector, in oratoribus ut grammaticam, ſic dialecticam perpetuam eſſe, hæc oratio primúm, deinde Conſulares Ciceronis reliquæ, ut ſpero, perſuadebunt.

Vale.

ARGVMENTVM ORATIONIS PRO C. RABIRIO.



UCIUS *Apulejus Saturninus, de quo Livius lib. 69, & Plinius in ejus vita, & Appianus 1. Bellor. civil. tertium Trib. plebis factus, ut Glauciam Satellitem suum Prætorem, ut Plinius ait: vel potius Consulem, ut Livius indicat, faceret, Memmium Consularem candidatum interemit. Consules igitur ex S.C. armati Saturninum aggrediuntur, & in Capitolium cum Glaucia, Saufejo, L. Æquitio, & Labieno fugientem persequuntur: unde cùm fide publica descendisset in curiam, ut civili more caussa tractaretur, ipse lapidibus obrutus est, Glauciæ fracta cervix est, Labienus cæsus, caput Saturnini Rabirius in ludibrium per convivia circumtulit. Anno autem quadragesimo post illam cædem, ut Cicero in Pisonem author est; Cæsar, ut ait Suetonius, & cõstat ex hac oratione, subornavit T. Labienum, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret, quo præcipuo adjutore aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum tribunatum Senatus coërcuerat: at sorte judex in reum ductus tam cupidè condemnavit, ut ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuerit. Damnatus Rabirius provocat ad populum: oratores duo summi defenderunt: Hortensius prior defendit, á Rabirio Saturninum non esse occisum, ut constat ex hac oratione: Cicero qualitatem tam magnificè disputavit, ut & prudentis Consulis, & eloquentis Oratoris laudem ex hac oratione sibi ipse sumserit.* Ego in C. Rabirio perduellionis reo quadraginta annis ante me Consulem, interpositam Senatus authoritatem sustinui contra invidos, atque defendi, *ait de Consulatus sui laudibus in Pisonem.* Jus omne retinendæ majestatis Rabirii caussa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus, *ait in Oratore. Prudentia autem hæc ex inventione & dispositione Dialectica, sicut eloquentia ex elocutione rhetorica in partibus singulis, & ex summa tandem partium subductione percipietur.*

M. T.

M. T. CICERONIS PRO C. RABIRIO, PERDVELLIONIS REO, AD QUIRITES Oratio.

ETSI, *Quirites, non est meæ consuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de caussa quemq; defendam: propterea quòd cū omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi caussam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarumq; omnium C. Rabirij, proponenda ratio videtur esse officij mei: propterea quòd quæ justissima mihi caussa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri. nam me cùm amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata: tum verò, ut id studiosissimè facerem, salus Reipublicæ, consulare officium, Consulatus deniq; ipse mihi unà vobiscum cum salute Reipublicæ commendatus coëgit. non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia, vitæq; turpitudo, non deniq; veteres, justæ, grauesq; inimicitiæ civium in discrimen capitis vocaverūt: sed, ut illud summum auxilium majestatis atq; imperii, quod nobis à majoribus est traditum, de Republica tolleretur, ut nihil posthac auctoritas senatus, nihil consulare imperium, nihil consensio bonorum contra pestem, ac perniciem civitatis valeret; idcirco in his rebus evertendis*

L. est hortata.

unius hominis senectus, infirmitas, solitudoq; tentata est.

PRÆLECTIONES.

PERDUELLIO] Perduellis qui proprio nomine dicebatur apud veteres, is postea vocatus est hostis, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud veteres dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus, ut Cicero in Officiis. Hoc verbo Plautus sæpe utitur, Teleboarum perduellis. Et alibi, Perduelles penetrant se in fugam. Et Livius 2. bello Punico ait, Salvos incolumesq; victis perduellibus victores. Ergo á perduellis, perduellio crimen hominis in Rempub. hostiliter animati dictum est. In Julia lege videtur perduellio species esse imminutæ majestatis. Grammatici perduellionem etiam perduellem vocant: exemplū nullum proferunt, neq; dum ipse animadverti. Exordium judicii quæstionem summam proponit, absolvendum esse Rabirium; & ex adjunctis personæ & caussæ ita concludit:

Quibus caussis movetur Cicero ad defendendum Rabirium, iisdem Quirites moveri debent ad absolvendum.

Cicero movetur amicitia, dignitate, humanitate, consuetudine, sed præcipue salute Reip. officio Consulari.

Iisdem itaq; moveantur Quirites ad absolvendum.

Etsi] Dissimilitudo propositioni præponitur: Etsi defensionis rationem reddere non soleo, tamen hîc reddam. *Rationem reddere*] Reddidit tamen pro Roscio, in Verrem, & postea pro Muræna, Flacco, Sylla, & aliis. *Capitis*] Sic pro Quintio, Ego qui caput alterius, famam, fortunasq; defendo. & in proxima pagina idem iterabitur. Quintilianus autem in compositione decrescentis huius orationis compositionem reprehendit: sed inepté, cúm ad compositionem nil id attineat. Fama autem hoc loco significat, quod vulgó dicimus honorem; ut qui eam amittant, sint infames. *Propterea*] Syllogismi propositio hîc est: Quæ caussa me commovit ad defendendum, eadem vos commovere debet ad absolvendum. *Nam me cum*] Sen-

tentia

tentia assumtionis, in qua numerantur caussæ Ciceronem commoventes ad hanc defensionem: quarum postrema de salute Reipub. præcipua est. *Non enim*] Confirmatur postrema pars assumtionis de Reipub. salute, ex majestatis imminutione, quæ hic accusatori tanquam finis proponitur. *Majestas*] Politia, inquit 3 Polit. Aristoteles, est ordo civitatis, cúm aliorum magistratuum, tum præcipué summi summæque rerum præpositi, qualis tempore Ciceronis Regia fuit in Consulibus, aristocratia in Senatoribus, democratia in universo populo. Hanc civitatis ordinationem Cicero majestatem hic appellat, & tribus illis partibus definit, Consulari imperio, authoritate Senatus, consensione bonorum. Ovidius 5 Fastor. majestatem poëticé quidem, sed valde magnificé describit:

Post chaos ut primúm data sunt tria corpora mundo,
Inque novas species omne recessit opus;
Pondere terra suo subsedit, & æquora traxit:
At cælum levitas in loca summa tulit.
Sol quoque cum stellis nulla gravitate retentus,
Et vos lunares exsiluistis equi.
Sed neque terra diu cælo, neque cætera Phœbo
Sidera cedebant: par erat omnis honor.
Sæpe aliquis solio, quod tu Saturne tenebas,
Ausus de media plebe sedere Deus.
Et latus Oceano quisquam Deus advena junxit:
Thetys & extremo sæpe recepta loco est.
Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis imposuêre thoris.
Hinc sata Majestas, quæ mundum temperat omnem;
Quaque die partu est edita, magna fuit.
Nec mora: consedit medio sublimis Olympo,
Aurea purpureo conspicienda sinu.
Consedere simul Pudor & Metus: omne videres
Numen ad hanc vultus composuisse suos.

Cicero igitur majestatem queritur Rabirii damnatione violari: quia damnetur is qui tali politiæ & civitatis ordinationi paruerit. *Solitudo*] Ut solus homo dicitur,

sic solitudo hominis. Solus interdum dicitur, qui amicis destitutus est: sic hominis solitudo, ejusmodi destitutio: quomodo Cicero dit Actione 3, Patres vivos liberis consulere, ut illorum solitudo ac pueritia quàm firmissimo præsidio munita sit.

Quamobrem si est boni Consulis, cùm cuncta auxilia Reipublicæ labefactari convelliq; videat, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisq; communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorũ & fortium civium, quales vos omnibus Reipublicæ temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia Reipubl. " *summum in Consulibus imperium, summum in Senatu consilium putare: ea qui secutus sit, laude potiùs & honore, quàm pœna & supplicio dignum judicare. quamobrem labor in hoc defendendo præcipuè meus est, studium verò conservandi hominis commune mihi vobiscum esse debebit. Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem nullam majorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque à Tribuno plebis susceptam, neque à Consule defensam, neque ad populum Romanum esse delatam. agitur enim nihil aliud in hac caussa, Quirites, quàm ut nullum sit posthac in Republica publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem, & audaciam, nullum extremis Reip. temporibus perfugium, & præsidium salutis. Quæ cùm ita sint, primùm, quòd in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri necesse est, ab Jove optimo maximo, cæterisque dis, deabusque immor-*

L. summum esse in C.

immortalibus, quorum ope & auxilio multò magis hæc Respub. quàm ratione hominum, & consilio gubernatur, pacem ac veniam peto, precorq; ab iis, ut hodiernum diem & ad hujus salutem conservandam, & ad Rempubl. constituendam illuxisse patiantur.

QUAMOBREM] Complexio syllogismi amplificata per quandam definitionem boni Consulis, & bonorum civium, ex eorum factis collectam. *Bonorum civium*] Civitas significat aliquando urbis locum, aliquando frequentiam hominum ejusdem urbis incolarum, aliquando civium multitudinem & politiam ipsam. Hinc civis, qui sic politiæ particeps est, ut in ea magistratum gerat, aut certé gerendi jus habeat: nec civis bonus bonitate morali definiendus, sed studio conservandæ politiæ & civitatis: ut bonus remex, nauta, proreta dicitur, etiamsi sit improbissimus pirata. Vide Aristot. 3. Polit. Sic ad Lentulum Cic. loquitur, cúm ait: Quem bonum civem semper habuisset, eundem bonum virum esse pateretur. *Intercludere*] Allegoria est á bello, ubi adversus hostes civitas fossis, præsidiis, rebusque aliis munitur. *Quamobrem*] Iteratur complexio syllogismi, addita Ciceronis officiorum & Quiritũ dissimilitudine. *Sic enim*] Locus attentionis proprius, ex adjuncta amplitudine & caussæ & personarum. *Agitur*] Repetitur ratio assumtionis anté jam posita, de salute publica, quæ hîc attentatur. *Quæ cúm ita sint*] Repetitur tertio loco sententia complexionis, sed imploratione & deprecatione variatur. Platonica autem & Demosthenica figura est, quam Cic. in Oratore deprecationem vocat. *Jove*] Sed ipse Jupiter, id est, juvans pater, quem conversis casibus appellamus á juvãdo Jovem, á poëtis pater divûmque hominumq; dicitur: á majoribus autem nostris optimus maximus: & quidem anté optimus, id est beneficentissimus, quàm maximus; quia majus est, certéque gratius, prodesse omnibus, quàm opes magnas habere. Cic. de natura deor. 2. *Pacem*] Pacem ac veniam petimus á diis, cúm metuimus iratos, & nobis propitios esse postulamus:

& pacem veniamque á diis petere, est eorum opem & auxilium implorare, quod per exclamationem dicitur, *Prò deûm hominumq; fidem!* Sic pro Flacco Cicero dicit, in bellis gerendis á diis immortalibus pacem ac veniam petere: & Virgilius 3 Æneid.

Hic Helenus, cæsis primùm de more juvencis,
Pacem exorat divûm.– Et 4.
Principio delubra adeunt, pacemq; per aras
Exquirunt.–

Quasi pacati dii sint etiam propitii.

Deinde vos Quirites, quorum potestas proximè ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi atque innocentissimi, salus Reipubl. vestris manibus suffragiisq; permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in Reipub. salute sapientiam, quam soletis. Nunc quoniam T. Labiene diligentia mea temporis angustiis obstitisti, meque ex comparato & constituto spacio defensionis in semihoræ curriculum coëgisti: parebitur, & quod iniquissimum est, accusatoris conditioni; & quod miserrimum, inimici potestati. quanquam in hac præscriptione semihoræ patroni mihi partes reliquisti, consulis ademisti: propterea quód ad defendendum propemodum satis erit hoc mihi temporis, verùm ad conquerendum parum. Nisi forte de locis religiosis, ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti. pluribus verbis tibi respondendum putas. Quo in crimine nihil est unquam abs te dictum, nisi á C. Macro objectum esse crimen id C. Rabirio. In quo ego demiror, meminisse te, quid objecerit C. Rabirio Macer inimicus: oblitum esse, quid æqui & jurati judices judicarint.

L. circulum

L. temporis, ad conquerendum, parum.

DEIN-

DEINDE] Convertitur imploratio à diis ad Quirites,& absolutio Rabirii rursus cum salute Reipub.conjungitur. *Suffragiis*] Caussa enim hæc agebatur ad populum, qui suffragiis suis damnabat, vel absolvebat. *Nunc quoniam*] Descendit ad contentionem caussæ per apostrophen in accusatorem,de cujus facto conqueritur,quód tam exiguum defensioni tempus præscripserit. *Angustiis*] Allegoria est á ludis Curulibus, in quibus ut á carceribus ad metam spacium certum cursoribus definitũ erat: sic in foro oratoribus certum tempus præscriptum, ut in caussa Milonis accusatori horæ duæ, defensori tres, lege Pompeja. *Quanquam*] Hic methodus & dispositio orationis consideranda est. Proposita est adhuc summa quæstio,Rabirius absolvendus est:& significata defensionis ratio summa,quia Reip.salus & authoritas id postulat. Secũdo loco tota caussa distribuitur bifariam: ad patroni siquidem partes quinque, extra perduellionem ,crimina referuntur; perduellio ad Consulis querimoniam. *Nisi forte*] Refutatio primi criminis ex testimonio judicum. *De locis religiosis*] Locos religiosos Catullus vocat sepulchreta, Christiani cœmeteria. Lucus nemus erat religiosis locis aut delubris vicinum,& feré numini alicui sacratum; quomodo feré semper apud Virgil. 1 Æneid.

Lucus in urbe fuit media,latissimus umbra.
Et 6 Æn. *--Lucis habitamus opacis.*
Et 7 Æn. *Unde etiam Triviæ templo lucisq; sacratis*
Cornipedes arcentur equi.--

Ergo sacrilegium ingens fuit locos religiosos & lucos violasse,cæsis arboribus prostratisque sepulchris. Simili de caussa in Clodium exclamat Cic. pro Milone, Vos Albani tumuli atque luci,vosque Albanorum obrutę aræ,quas ille præceps amentia, cæsis prostratisq; sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat.

An de peculatu facto, an de tabulario incenso longa oratio est expromenda? quo in crimine propinquus C.Rabirii judicio clarissimo C.Curtius pro


ſic rerum ſententiarumq; inventione & diſpoſitione contextas & cōtinuatas demonſtraſſem, populum admonui, cúm in oratoribus dialecticam non minús quám grammaticam perpetuam conſpiceret, tandem aliquando dialecticam in oratoribus eſſe crederet, veteremq; illum vanæ opinionis errorem deponeret: nec exiſtimaret inventionem hanc & diſpoſitionem dialecticæ non eſſe, ad rhetoras duntaxat attinere, tāquam alió logica Ariſtótelici organi dogmata ſpectarent. Nec enim alios in Ariſtotelis Logica argumentorum locos, vel ſyllogiſmorum modos exponi, quám in inventione Ciceronis & collocatione declaranda ſequeremur, quin connexorū & disjunctorum ſyllogiſmorū & univerſam methodi artem híc oſtenderemus, quam Ariſtotelis organum non attigiſſet. Hæc, inquam, populum docui & admonui. Ac jam ſi quis dixerit multa in Dialecticis Ariſtotelis contineri, quorū nullus ſit uſus in oratoribus, nil repugnabo: addam etiam eorundem nullum omnino humanum uſum inveniri: nec idcirco tamen oratores, non dialecticos eſſe fatebor, ſed Ariſtotelica illa Dialecticæ nil eſſe profitebor, quia nec ex vero uſu depromta ſint, nec ad verū uſum referri poſſint: Ariſtotelemq; ſemper affirmabo abundantiſſimo ingenio hominem fuiſſe, qui cúm multa á Platone Dialectica theoremata didicerit de tota & inventione & methodo, iis tamen non contentus, Dialectici auri precioſiſſimam quandam fodinam per ſe quæſierit, multa effoderit & cumularit: ſed aurum illud argento, ære, plumbo,

lapi-

lapidibus,ſpinis,terra deniq; inutili obrutum reliquerit, in fornacem non conjecerit, nec igne veri & naturalis uſus approbaverit, nec omnino diſtinxerit,ut in Ariſtotelicis animadverſionibus doceo. Quæ monita qui noſtrum in hac arte ſtudium reprehendunt, nunquam audierunt, ſed (quaſi Sirenum cantus formidarent) obturatis auribus prȩterierunt. Tales enim ſunt reprehenſiones adverſus nos editæ,ut cæcos de pictura,aut ſurdos de muſica credas contendere, dum clamant alatas potiús in aëre balænas, quám dialecticam in oratoribus ſe viſuros eſſe. Verúm ſpero tempus illud brevi futurum, ut hi cæci ſurdiq; videant & audiant,valdeque mirentur principes & rectores hominum, non homines, id eſt oratores, non dialecticos, non rationales animantes & logicos ſibi viſos eſſe. Quamobrem, Lector, in oratoribus ut grammaticam, ſic dialecticam perpetuam eſſe, hæc oratio primúm, deinde Conſulares Ciceronis reliquæ,ut ſpero,perſuadebunt.

Vale.

ARGVMENTVM ORATIONIS pro C. Rabirio.



LVCIUS *Apulejus Saturninus, de quo Livius lib. 69, & Plinius in ejus vita, & Appianus 1. Bellor. civil. tertium Trib. plebis factus, ut Glauciam Satellitem suum Prætorem, ut Plinius ait: vel potius Consulem, ut Livius indicat, faceret, Memmium Consularem candidatum interemit. Consules igitur ex S.C. armati Saturninum aggrediūtur, & in Capitolium cum Glaucia, Saufejo, L. AEquitio, & Labieno fugientem persequuntur: unde cùm fide publica descendisset in curiam, ut civili more caussa tractaretur, ipse lapidibus obrutus est, Glauciæ fracta cervix est, Labienus cæsus, caput Saturnini Rabirius in ludibrium per convivia circūtulit. Anno autem quadragesimo post illam cædem, ut Cicero in Pisonem author est; Cæsar, ut ait Suetonius, & cōstat ex hac oratione, subornavit T. Labienum, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret, quo præcipuo adjutore aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum tribunatum Senatus coërcuerat: ac sorte judex in reum ductus tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuerit. Damnatus Rabirius provocat ad populum: oratores duo summi defenderunt: Hortensius prior defendit, á Rabirio Saturninum non esse occisum, ut constat ex hac oratione: Cicero qualitatem tam magnificé disputavit, ut & prudentis Consulis, & eloquentis Oratoris laudem ex hac oratione sibi ipse sumserit.* Ego in C. Rabirio perduellionis reo quadraginta annis ante me Consulem, interpositam Senatus authoritatem sustinui contra invidos, atque defendi, *ait de Consulatus sui laudibus in Pisonem.* Jus omne retinendæ majestatis Rabirii caussa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus, *ait in Oratore. Prudentia autem hæc ex inventione & dispositione Dialectica, sicut eloquentia ex elocutione rhetorica in partibus singulis, & ex summa tandem partium subductione percipietur.*

a

M. T.

M. T. CICERONIS PRO C. RABIRIO, PERDVELLIONIS REO, AD QUIRITES Oratio.

ETsi, Quirites, non est meæ consuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de caussa quemq; defendam: propterea quód cú omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi caussam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famæ, fortunarumq; omnium C. Rabirij, proponenda ratio videtur esse officij mei: propterea quód quæ justissima mihi caussa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri. nam me cúm amicitiæ vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua consuetudo ad C. Rabirium defendendum est adhortata: tum veró, ut id studiosissimé facerem, salus Reipublicæ, consulare officium, Consulatus deniq; ipse mihi uná vobiscum cum salute Reipublicæ commendatus coëgit. non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia, vitæq; turpitudo, non deniq; veteres, justæ, grauesq; inimicitiæ civium in discrimen capitis vocaverűt: sed, ut illud summum auxilium majestatis atq; imperii, quod nobis á majoribus est traditum, de Republica tolleretur, ut nihil posthac auctoritas senatus, nihil consulare imperium, nihil consensio bonorum contra pestem, ac perniciem civitatis valeret; idcirco in his rebus evertendis

L. est hortata.

unius hominis senectus, infirmitas, solitudoq; tentata est.

PRÆLECTIONES.

PERDUELLIO] Perduellis qui proprio nomine dicebatur apud veteres, is postea vocatus est hostis, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud veteres dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus, ut Cicero in Officiis. Hoc verbo Plautus sæpe utitur, Teleboarum perduellis. Et alibi, Perduelles penetrant se in fugam. Et Livius 2. bello Punico ait, Salvos incolumesq; victis perduellibus victores. Ergo á perduellis, perduellio crimen hominis in Rempub. hostiliter animati dictum est. In Julia lege videtur perduellio species esse imminutæ majestatis. Grammatici perduellionem etiam perduellem vocant: exemplũ nullum proferunt, neq; dum ipse animadverti. Exordium judicii quæstionem summam proponit, absolvendum esse Rabirium; & ex adjunctis personæ & caussæ ita concludit:

Quibus caussis movetur Cicero ad defendendum Rabirium, iisdem Quirites moveri debent ad absolvendum.

Cicero movetur amicitia, dignitate, humanitate, consuetudine, sed præcipue salute Reip officio Consulari.

Iisdem itaq; moveantur Quirites ad absolvendum.

Etsi] Dissimilitudo propositioni præponitur: Etsi defensionis rationem reddere non soleo, tamen hîc reddam. *Rationem reddere*] Reddidit tamen pro Roscio, in Verrem, & postea pro Muræna, Flacco, Sylla, & aliis. *Capitis*] Sic pro Quintio, Ego qui caput alterius, famam, fortunasq; defendo. & in proxima pagina idem iterabitur. Quintilianus autem in compositione decrescentis huius orationis compositionem reprehendit: sed inepté, cúm ad compositionem nil id attineat. Fama autem hoc loco significat, quod vulgó dicimus honorem; ut qui eam amittant, sint infames. *Propterea*] Syllogismi propositio hic est: Quæ caussa me commovit ad defendendum, eadem vos commovere debet ad absolvendum. *Nam me cúm*] Sententia

tentia assumtionis, in qua numerantur caussæ Ciceronem commoventes ad hanc defensionem: quarum postrema de salute Reipub. præcipua est. *Non enim*] Confirmatur postrema pars assumtionis de Reipub. salute, ex majestatis imminutione, quæ hic accusatori tanquam finis proponitur. *Majestas*] Politia, inquit 3 Polit. Aristoteles, est ordo civitatis, cúm aliorum magistratuum, tum præcipué summi summæque rerum præpositi, qualis tempore Ciceronis Regia fuit in Consulibus, aristocratia in Senatoribus, democratia in universo populo. Hanc civitatis ordinationem Cicero majestatem hic appellat, & tribus illis partibus definit, Consulari imperio, authoritate Senatus, consensione bonorum. Ovidius 5 Fastor. majestatem poëticé quidem, sed valde magnificé describit:

Post chaos ut primúm data sunt tria corpora mundo,
Inq; novas species omne recessit opus;
Pondere terra suo subsedit, & æquora traxit:
At cœlum levitas in loca summa tulit.
Sol quoq; cum stellis nulla gravitate retentus,
Et vos lunares exiluistis equi.
Sed neq; terra diu cœlo, neq; cætera Phœbo
Sidera cedebant: par erat omnis honor.
Sæpe aliquis solio, quod tu Saturne tenebas,
Ausus de media plebe sedere Deus.
Et latus Oceano quisquam Deus advena junxit:
Thetys & extremo sæpe recepta loco est.
Donec Honor, placidoq; decens Reverentia vultu
Corpora legitimis imposuère thoris.
Hinc sata Majestas, quæ mundum temperat omnem;
Quaq; die partu est edita, magna fuit.
Nec mora: consedit medio sublimis Olympo,
Aurea purpureo conspicienda sinu.
Consedere simul Pudor & Metus: omne videres
Numen ad hanc vultus composuisse suos.

Cicero igitur majestatem queritur Rabirii damnatione violari: quia damnetur is qui tali politiæ & civitatis ordinationi paruerit. *Solitudo*] Ut solus homo dicitur,

sic solitudo hominis. Solus interdum dicitur, qui amicis destitutus est: sic hominis solitudo, ejusmodi destitutio: quomodo Cicero ait Actione 3, Patres vivos liberis consulere, ut illorum solitudo ac pueritia quám firmissimo præsidio munita sit.

Quamobrem si est boni Consulis, cúm cuncta auxilia Reipublicæ labefactari convellíq; videat, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunisq; communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorũ & fortium civium, quales vos omnibus Reipublicæ temporibus extitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia Reipubl. L. summum esse in C. *" summum in Consulibus imperium, summum in Senatu consilium putare: ea qui secutus sit, laude potiús & honore, quám pœna & supplicio dignum judicare. quamobrem labor in hoc defendendo præcipué meus est, studium veró conservandi hominis commune mihi vobiscum esse debebit. Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem nullam majorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque á Tribuno plebis susceptam, neque á Consule defensam, neque ad populum Romanum esse delatam. agitur enim nihil aliud in hac caussa, Quirites, quám ut nullum sit posthac in Republica publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem, & audaciam, nullum extremis Reip. temporibus perfugium, & præsidium salutis. Quæ cúm ita sint, primúm, quód in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri necesse est, ab Jove optimo maximo, cæterisque diis, deabusque immor-*

immortalibus, quorum ope & auxilio multó magis hæc Respub. quám ratione hominum, & consilio gubernatur, pacem ac veniam peto, precorq; ab iis, ut hodiernum diem & ad hujus salutem conservandam, & ad Rempubl. constituendam illuxisse patiantur.

QUAMOBREM] Complexio syllogismi amplificata per quandam definitionem boni Consulis, & bonorum civium, ex eorum factis collectam. *Bonorum civium*] Civitas significat aliquando urbis locum, aliquando frequentiam hominum ejusdem urbis incolarum, aliquando civium multitudinem & politiam ipsam. Hinc civis, qui sic politiæ particeps est, ut in ea magistratum gerat, aut certé gerendi jus habeat: nec civis bonus bonitate morali definiendus, sed studio conservandæ politiæ & civitatis: ut bonus remex, nauta, proreta dicitur, etiamsi sit improbissimus pirata. Vide Aristot. 3. Polit. Sic ad Lentulum Cic. loquitur, cúm ait: Quem bonum civem semper habuisset, eundem bonum virum esse pateretur. *Intercludere*] Allegoria est á bello, ubi adversus hostes civitas fossis, præsidiis, rebusque aliis munitur. *Quamobrem*] Iteratur complexio syllogismi, addita Ciceronis officiorum & Quiritū dissimilitudine. *Si enim*] Locus attentionis proprius, ex adjuncta amplitudine & caussæ & personarum. *Agitur*] Repetitur ratio assumtionis anté jam posita, de salute publica, quæ hîc attentatur. *Quæ cúm ita sint*] Repetitur tertio loco sententia complexionis, sed imploratione & deprecatione variatur. Platonica autem & Demosthenica figura est, quam Cic. in Oratore deprecationem vocat. *Jove*] Sed ipse Jupiter, id est, juvans pater, quem conversis casibus appellamus á juvãdo Jovem, á poëtis pater divûmque hominumq; dicitur: á majoribus autem nostris optimus maximus: & quidem anté optimus, id est beneficentissimus, quám maximus; quia majus est, certéque gratius, prodesse omnibus, quám opes magnas habere. Cic. de natura deor. 2. *Pacem*] Pacem ac veniam petimus á diis, cúm metuimus iratos, & nobis propitios esse postulamus:

& pacem veniamque á diis petere, est eorum opem & auxilium implorare, quod per exclamationem dicitur, *Prò deûm hominumq; fidem!* Sic pro Flacco Cicero dicit, in bellis gerendis á diis immortalibus pacem ac veniam petere: & Virgilius 3 Æneid.

Hic Helenus, cæsis primùm de more juvencû,
Pacem exorat divûm.-- Et 4.
Principio delubra adeunt, pacemq; per aras
Exquirunt. --

Quasi pacati dii sint etiam propitii.

Deinde vos Quirites, quorum potestas proximè ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi atque innocentissimi, salus Reipubl. vestris manibus suffragiisq; permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in Reipub. salute sapientiam, quam soletis. Nunc quoniam T. Labiene diligentia mea temporis angustiis obstitisti, meque ex comparato & constituto spacio L. circulum *defensionis in semihoræ curriculum coëgisti: parebitur, & quod iniquissimum est, accusatoris conditioni; & quod miserrimum, inimici potestati. quanquam in hac præscriptione semihoræ patroni mihi partes reliquisti, consulis ademisti: propterea quód ad defendendum propemodum satis erit hoc mihi* L. temporis, ad conquerendum, parum. *temporis, verùm ad conquerendum parum. Nisi fortè de locis religiosis, ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti. pluribus verbis tibi respondendum putas. Quo in crimine nihil est unquam abs te dictum, nisi á C. Macro objectum esse crimen id C. Rabirio. In quo ego demiror, meminisse te, quid objecerit C. Rabirio Macer inimicus: oblitum esse, quid æqui & jurati judices judicarint.*

DEINDE] Convertitur imploratio à diis ad Quirites,& absolutio Rabirii rursus cum salute Reipub. conjungitur. *Suffragiis*] Caussa enim hæc agebatur ad populum, qui suffragiis suis damnabat, vel absolvebat. *Nunc quoniam*] Descendit ad contentionem caussæ per apostrophen in accusatorem, de cujus facto conqueritur, quód tam exiguum defensioni tempus præscripserit. *Angustiis*] Allegoria est á ludis Curulibus, in quibus ut á carceribus ad metam spacium certum cursoribus definitũ erat: sic in foro oratoribus certum tempus præscriptum, ut in caussa Milonis accusatori horæ duæ, defensori tres, lege Pompeja. *Quanquam*] Hic methodus & dispositio orationis consideranda est. Proposita est adhuc summa quæstio, Rabirius absolvendus est: & significata defensionis ratio summa, quia Reip. salus & authoritas id postulat. Secũdo loco tota caussa distribuitur bifariam: ad patroni siquidem partes quinque, extra perduellionem, crimina referuntur; perduellio ad Consulis querimoniam. *Nisi forte*] Refutatio primi criminis ex testimonio judicum. *De locis religiosis*] Locos religiosos Catullus vocat sepulchreta, Christiani cœmeteria. Lucus nemus erat religiosis locis aut delubris vicinum, & feré numini alicui sacratum; quomodo feré semper apud Virgil. 1 Æneid.

Lucus in urbe fuit media, latissimus umbra.
Et 6 Æn. *--Lucis habitamus opacis.*
Et 7 Æn. *Unde etiam Triviæ templo lucisq; sacratis*
Cornipedes arcentur equi.--

Ergo sacrilegium ingens fuit locos religiosos & lucos violasse, cæsis arboribus prostratisque sepulchris. Simili de caussa in Clodium exclamat Cic. pro Milone, Vos Albani tumuli atque luci, vosque Albanorum obrutę aræ, quas ille præceps amentia, cæsis prostratisq; sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat.

An de peculatu facto, an de tabulario incenso longa oratio est expromenda? quo in crimine propinquus C. Rabirii judicio clarissimo C. Curtius pro

virtute sua est honestissimè liberatus: ipse verò Rabirius non modò in judicium horum criminum, sed ne in tenuissimam quidem suspicionem verbo est unquam vocatus. An de sororis filio diligentiùs respondendum est, quem ab hoc necatum esse dixisti, cùm ad judicii moram familiaris funeris excusatio quæreretur? quid enim est tam verisimile, quàm cariorem huic sororis maritum, quàm sororis filium fuisse? atque ita cariorem, ut alter vita crudelissimè privaretur, cùm alteri ad prolationẽ judicii biduum quæreretur? An de servis alienis contra legẽ Fabiam retentis, aut de civibus Romanis contra legem Porciam verberatis, aut necatis, plura dicenda sunt? cùm tanto studio C. Rabirius totius Apuliæ, singulari voluntate Campaniæ vicinitatis ornetur: cùmq; ad ejus propulsandũ periculum non modò homines, sed propè regiones ipsæ convenerint, aliquantò etiam latiùs excitatæ, quàm ipsius vicinitatis nomen ac termini postulabant.

vel. Campaniæ v.

AN DE PECULATU] Refutatio secundi criminis ex simili testimonio, quod augetur collatione minorum. Absolutus est Curtius, hujus criminis reus; Rabirius ne suspectus quidem fuit. In hoc autem genere comparationis negatio sæpe reticetur. *Non modò in judicium*] Intellige, non modò non in judicium. *Peculatu*] Peculari est publicam pecuniam furari. Hinc peculator & peculatus, fur talis & furtum tale. *Tabulario*] Tabularium, in quo tabulæ, acta, literæ publicæ asservantur. Virgil. 2. Georg.

- Nec ferrea jura,
Insanúmve forum, aut populi tabularia vidit.

Erant autem multa in foro Romano ejusmodi tabularia, qualia hodie in foro Parisiensi videmus. *An de sororu*] Tertium crimen levius refellitur ex adjunctis: quia verisimile

mile non sit, inter propinquos levi de caussa tãtum facinus admitti. In jus autem vocari non oportet funus familiare ducentem, justáve mortuo faciẽtem, ut Ulpianus ait 2. Digest. cap. de in jus vocando. *Sororis filio*] Nepos ad avum refertur; fratris vel sororis filius, Latinum nomen non habet. *An de servis*] Quartum crimen de plagio & vi facta; quod refellitur publico & Apuliæ & Campaniæ testimonio. *De servis*] Qui servos alienos solicitat, vendit, emit, retinet, aut liberos pro servis, plagiarius dicitur: crimen, plagium. Vide legem Faviam, lib. Digest. 48. Hanc legem Cicero hîc vocat Fabiam. *Legem Porciam*] L. Valerius Consul de provocatione legem tulit diligentiús sanctam: tertió ea post Reges exactos lata est, semper á familia eadem. Caussam renovandæ sæpius non aliam fuisse reor, quám quód paucorum opes plus quám libertas plebis poterant. Porcia igitur lex sola pro tergo civium lata videtur, quód gravi pœna, si quis verberasset, necassetve civem Romanum, sanxit. Valeria lex, cúm eum qui provocasset, virgis cædi, securique necari vetuisset; si quis adversus ea fecisset, nihil ultra quám improbé factum adjecit: id (qui pudor hominum erat) visum credo satis validum vinculum legis. Nunc vix servo ita minetur quisquam. Hæc Livius lib. 10. De hac lege pauló póst plura Cicero ipse dicit. *Totum Apuliæ*] Mos Romanis olim fuit, reos publicis laudationibus commendare, & ea de re septima Actione Cicero, Primúm in judiciis qui decem laudatores dare nõ potest, honestius est ei nullum dare, quám illum quasi legitimũ numerum consuetudinis non supplere: & pro Cicerone ipso viginti millia civium vestem mutaverũt, Senatus idem facere statuit. *Regiones ipsa*] Hac hyperbole utitur in Pisonem: Cúm mihi ipsa Roma propé convulsa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum procedere visa est: quæ me ita accepit, ut non modó omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci; sed etiam mœnia ipsa viderentur, & tecta urbis, ac templa lætari. *Termini postulabant*] Sic rursus in hac oratione: Si nihil longius quám vitæ termini postulabant.

Nam quid ego ad id longam orationem compa-

rem, quod eſt in eadem multa irrogatione præſcriptum, hunc nec ſua, nec aliena pudicitiæ pepercisse? quin etiam ſuſpicor eó mihi ſemihoram á Labieno præſtitutam eſſe, ut ne plura de pudicitia dicerem. ergo ad hæc crimina quæ patroni diligentiam deſiderant, intelligis mihi ſemihoram iſtam nimiúm longam fuiſſe. Illam alteram partem, de nece Saturnini, nimis exiguam atque anguſtam eſſe voluiſti: quæ non oratoris ingenium, ſed Conſulis auxilium implorat, & flagitat. Nam de perduellionis judicio, quod á me ſublatum eſſe criminari ſoles, meum crimen eſt, non Rabirii. quod utinam, Quirites, ego id aut primus, aut ſolus ex hac Republica ſuſtuliſſem: utinam quod ille crimen eſſe vult, proprium teſtimonium meæ laudis eſſet. quid enim optari poteſt, quod ego mallem, quám me in Conſulatu meo carnificem de foro, crucem de campo ſuſtuliſſe?

NAM QUID EGO] Poſtremum crimen de impudicitia leviter eluſum, in quo per emphaſim quandam Labieno contrarium repoſitum eſt, quaſi Labienus ipſe lepus ſit, & pulpamentum quærat; ac ne de ſuá impudicitia audiret, Ciceroni tam breve tempus præſcripſerit: quomodo ſecunda Philippica Cicero dixit in Antonium, Tu autem eó liberior es, quód ea in te admiſiſti, quæ á verecundo inimico audire non poſſes. *Irrogatione*] Multam irrogare hîc actoris eſt: id eſt, expetere talem multam ab adverſario. Sic Livius lib. 7. belli Macedonici, Centum millium multa irrogata erit: bis de ea re certatum eſt. & videtur idem eſſe, irrogare & petere multam. Cicero pro Cluentio: Uno judicio multa eſt ab eo petita. Nec multæ nomen ad pecuniariam pœnam duntaxat attinet, ſed ad ignominiam, ad exilium, ut mox dicetur. Irrogare multam judex dici poteſt, cúm dicat Horatius:

Regu-

Regula peccatis quæ pœnas irrogat æquas.

Et Ulpianus sic loquitur, cùm ait: Pro modo delicti pœnam irroget. quamvis Budæus dicat, irrogare multam non esse judicis multantis, sed actoris. *Ergo ad hæc*] Concluditur primum membrũ partitionis de criminibus extra perduellionem objectis: quod quia facilius erat, præpositum videtur, ut secundæ partis minueretur invidia. deinceps etiam digressio intertexitur de popularitate Ciceronis, occasione valde probabili: Quód Labienus questus esset à Cicerone perduellionis judicium tolli, ideoq; Ciceronem populo inimicum esse. Ergo locus tam plausibilis arripitur ad iratum populum mitigandum, qui ne iis quidem blandimentis ita conciliari potuit, quin obstreperet oratori & reclamaret, ut mox patebit. Cicero facti & æqualitate & inficiatione se primó tuetur: Si primus aut solus sustulissem, optatissimam rem egissem: at non sustuli. Propositio per optationem exprimitur.

Sed ista laus primúm est majorum nostrorum, Quirites, qui expulsis regibus, nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiæ retinuerunt: deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam sed lenitate legum munitam esse voluerunt. Quamobrem uter nostrûm tandem Labiene popularis est? túne, qui civibus Romanis in concione ipsa carnificẽ, qui vincla adhiberi putas oportere: qui in campo Martio, comitiis centuriatis, auspicato in loco, crucem ad civium supplicium defigi & constitui jubes: an ego, qui funestari concionem contagione carnificis veto? qui expiandum forum pop. Rom. ab illis nefariis sceleris vestigiis esse dico? qui castam concionem, sanctũm campum, inviolatum corpus omnium civium Romanorum, integrum jus libertatis defendo servari oportere? popularis veró Tribunus plebis custos, defensorque juris, &

libertatis. Porcia lex virgas ab omnium civium Rom.corpore amovit: hic misericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit: Labienus, homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Romanorum injussu vestro judicaretur: hic popularis á Duumviris injussu vestro non judicari de cive Rom. sed indicta caussa civem Rom. capitis condemnari coëgit.

SED ISTA] Assumtionis sententia: sed non sustuli primus, quia majores sustulêre. Argumentum èst á repugnantibus. *Regia*] Tullius Hostilius Romæ Duumviros capitales instituit, postea modó Triumviri fuere, ut in conjuratione Catilinæ docet Sallustius; modó Duumviri, ut in hac caussa constat. Ut autem tyranni nomen odiosum factum est (quamvis omnem principem legibus non subditum etiam bonum significet) sic Romę Regis nomen post expulsos reges invidiosum; & pro tyranno sæpe in orationibus Cic. rex dicitur: & nunc *regia* pro *tyrannica* dicitur. *Infestam*] Passivé hîc sumitur, ut pro Roscio: Filii vita infesta sæpé ferro atque insidiis petita. *Quamobrem*] Comparata disputatio deinceps est: Labienus perduellionis judicio constituendo non tam popularis est, quám eodem tollendo Cicero. Argumentum ex factis utriusque, vel potiús ex circumstantiis ipsius judicii sumitur. *Popularis*] Nomen est politicum, δημοτικὸν καὶ δημοκρατικὸν in mala Repub. τιμοκρατικὸν in bona Aristot. appellat. Qui autem ea quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda esse volebant, populares habebantur, ait Cicero pro Sestio. δημαγωγὺς sæpe Aristoteles, sed in malam partem nominat. *Martio*] Ager Tarquiniorum Marti consecratus, Martius deinde campus fuit, ait Livius lib. I. *Vincla*] Sæpius pleno casu, vincula: aliás tamen apud Cic. etiam contractum; Mitto vincla, carcerem, verbera. *Centuriatis*] Quæ maxima Romæ erant, fiebantq; ex censu & ætate per centurias: in quibus singulis centũ cives erant. Vide Gellium de tribus comitiorum R. generibus, Centuriatis, Curia-

Curiatis,Calatis,cap. 27,lib.15. *Popularis*]Sententia cõplexionis, quare Labienus non eſt popularis: ſed augetur epiphonemate & ironia: deinde exaſperatur diſſimili collatione popularium civium,quorum in actione ſua Labienus meminerat. *Cuſtos*]Sic Agrar. 2. de Trib.pleb.Quem majores præſidem libertatis cuſtodemque eſſe voluerunt. Platonicũ autem eſt: Plato enim principes appellat φύλακας,id eſt,cuſtodes,& eorũ πολιτικὴν, φυλακικήν. *Injuſſu*] Populi juſſus erat authoritas Senatus: ut cúm populus legẽ juſſiſſet,Senatus author eſſet. Magiſtratus aũt, ait in Polit. Ariſtoteles, tribus rebus declaratur,conſilio,judicio & imperio: ſed imperio maximé.Itaque cúm ſumma Romanæ politiæ authoritas tum penes populum eſſet, juſſus populi dicitur:& quia ſummã imperandi poteſtatẽ populus Coſſ. daret, imperium Conſulare antea á Cicerone dictum eſt. *Indicta cauſſa*]Indicta cauſſa damnari dicũtur ii,qui cauſſam non dixerunt, neque ſe defenderũt: præſentes autem, aut abſentes ſententiam paſſi ſint, nihil attinet. Rabirius enim præſens fuit, & tamen indicta cauſſa condemnatus á Duumviris. & quamvis indicere,pro non dicere,ſicut invidere pro non videre vix reperiatur: tamen indictũ,& inviſum,pro non dicto & non viſo dictum.In eoque conſidera Budęi definitionem,qui putat indicta cauſſa damnatos, qui abſentes ſententiam paſſi ſint.

Tu mihi etiam legis Porciæ,tu C. Gracchi,tu horum libertatis,tu cujuſquam deniq; hominis popularis mentionem facis, qui non modó ſuppliciis inuſitatis, ſed etiam verborum inaudita crudelitate violare libertatem hujus populi, tẽtare manſuetudinem,commutare diſciplinam conatus es?" namq; L. namque *hæc tua, quæ te hominem clementem popularemq;* hęc tua ſunt, *delectant, I lictor, colliga manus: quæ non modó hu-* hæc te hom. *jus libertatis manſuetudiniſq; non ſunt,ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii: ſed Tarquinii ſuperbiſſimi atq; crudeliſſimi Regis iſta ſunt cruciatus carmina; quæ tu, homo lenis, ac popularis, li-*

bentissimé cõmemoras. Caput obnubito, arbori infelici suspendito. quæ verba, Quirites, jampridem in hac Republica non solùm tenebris vetustatis, verùm etiam luce libertatis oppressa sunt.

TU MIHI] Concluditur Labieni & popularium civium dissimilitudo, & majorum collatione augetur. *Tentare*] Id est, invadere, & infesto animo petere ad evertendum. Sic anté: Unius hominis senectus, infirmitas solitudoque tentata est. *Namq; hæc*] Demonstratur proposita verborũ crudelitas per prosopopœiã, ex duûm virûm capitaliũ formula collectam. Apud Livium autem lib. 1. descripta est, ubi Tullius, concilio populi advocato, Duumviros (inquit) qui Horatio perduellionem judicent secundum legem, facio. Lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem judicẽt. Si á Duumviris provocarit, provocatione certato; si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verberato, vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Hac lege Duumviri creati, qui se absolvere non rebãtur ea lege, ne innoxiũ quidem posse, cúm condemnassent: tũ alter ex his, Pub. Horati, tibi perduellionẽ judico, inquit: lictor, colliga manus. Accesserat, injiciebatq; manus, &c. *Carmina*] Formulam carmẽ vocat, ut Livius in proximo loco, & Cicero pro Muręna: Prætor interea ne sepulchrum aut beatũ putaret, atque aliquid ipse sua spõte loqueretur, ei quoq; carmẽ compositum est. *Obnubito*] Nubere (ut Grammatici docent) proprié est velare, operire: á nube, quæ cœlum operit. Tropicõs mulier, dum viro traditur, nubere dicitur, quia tũ caput velet: ergo obnubito, id est proprié, obducito, obvelato. *Infelici arbori*] Fructum arborum solæ nullum ferunt, hoc est, ne semen quidem, tamarix, populus, alnus, ulmus attinia, alaternus. Infelices autem existimãtur, damnatæq; religione, quæ neque seruntur unquã, neq; fructum ferũt. Cremutius author est, nunquam virere arborem, ex qua Phyllis se suspenderit. Plin. libr. 16, cap. 26. *Suspẽdere*] In ablativo casu phrasis hæc tribus modis enũciatur. Quód diceret uxorẽ suã se suspẽdisse de ficu, 2 Oratorio dictum est. Hominem corripi & suspendi jussit in oleastro quadam, 5 Actione. Item querenti, quód uxor sua é ficu

é ficu se suspendisset, ait Quintil. lib. 6. Ergo licet pro eodem dicere suspendere se arbori, in arbore, de arbore, ex arbore.

An veró si actio ista popularis esset, & si ullam partem æquitatis haberet, aut juris, C. Gracchus eã reliquisset? scilicet tibi graviorē dolorem patrui tui mors attulit, quám C. Graccho fratris: & tibi acerbior eius patrui mors est, quem nunquam vidisti, quám illi eius fratris, qui cũ cõcordissimé vixerat: & similis viri tu ulcisceris patrui mortem; atq; ille persequeretur fratris sui, si ista ratione agere voluisset: & par desiderium sui reliquit apud populũ Romanum Labienus iste patruus vester, quisquis fuit, ac Tib. Gracchus reliquerat. An pietas tua major quám Gracchi? an animus? an consiliũ? an opes? an auctoritas? an eloquentia? quæ si in illo minima fuissent, tamē præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cúm veró his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantũ intervallũ tãdem inter te atq; illum interjectum putas? sed moreretur priús acerbissima morte millies Gracchus, quám in ejus cõcione carnifex consisteret: quæ non modó foro, sed etiam cœlo hoc, ac spiritu censoriæ leges, atq; urbis domicilio carere voluerunt.

AN VERO] Syllogismus alius ita deinceps texitur ex Gracchi quodam judicio:

Si perduellionis actio popularis esset, C. Gracchus non omisisset:
At omisit:
Non est itaque popularis.

Ad propositionis illustrationem disseritur ex adjunctis

personarum, majorem actionis hujus occasionem Caio tũ fuisse, quàm nunc sit Labieno. De morte Tiberii vide Plutarchum & Plinium in ejus vita. *Concordissime*] Quàm cum concordissimis fratribus esse maluisset, pro Ligario, similis gradus est comparationis. *Desiderium*] Tantum sui desiderium duo Gracchi, Tiberius & Caius reliquere, ut ubi occisi fuerant, positæ sint statuæ, sacella ædificata, sacrificia tanquam diis facta. Plutarchus in Gracchis. *Eloquentia*] C. Graccho pleniorem & uberiorem ad dicendũ oratorem nullum ante eum fuisse, Cicero in claris Oratoribus scribit: & in 3 Oratorio, Quid fuit (ait Crassus) in Graccho, quem tu Catule meliús meministi, quód me puero tantopere ferretur? Quó me miser conferam? quó vertam? in Capitoliúmne? at fratris sanguine redundat. an domum? matrémne ut miseram lamentantemq; videam, & abjectam? Quæ sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrymas tenere non possent. Hunc locum Gracchi Cicero pro Muræna imitatus est. *Quæ sin illo*] Absolvitur illustratio propositionis, & integro syllogismo breviter concluditur. *Sed moreretur*] Sententia assumtionis: quód Gracchus judicium perduellionis omiserit. Res augetur collatione minorum. *Cælo*] Sic pro Roscio de parricidis: Ita vivunt dum possunt, ut ducere animam de cœlo non queant. Cœlum pro aëre posuit.

Hic se popularem dicere audet, me alienum á commodis vestris, cúm iste omnes & suppliciorum & verborum acerbitates non ex memoria vestra, ac patrum vestrorum, sed ex annalium monumentis, atq; ex regum commentariis conquisierit: ego omnibus meis opibus, omnibus consiliis, omnibus dictis atq; factis repugnarim, & restiterim crudelitati? nisi forté hãc conditionem vobis esse vultis, quã servi, si libertatis spem propositam non haberẽt, ferre nullo modo possent. Misera est ignominia judiciorum publicorum, misera multatio bonorũ, miserum

al. verberũ ac.

ſerum exilium: ſed tamen in omni calamitate retinetur aliquod veſtigium libertatis. mors deniq; ſi proponitur, in libertate moriamur. carnifex veró, & obductio capitis, & nomen ipſum crucis abſit nō modó á corpore civium Romanorum, ſed etiam á cogitatione, oculis, auribus. harum enim omnium rerum non ſolúm eventus, atq; perpeſſio, ſed etiam conditio, expectatio, mentio ipſa deniq; indigna cive Romano, atq; homine libero eſt. An veró ſervos noſtros horum ſuppliciorū omnium metu dominorū benignitas una vindicta liberabit: nos á verberibus, ab unco, á crucis deniq; terrore, neq; res geſtæ, neq; acta ætas, neq; noſtri honores vindicabunt? Quamobrem fateor, atq; etiam T. Labiene profiteor, & præ me fero, te ex illa crudeli, importuna, nō tribunitia actione, ſed regia, meo conſilio, virtute, auctoritate eſſe depulſum. Qua tu in actione quanquam omnia exempla majorum, omnes leges, omnē auctoritatem Senatus, omnes religiones atq; auſpiciorum publica jura neglexiſti: tamen á me hæc in hoc tam exiguo meo tempore non audies. liberum tēpus nobis dabitur ad iſtam diſceptationem. Nunc de Saturnini crimine, ac de clariſſimi viri, patrui, tui, morte dicemus. Arguis, occiſum eſſe á C. Rabirio L. Saturninum: & id C. Rabirius multorum teſtimoniis, Q. Hortenſio copioſiſſimé defendente, antea falſum eſſe docuit. Ego autem, ſi mihi eſſet integrum, ſuſciperem hoc crimen, agnoſcerem, confiterer. Utinam hanc mihi facultatem cauſſa concederet, ut poſſem hoc prædicare, C. Rabirii manu L. Saturninum hoſtem populi Romani interfectum.

L. obnuptio

HIC SE POPULAREM] Sententia complexionis, ubi repetitur primum illud popularitatis argumentum ex circumstantiis hujus judicii. *Nisi*] Amplificatur occasione proximæ complexionis indignitas hujus judicii, primúm collatione minorum: cujus sensus est, Servi verbera nunquam tolerarent, nisi libertatem spectarent; quanto minus Romani tolerabunt? *Misera*] Secundus locus amplificationis ex collatione dissimilium: In civilibus & usitatis damnationibus cúm multantur cives Romani ignominia, bonis, exilio, tamen libertas remanet: in hac damnatione nulla remanet. *Publicorum*] Publica judicia dicuntur, quia cuivis ex populo executio eorum plerunque detur: eaque tum capitalia sint, quæ capite, vel exilio, vel metallo multant: ut majestatis, adulterii, cædis, falsi, de vi, peculatus, plagii, ambitus: tum non capitalia, quæ infamiam cum damno pecuniario inurunt. Vide quartum Institutorum Justiniani. *Multatio*] Multare Cicero dicit pœna, damno, ignominia, vinculis, verberibus, morte, exilio, bonis, agris, clavis, fustibus. Nec tantúm hoc verbum ad pecuniarum multam attinet. *Perpessio*] A patior passio ut barbarũ notatur: perpessio pro eo videtur accipi. Sic in lib. de Invent. Cic. dicit, arduarum ac difficilium rerum perpessionem: in Tuscul. laborum perpessionem: in Finib. dolorum perpessionem. *An vero*] Tertius locus amplificationis ejusdem ex collatione minorum. *Vindicta*] Tres modi fuerunt Romæ servi manumittendi, censu, testamento, vindicta, ut Cic. indicat in Topic. Vindicta autem virga erat, quam Prætor manumittendi servi capiti imponebat. Appellata autem sic videtur á Vindicio servo, qui Tarquiniorum conjurationem Bruto detexit: & hoc modo primúm manumissus est. *Unco*] Fustus recurvo ferro, quo damnati ad supplicium trahebantur. Uncus impactus est fugitivo illi: 2 Philip. *Quamobrem*] Concludit Labieni calumniam, & (quod antea timidé á se in majorum laudem rejiciebat) liberiús de se gloriado profitetur, Labienum hinc á se depulsum, & ἀντικατηγορίαν minitatur, quód constituendo hoc judicio leges & religiones despexerit. *Nunc de*] Hactenus á prima

ma parte digressus est ad leniendam sequentis partis invidiam: descendit tandem ad ipsam partem, quæ propriam judicii hujus quæstionem de nece Saturnini cõtinet, & duplici defensione utitur:

Si fecisset Rabirius, confiterer

Sed non fecit.

Assumtio præcedit ex defensione Hortensii. *Crimine*] Crimen hîc passivé capitur, quomodo in Miloniana, Clodianum crimen Cicero dixit, non quód fecisset Clodius, sed quod de Clodii cæde Miloni objiceretur: ita hîc Saturnini crimen, quod Rabirio objicitur de Saturnini cęde. *Ego autem*] Propositio syllogismi, quę mox iteratur per occupationem.

Nihil me clamor iste commovet, sed consolatur, cúm indicat esse quosdam cives imperitos, sed non multos. Nunquã, mihi credite, pop. Rom. hic qui silet, Cos. me fecisset, si vestro clamore perturbatũ iri arbitraretur. Quanto jam levior est acclamatio. al. lenior *Quin cõtinetis vocem indicẽ stultitiæ vestræ, testẽ paucitatis? Libenter, inquam, confiterer, si veré possem, aut etiã si mihi esset integrum, C. Rabirii manu L. Saturninum esse occisum, & id facinus pulcherrimum esse arbitrarer. Sed quoniam id facere nõ possum, confitebor id, quod ad laudẽm minús valebit, ad crimen non minús. Confiteor, interficiendi Saturnini caussa C. Rabirium arma cepisse. Quid est Labiene? quam á me graviorem confessionem, aut q̃uod in hunc majus crimen expectas? nisi veró interesse aliquid putas inter eum, qui hominem occidit, & eum, qui cum telo occidendi hominis caussa fuit. Si interfici Saturninũ nefas fuit: arma sumpta esse contra Saturninum sine scelere non possunt. si arma jure sumpta concedis, interfectum iure concedas, necesse est.* * * *

Paucula quædam deesse videntur.

NIHIL] Hîc adversa populi acclamatio Ciceroni contigit, cui libera objurgatione resistit: quod faciendum docet Antonius Orator. 2. cúm fuerit authoritas in oratore. cõfidentiã veró suã ad terrendos adversarios demonstrat adjunctis, & quód pauci reclamẽt, & quód ipse sit Consul. *Quanto jam*] Hoc epiphonemate confidentiam majorem ostentat, & mox etiam multo maximam, cúm adversa acclamatio iteraretur. *Quin continetis*] Hîc oratoris vox supra quemvis acuminis modum, ac supra naturam vocis humanæ acerba est, ut Quintilianus de pronunciatione admonet, ubi pro *continetis* legit *compescitis*. *Libenter*] Acclamatione sedata repetitur propositio syllogismi. *Sed quoniam*] Repetitur assumtio, quód Rabirius non occiderit: & voluntatis confessio pro facti confessione ponitur. *Quid est*] Apostrophe in accusatorem caussæ fiduciam ostentat tam libera confessionis qualitate. *Nisi vero* Stoica sententia est ex fine ad eventum: peccata non eventis rerũ, sed hominum voluntate metienda: qualis etiam est in Miloniana, Nisi forté quia res perfecta non est, non fuit puniendа, perinde ac exitus rerum, non hominum consilia legibus vindicentur. Hęc eadem sententia libr. Digest. 48 lege Cornelia de sicariis sancitur, Qui hominis occidendi caussa cum telo ambulaverit, lege de sicariis teneatur. *Si interfici*] Hic syllogismus summam defensionis universæ continet. ex caussa facti ad ipsum factum argumentatur:

Si Saturnini nex injusta, & arma injusta:
Sed arma non injusta:
Quare neq; nex.

Assumtio per hypothesin suspenditur, ad quam probandam reliqua deinceps oratio refertur: cujus magna pars initio desideratur, de seditione Saturnini & tumultu populi ad eam reprimendam. Hîc autem Cicero caussæ statũ constituit, an occidendi Saturnini caussa arma á Rabirio jure sumta sint.

Fit S. C. ut C. Marius, L. Valerius Cõsules adhiberent Tribunos plebis, & Pratores, quos eis videretur, operamq; darent, ut imperium populi Romani maje-

majestasq; conservaretur. Adhibent omnes Tribunos plebis," prater Saturninũ, prater Glauciam: qui Rempub. salvam esse vellent, arma capere & se sequi jubent. Parent omnes. Ex ædificiis armamentariisq; publicis arma populo Romano, C. Mario Consule distribuente, dantur. Hic jam, ut omittam catera, de te ipso Labiene quaro, cúm Saturninus Capitoliũ teneret, armatus esset unà C. Glaucia, C. Saufejus: etiam ille ex compedibus atq; ergastulo Gracchus: addã (quoniam ita vis) eodem Q. Labienum patruum tuum: in foro autem C. Marius & L. Valerius Flaccus Consules, póst cũctus Senatus, atq; ille Senatus, quem etiam vos ipsi, qui hos Patres Conscriptos, qui nũc sunt, in invidiã vocatis, quó faciliús de hoc Senatu detrahere possitis, laudare cõsuevistis: cúm equester ordo: at quorũ equitum Romanorum, dii immortales? patrũ nostrorum, atq; ejus atatis, qua tum magnam partẽ Reipublica, atq; omnem dignitatem judiciorũ tenebat: cúm omnes omnium ordinũ homines, qui in salute Reipublica salutem suam repositam esse arbitrabãtur, arma cepissent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit?

L. præter Saturninũ: omneis prætores, præter Glauc.

FIT S. C.] Hîc postrema narrationis pars est de S. C. quo probare Cicero vult arma jure sumta esse. *Prater Glauciam*] Vide num hîc desint hæc verba, *omnes Pratores*. Nã Glaucia tum Prætor fuit, ut Livius autor est, libro 69. *Armamentariis*] In armamẽtario, armamẽta urbis, id est, generum omnium machinæ, tela, hastæ, omniaque militaria arma reconduntur. *Hic jam*] Posito ex proxima narratione fundamento auctoritatis publicæ, quam secutus est Rabirius, comparat ipsas inter se partes. Cum Saturnino tres magistratus fuêre, Glaucia Prætor, Saufejus Censor, Gracchus Tribunus, & quidam privati, ut Quin-

tus Labienus: In altera parte Consules, Senatus, Equester ordo, & omnes boni. *In Capitolium*] Eandem arcem Brutus & Cassius interfecto Cæsare occupaverunt. *Saufejus*] Appianus appellat Saphinium, eumque tum Censorem ait fuisse, ignemque templo injecisse, ut siti periret. *Gracchus*] L. Equitium Saturninus subornavit, qui se Tiberii Gracchi filium fingeret, eoque nomine Trib. pleb. fecit. Populus hunc convulsis claustris carceris eripuit. Vide Appianum lib. 1, Plinium in Saturnino, Valeriū lib. 9 de vi & seditione. Cicero autem significat servū fuisse, quamvis Plinius dicit libertinum. Ergastulum enim locus est, in quo vincti nequiores servi opus faciunt, & servi ipsi aliquando ergastula vocantur. *Equester*] Notabis sæpe apud Ciceronem equester masculino genere: observato an etiam equestris eodem genere dicatur. *Judiciorum*] Cúm tres sint Reipubl. (ut jam dixi ex Aristotele) partes, imperium, judicium, consilium: post imperiū summa potestas est judiciorum. Itaque post expulsos reges, de judicatu magna contentio Romæ fuit. Ante Gracchum Senatus judicavit; lege Gracchi Equester ordo quinquaginta annos judicavit usque ad Syllam; lege Syllæ Senatores soli, usque ad Aurelium Cottam; ex cujus lege tres ordines, Senatus, Equester ordo, Tribuni ærarii judicaverunt. *Quid tandem*] Repetitur communicatio, & nominatim recensentur insigniores principes, qui Coss. sunt secuti. Idē 8. Philipp. feré locus est: C. Mario, L. Flacco Coss. Senatus Remp. defendendam dedit. L. Saturninus Trib. pl. Glaucia prætor est interfectus: omnes illo die Scauri, Metelli, Claudii, Catuli, Scævolæ, Crassi arma sumpserunt.

De te ipso, inquam, Labiene quæro, cúm ad arma Consules ex S. C. vocavissent, cúm armatus M. Æmilius princeps Senatus in Comitio constitisset, qui cúm ingredi vix posset, nō ad insequēdū sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimēto fore putabat: cúm deniq; Q. Scævola confectus senectute, præpeditus morbo, mācus & mēbris omnibus captus, ac

ptus, ac debilis, hastili nixus & animi vim & infirmitatē corporis ostenderet: cúm L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, Publ. Rutilius, C. Fimbria. Q. Catulus, omnesq́; qui tū erāt, Consulares pro salute cōmuni arma cepissent: cū omnes prætores, cūcta nobilitas, ac juventus accurreret, Cn. & L. Domitii, L. Crassus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Drusus: cúm omnes Octavii, Metelli, Julii, Cassii, Catones, Pompeji: cúm L. Philippus, L. Scipio, cúm M. Lepidus, cúm D. Brutus, cúm hic ipse Publ. Servilius, quo tu imperatore Labiene meruisti: cúm hic Q. Catulus admodum tū adolescens, cúm hic C. Curio, cúm denique omnes clarissimi viri cum Consulibus essent: quid tandem C. Rabirium facere convenit? utrúm inclusum, atq; abditū latere in occulto, atq; ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis tegere, an in Capitolium pergere, atq; ibi se cum tuo patruo & cæteris ad mortem propter vitæ turpitudinem confugientibus congregare, an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scævola, cum bonis deniq; omnibus coire nō modó salutis, verúm etiam periculi societatem?

ÆMILIUS] Vide Plin. in Viris illustribus, & Valeriū lib. 3, de Fortitudine. Princeps Senatus á Censore legebatur, qui primus sententiam rogaretur. Vide Gell. lib. 4, cap. 10. *Præpeditus*] Terent. sic loquitur Heautont. Quia in re nostra aut gaudio sumus præpediti nimio, aut ægritudine: & Plautus fallaciæ præpedimentum dicit: tamesi Valla isto loco legit, *Senectute affectus, morbo preditus*, lib. 5, cap. 35. *Cúm denique*] Concludit enumerationis inductionem, & disjunctum inde syllogismum conficit

Rabirio in tali tempore delitescendum, aut fugiendū cum Saturnino, aut standum cum bonis:
Non primum, non secundum:
Tertium igitur.

Propositio latiús disputatur. *Omnes clarissimi*] Valla in hoc dictionis genere Priscianum reprehendit. Est tamē non infrequens in Cicerone. Cicero enim ad Lentulum, omnes gravissimas injurias dixit: & Orator. 2, omnia minima mansa: & pro Cecinna, omnibus antiquissimis civibus. Quare licet etiam *omnis* cum superlativo jungere. *Ignaviam*] Vulgus appellat pusillanimitatem, Cicero timiditatem vocat: Quibus rebus intelligitur, nec timiditatem ignaviamque vituperari, nec fortitudinem patientiamque laudari suo nomine: 1 de Finib. & 3 Tusc. Quæ qui recipit, recipiat etiā necesse est timiditatem & ignaviam. *Coire*] Coire societatem sæpe Cicero, quod etiam pro Quintio, facere societatem dixit. Utinam (ait Philip. 2.) Cn. Pompei, cum C. Cæsare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses.

Tu deniq; Labiene quid faceres tali in re, ac tempore: cum ignaviæ ratio te in fugā, atq; in latebras impelleret, improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret, Consules ad patriæ salutem ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cuius imperio parere potissimúm velles? patruus, inquit, meus cum Saturnino fuit. Quid pater? qui-cum? quid propinqui vestri equites Romani? quid omnis præfectura, regio, vicinitas vestra? quid ager Picenus universus? utrúm tribunitium furorem, an Consularem authoritatem secutus est?

Tu deniQue] Repetitur per inchoatam communicationem eadem disjuncta propositio, ut in re tam manifesta vehemētiús urgeatur accusator. *Sectam*] Secta proprié in disciplinis dicitur, ut Philosophorum sectę, Academica, Peripatetica. quo significationis genere pro instituto

& lege

& lege usurpatur, ut pro Cælio: Qui hanc sectā, rationemque vitæ re magis, quàm verbis secuti sumus. & 2. de Natur. deor. Omnis natura artificiosa est, quód habet quasi viam quandam & sectam, quam sequatur. Aliquando pro partibus, & factione, ut hîc: & in Philip. Hostes autem iudicati, qui Marci Antonii sectam secuti sint. *Patruus*] Prolepsi invidiosa fingit Titum Labienum Saturnini sectam secuturū: deinde maioris auctoritatis exemplo reprehēdit. *Præfectura*] Præfectura politiæ Romanæ proprium nomen hîc est, qualis in Italia vocabatur, ubi jus dicebatur, & agebantur nundinæ. Vide Festum.

Equidem hoc affirmo, quod tu nūc de tuo patruo prædicas, neminem unquā adhuc de sese esse confessum. Nemo" est unquam inventus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modó honestate, sed etiā simulatione honestatis relictus, qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur. At fuit vester patruus. Fuerit, & fuerit nūlla desperatione rerum suarum, nullis domesticis vulneribus coactus: induxerit enim Lucii Saturnini familiaritas, ut amicitiam patriæ præponeret: idcircóne oportuit C. Rabirium desciscere á Republica? non comparere in illa armata multitudine bonorum? Consulum voci atq; imperio non obedire? atqui videmus hæc in rerum natura tria fuisse, ut aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere, mortis erat instar turpissimæ: cum Saturnino esse, furoris, & sceleris: virtus, & honestas, & pudor cum Consulibus esse cogebat. Hoc tu igitur in crimen vocas, quód cum iis fuerit C. Rabirius, quos, amantissimus fuisset, si oppugnasset: turpissimus, si reliquisset? L. est, inquī, inv.

EQUIDEM] Exaggerat eandem prolepsin dissimilitu-

dine, Nemo adhuc de se confessus est, quod tu prædicas de patruo tuo. *Non modo ab honestate*] Non multó secus illud Actione 7, Sine ulla non modó religione, verúm etiã dissimulatione. *At fuit Vester*] Repetit idem alia prolepsi, & optatione quadam obliqué notat Q. Labienum tãquam prodigum & desperatum. *Induxerit*] Urget proximam permissionem: Fuerit Labienus cum Saturnino, non ideo Rabirius à bonis abesse debuit. Comparere idem significat, quod apparere. Non comparet argenti ratio, Plautus ait. In turba novorum voluminum vix hæc comparet oratio, ait in Bruto Cicero. *Atqui videmus*] Repetitur tertio loco eadem disjuncta propositio: & duabus remotis partibus, tertia concluditur. *Instar* Nomen est indeclinabile, & similitudinem significat: Unus ille dies mihi quidem instar immortalitatis fuit, ait in Pisonem. Aliquãdo nota similitudinis adjungitur: Terra ad universi cœli complexum quasi puncti instar obtinet, ait in Tuscul. Hæc magna sunt, & quasi animi instar in corpore, ait in Oratore. Gellius, Apulejus, & posteri addunt præpositionem, & *ad instar* dicunt: sed Ciceronis authoritas locupletior est. *Hoc tu*] Concluditur principalis quæstio, arma contra Saturninum jure sumta esse.

At C. Decianus, de quo tu sæpe commemoras, quia, cúm hominem omnibus insignem notis turpitudinis Publ. Furium accusaret, summo studio bonorum omnium, queri est ausus in cõcione de morte Saturnini, condemnatus est: at Sextus Titius, q; habuit imaginẽ L. Saturnini domi suæ, condemnatus est. Statuerunt Equites Romani illo judicio, improbum civem esse, & non retinendum in civitate, qui hominis hostilem in modũ seditiosi imagine aut mortem ejus honestaret, aut desideria imperitorum misericordia cõmoveret, aut suam significaret imitandæ improbitatis voluntatem. Itaq; mihi mirum videtur, unde hanc tu Labiene imaginem, quã habes, inveneris: nam Sexto Titio damnato, qui istam

habere auderet, inventus est nemo. Quod tu si audisses, aut si per ætatem scire potuisses, nũquam profectó istam imaginem, quæ domi posita, pestem atq; exilium Sexto Titio attulisset, in Rostra atque in concionem attulisses, nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sexti Titii afflictam navem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres.

AT C. DECIANUS] Confirmatur eadem quæstio duobus præjudiciis contra Saturnini necem factis. *Condemnatus est*] Condemnatus est, condemnatus, repetitũ in fine duarum sentẽtiarum, est ἐπιστροφή. Duo autem hæc judicia Valerius lib. 8, cap. 1, recitat: Decianus non solúm Furium non damnavit, sed pœnas Furio debitas ipse persolvit: Titius licét esset innocens, & Agraria lege populo gratus, tamen damnatus est. *Statuerunt*] Ratio proximi præjudicii ex adjunctis, ubi generalis propositio texitur in Labienum: *Qui Saturnini habet imaginem, damnandus est.* *Hostilem in modum*] Perduellem notat hac periphrasi. In Verrem sic ait, Hostilem in modum cruciari: & in provinciis Consularibus, Hostilem in modum vexari. *Itaque mihi*] Assumtio est: *At Labienus attulit imaginem Saturnini in concionem.* Hic etiam præjudicium repetitur. *Quod tu*] Excusatur Labienus ex imprudentiæ caussa: *Si nosses, non fecisses: At nesciebas.* In propositione repetitur idem præjudicium? & illustratur allegoria á naufragis sumta: quale exemplum illud est 1 Æneid.

Illum expirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.

Hic magnæ criminationis materies erat: sed Cicero Rabirium liberare, non Labienum accusare voluit.

Sed in his rebus omnibus imprudẽtia laberis: caussam enim suscepisti antiquiorem memoria tua: quæ caussa anté mortua est, quám tu natus esses. Qua in

caussa tute profectò fuisses, si per ætatem esse potuisses: eam caussam in judicium vocas. An non intelligis, primùm, quos homines, & quales viros mortuos summi sceleris arguas: deinde quot ex iis, qui vivunt, eodem crimine in summum capitis periculum arcessas? nam si C. Rabirius fraudem capitalem admisit, quód arma contra L. Saturninum tulit: huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi ætas illa, qua tum fuit: Q. verò Catulum, patrem hujus, in quo summa sapientia, eximia virtus singularis humanitas fuit: M. Scaurum, illa gravitate, illo consilio, illa prudentia: duos Mutios, L. Crassum, M. Antonium, qui tum extra urbem cum præsidio fuit, quorum in hac civitate longé maxima consilia atq; ingenia fuerunt: cæteros, pari dignitate præditos, custodes, gubernatoresq; Reipublicæ, quemadmodum mortuos defendemus? quid de illis honestissimis viris, atq; optimis civibus, Equitibus Romanis dicemus, qui tum unà cum Senatu salutem Reipublicæ defenderũt? quid de tribunis ærariis, cæterorumq; omnium ordinum hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperũt? Sed quid ego de iis omnibus, qui cõsulari imperio paruerunt, loquor? deipsorum Consulum fama quid futurum est? L. Flaccum hominem cùm semper in Republica, tum in magistratibus gerendis, in sacerdotio, cerimoniisq; quibus præerat, diligentissimum, nefarii sceleris ac parricidii mortuum condemnabimus? adjungemus ad hanc labem, ignominiamq; mortis, etiam C. Marii nomen? C. Marium, quem veré patrem patriæ, parẽtem, inquã, vestræ libertatis atq; hujusce Reipubl. possu-

al. de *omittunt.*

possumus dicere, sceleris ac parricidii nefarii mortuum condemnabimus?

SED IN HIS] Assumtio est connexi: At nesciebas. *Laberis*] Labi proprié est sensim cadere. Est etiam piscium & serpentum & in lubrico vel glaciato loco cadētium. Hîc metaphora est ad errorem animi, quomodo sæpé Cicero loquitur, & lapsum pro errore sumit: ut in Academico, Cōtinere temeritatem á lapsu. *Qua in caussa*] Complexionis loco repetitur propositio connexi. *An non intelligis*] Disputatum est adhuc ex authoritate publica, arma jure sumta esse. Disputatur deinceps idem argumentum aliter:

Si damnetur Rabirius, damnandos esse qui tum arma ceperunt:

At secundum falsum:

Primum igitur.

Propositio copiosé tractatur. *Summi sceleris*] Periphrasis est perduellionis, pauloque póst appellabitur nefarium scelus, ac parricidium. *Arcessas*] Forense verbum est aliquando, ut pro Dejotaro: Non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere. *Fraudem capitalem*] Fraus aliquando crimen significat, ut hîc, & pro Muræna, Id erit ejus vitrico fraudi ac crimini. & 5 Philip. de militibus Antonii: Ne sit ea res fraudi, si ante Calendas Februarii ab eo decesserint. Itaque capitalem fraudem admittere est, ut Ulpianus ait, aliquid delinquere, ꝑpter quod capitis pœna pendenda sit. *Deprecatio*] Amplificatio propositionis. Rabirius excusari posset, quia juvenis tum fuit; cæteri nullo modo, qui prudētia & ætate summa præditi fuêre. Itaque multis circūstantiis singulæ personæ deinceps ornantur. *Q. Catulum*] Hic Catulus pater antea in Consularium numero fuit. Is autem est, qui Consulem Ciceronem, detecta conjuratione Catilinæ, patrem patriæ nominavit. Me Q. Catulus princeps hujus ordinis, & author publici consilii, frequentissimo Senatu parentem patriæ nominavit, ait Cic. in Pisonem. *Crassum*] De Crassi & Antonii eloquentia multa commemoratio est in Oratoriis libris: in Bruto autem Cic. ait, In his primúm cū Græcorum gloria Latiné dicēdi copiam æquatam fuisse: quam

laudem tamen in Oratore retexit, quasi nimium illis tribuerit. *AErarius*] Ærarios Tribunos Rom. nominabant, quibus militaris pecunia erat attributa; quomodo hodie in Francia Budæus putat Receptores generales dici posse, ut præfectos ærarii, generales finantiarũ. *Sed quid*] Revocatio est sui ipsius: sic enim Cicero hanc figuram nominat. *De Fama*] Terentius in hoc genere præpositionem feré omittit. Quid illo facias? Tu fortasse, quid me fiat, parvi pendis: in Heautont. *Patrem patriæ*] Appellationis hujus laudem Cicero primus Romæ consecutus est, ut Plutarchus in vita Ciceronis, & Juvenal. 8 Satyra, hanc in laudibus Ciceronis posuit:

—Sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Quod idem Plin. lib. 7, cap. 30, de Cicerone loquẽs ait, Salve primus omnium patriæ parens appellate. Hanc autem laudem Mario tribuit, propter Cimbricam victoriam, de qua pauló póst: & quoties in Marii mentionem Cicero incidit, impensiús municipem & popularem suum laudat: uterque enim Arpinas fuit.

Etenim si C. Rabirio, quód iit ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putavit: quod tãdem excogitabitur in eum supplicium, qui vocavit? ac si fides Saturnino data est, quod abs te sæpissimé dicitur, non eam C. Rabirius, sed C. Marius dedit, idemque violavit, si in fide non stetit. Quæ fides, Labiene, qui potuit sine S. C. dari? adeone hospes hujusce Urbis, adeóne ignarus es disciplinæ consuetudinisque nostræ, ut hæc nescias? ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare? quid jam ista C. Mario, inquit, nocere possunt, quoniam sensu & vita caret? itáne vero? tantis in laboribus C. Marius periculisque vixisset, si nihil longius, quám vitæ termini postulabant, spe atque animo de se & gloria sua

ſua cogitaſſet? at, credo, cùm innumerabiles hoſtiũ copias in Italia fudiſſet, atq; obſidione Remp. liberaſſet, omnia ſua ſecum una moritura arbitrabatur. Non eſt ita, Quirites: neq; quiſquam noſtrûm in Republica periculis cùm laude ac virtute verſatur, quin ſpe poſteritatis fructuq; ducatur. Itaq; cùm multis aliis de cauſſis virorum bonorum mẽtes divinæ mihi atq; æternæ videntur eſſe, tum maximè quód optimi & ſapientiſſimi cujuſq; animus ita præſentit in poſterum, ut nihil niſi ſempiternum ſpectare videatur.

ETENIM] Exaggeratur proximum de Mario exemplum collatione majorum: Si crucem meruit, qui paruit; quod ſupplicium meruit, qui juſſit? *Ac ſi fides*] Prolepſis præcipuæ criminationis, quód contra fidem publicam Rabirius Saturninum necaverit. Cicero facti, quod tamen inficiatur, culpam in Marium reiicit. *Fides*] Fides mea, tua, ſua, publica, privata. ſignificat quod vulgó ſecuritatem dicimus. Promiſerat Saturnino Marius ſecurum é Capitolio deſcenſum, tutoq́ue cauſſam in foro dicturum: fidem eſſe violatam queritur Labienus. Cicero ex cauſſa adjuvante diſputat, fidem datam non eſſe, quia Senatus, in quo publicum conſilium erat, non approbaverat. *Hoſpes*] Sic pro Milone, An veró, Judices, vos ſoli ignoratis? vos hoſpites in hac urbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis ſermone verſantur? *Quid jam iſta*] Propoſitio adhuc fuit: Si Rabirius damnetur, tot viros damnandos eſſe. Aſſumtio ſequitur: At damnandi non ſunt. Epicurea autem prolepſis eſt. Epicurus enim animos, uná cum corporibus extingui cenſuit. Nec Ariſtoteles ab hac ſententia longé abfuit, qui judicavit in morte vitam, ſenſum, memoriam, affectum lætitiæ & doloris, intellectum etiam quem παθητικὸν vocat, interire: remanere τὸν νοῦν, qui extrinſecus adveniret: & qui (ut Alexander Aphrodiſeus Ariſtotelis ſententiam explicat) animæ noſtræ neque pars, neque facultas eſſet. Enimveró ſi poſt mortem anima neque vitæ anteactæ meminit, neque

doloris apud inferos, neque lætitiæ apud ſuperos affectum ſentit, quænam iſta immortalitas fuerit? Aut ſi νοῦς iſte Ariſtotelicus neque pars, neque facultas animæ noſtræ eſt: ſed ſicut oculi noſtri lumine extrinſecus adveniente, cùm vident, illuminantur; cùm fuerint vel morte, vel ſomno, vel alio quovis modo clauſi, viſio nulla eſt: lumen tamen illud non extinguitur, ſed in ſuum tanquam fontem recurrit: ſic Ariſtotelica illa mente extrinſecus adveniente, vivus homo intelligat: cùm autem homo moritur, vita, ſenſus, memoria, affectus, intellectus patibilis, id eſt tota noſtra anima, intereat; mens tamen illa animis humanis adventitia non extinguatur, ſed in ſuam univerſitatem recipiatur: nil Marii proprium remanebit, nec animus Marii immortalis erit, ſed animi Mariani lumen; quod tamen Marii nil magis proprium ſit, quàm oculi proprium eſt Solis lumen, ut Ariſtoteles (ſi Aphrodiſeo credatur) verbo videatur noſtros animos immortales reliquiſſe, reipſa mortales feciſſe. Lōgé autem meliùs ac apertiùs Plato, qui non modò vitam, ſenſum, memoriam, affectum, ſed æterna præmia, ſuppliciáve pro ſuis cuique meritis decernit. Hanc impiam de mortalitate animorum ſententiam Cicero refellit, ex adjuncta noſtris animis præſenſione immortalitatis:

Si Marius non præſenſiſſet ſe immortalem eſſe, nūquam in tot laboribus vixiſſet:

At vixit:

Immortalem igitur ſe præſenſit.

Aſſumtio & complexio confunduntur. *Innumerabiles*] Apud aquas Sextias in Gallia Braccata Teutonum & Ambronum ducenta millia cæſa ſunt, nonaginta capta: apud agrum Claudium in Gallia togata centum quadraginta millia cæſa, ſexaginta capta: unde Marius conſervator urbis, & tertius inſtaurator appellatus. Vide Livium lib. 68, Plinium & Plutarchum in Mario. *Itaque*] Deducit é proximo argumento complexionem generalem de animorū divinitate & æternitate, cujus cauſſæ præter hanc poſteritatis præſenſionem multę ſunt in Platone, ex perpetuo animi motu, ex contrariorum argumento: Vitam mors ſequitur, ergo vita mortem conſequetur: ex recordatione: ex ſimplicitate naturæ: Non eſt compoſita anima, ergo nunquam

quam dissolvetur. *Præsentis*] Sic 2 de Divinat. Censent esse in mentibus nostris tanquã oraculum aliquod, ex quo futura præsentiãt. Et pro Archia, Certé si nihil animus præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spacium circumscriptum est, iisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, nec tot curis vigiliisque angeretur, nec toties de vita ipsa dimicaret.

Quapropter equidem & C. Marii, & cæterorum virorum sapientissimorum, ac fortissimorum civium mentes, quæ mihi videntur ex hominum vita ad deorum" religionem & sanctimoniam demigrasse, testor, me pro illorum fama, gloria, memoria non secus, ac pro patriis fanis atque delubris propugnandum putare. Ac si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minús strenué caperem, quám illi pro communi salute ceperunt. Etenim, Quirites, exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ. Quare si eos, qui jam de vita decesserunt, ornabimus: justiorem nobis mortis conditionem relinquemus. Sed si illos Labiene, quos jam videre non possumus, negligis: ne his quidem, quos vides, consuli putas oportere? neminem esse dico ex iis omnibus, qui illo die Romæ fuerint, quem tu diem in judicium vocas," pubesq; tum fuerit, quin arma ceperit, quin Consules secutus sit. Omnes ij, quorum tu ex ætate conjecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te rei capitis C. Rabirii nomine citantur.

fort. regionem

fort. pubes qui tum f.

QUAPROPTER] Concludit partem assumtionis de Mario & cæteris mortuis, quód damnandi non sint: & auget collatione similium & parium. *Etenim Quirites*] Illustratur proxima complexio dissimilitudine vitæ & gloriæ, & circumstantia pietatis in defunctos. *Sed si illos*] Accedit ad secundam partem assumtionis de vivis, qui hoc ju-

diciotenerentur. *Pubes*] Pubes ſubſtantivum fœminini generis,cúm ſignificat lanuginem,quę decimoquarto anno maribus,& fœminis duodecimo obvenit. per metonymiam ſignificat eum qui talem attigerit ætatem. & adjectivum eſt omnis generis, quo mas pubes, & fœmina pubes,& folia pubera dicuntur. Puberes omnes interfici jubet,ait Saluſtius.Aliquando ſignificat multitudinem juvenum ejus ætatis,& fœminini generis ſubſtantivum eſt: ut, Cui Senatus totam Rempub. omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma cōmiſerat, Cic.pro Milone. pauló ante dictum eſt pro eo,cuncta nobilitas ac juventus.Pubertas ætatem eam ſignificat,quæ plena eſt anno decimooctavo, ut Modeſtinus de Adoptionibus ait.

At occidit Saturninum Rabirius. utinam feciſſet: non ſupplicium deprecarer,ſed præmium poſtularem. Etenim ſi Scævæ,ſervo Q.Crotonis,qui occidit L.Saturninū,libertas data eſt:quod equiti Rom.præmium dari par fuiſſet? & ſi C.Marius, quód fiſtulas, quibus aqua ſuppeditabatur Jovis Optimi Maximi templis ac ſedibus, præcidi imperarat,quód in clivo Capitolino improborum civium. *

(*Lambinus ſic periodum abſolvit:* improborum civium multitudo ſeſe collocarat, Remp. ſervaſſe ab univerſo Senatu judicatus eſt: cur ſupplicium in eum conſtitueretur,& non potiús prçmium ei decerneretur,qui improborum ducem ſuſtuliſſet?)

AT OCCIDIT] Prolepſi ſtatuit primam judicii quæſtionem & facti, quod tamen inficiatur; abſolutam qualitatem defendit, & auget collatione minorum. *Fiſtulas*] Vitruvius lib. 8. de Aquæductibus per canales ſtructiles,fiſtulas plumbeas,tubulos fictiles factis ſcribit.Et Frontinus lib. 1.de Aquæductibus, etiam ad hanc rem plura ſcribit, quomodo per annos 441, Romani contenti fuerunt uſu aquarum,quas aut ex Tyberi,aut ex puteis,aut ex fontibus hauriebant. tempore Nervæ in Urbem influebant aquæ, Appia, Anio vetus, Marcia, Tepula, Julia, Virgo, Auguſta,

Claudia, Anio novus. *Civium*] Hîc pars confirmationis amissa est, & omnino tota peroratio, in qua præcipua vis orationis fuerat. Nam cúm Cicero in Oratore gloriatur, in Rabirii caussa se omni genere amplificationis exarsisse, certé flammas alias indicat, quám quæ in his reliquiis eluceant. Peroratio vehementes illos motus habuerat, quibus invitis judicibus Orator tantam caussam eriperet.

ANALYSEOS RHETORICÆ summa.

E Tropis Metonymia, Ironia, Metaphora, plurima est, Synecdoche rarissima: é figuris verborum συμπλοκὴ, ἐπανάληψις, ἀναδίπλωσις, κλίμαξ correctio: é figuris sententiarum, Addubitatio, Præteritio, Reticentia, Sustentatio nullæ sunt, cæteræ adhibentur. é figuris verború, Numerus in orbe concinnitatis gratissimus est: é figuris sententiarum, Deprecatio exordii ad flectendum, & Licentia in reprimenda acclamatione ad terrendum vehementer excellunt, sicut Communicatio ad urgendum.


ANALYSEOS DIALECTICÆ summa.

Hactenus in singulis hujus orationis partibus genera dialecticæ & inventionis in argumento, & dispositionis in syllogismo & methodo declarata sunt. Ac cúm tota inventionis doctrina summis decem locis caussarum, factorum, subjectorum, adjunctorum, dissentaneorum, comparatorum, nominum, tributionis, definitionis, testimonii contineatur; argumenti certé nullum genus est, excepto subjecti & nominis loco, in hac oratione non adhibitum. Etenim ex caussarum genere finis & efficiens aliquoties adhibetur: facta boni & Consulis, & civis, & Rabirii, & Ciceronis, & Labieni, & aliorum multa: adjuncta plurima: ex dissentaneis repugnantia sola sunt: comparata omnis quidem speciei, sed majora, minora, dissimilia frequentissima: partitio & definitio locis aliquot: testimonium sæpissimé

assumtum. Atq; ex omnibus argumentis plurimum venustatis habent comparata, roboris autem plenissima testimonia sunt. Hinc enim & prioris partis de quinque criminibus, & posterioris de armorum jure argumenta sunt. Atq; hæc inuentionis. Quod ad dispositionem singulorũ argumentorum attinet, syllogismi sicut in omni feré hominum sermone raró perfecté partibus omnibus conclusi sunt: attamen ubi res postulavit, omni genere, & simplici, & connexo, & disjuncto concluduntur. Frequentissimi autem connexi syllogismi sunt, sicut aliás in omnibus feré authoribus. Methodi laus, sive artem, sive prudentiam spectes, permagna est. Summa caussæ initió perspicué posita est: Absolvendum esse Rabirium, quia Reip. salus & authoritas id postularet. Distributio caussæ facta est: in priore parte leviora crimina posita sunt, & digressio de popularitate attexta, ut inductis jam & placatis multitudinis animis, secundæ partis invidia minueretur. Secunda ipsa pars summa universæ civitatis authoritate accuratissimé confirmata est. Ac si perorationem haberemus, cerneremus profectó in hac oratione Homericam aliquam Nestoris dispositionem, qua firmissima primo summoque loco, infirmissima medio locarentur. Exordium Romanæ majestatis periculum miserabili periclitantis hominis solicitudine proposuit. Refutatio leviorum criminum diligentiam Oratoris ostendit. Contentio perduellionis gravissimam firmissimamque qualitatis defensionem conclusit. Quid peroratio? Nónne, quod de Pericle dictum est, tonare & fulgurare debuit, ut populũ Rom. Rabirio infensum & iratum placaret, atque ita placaret, ut crucem & carnificem é campo tolleret, Rabirium liberaret, Oratorem (quem sibilo pauló anté & strepitu interpellarat) miraretur, & in cœlo poneret?

FINIS PRÆLECTIONUM IN
Orat. pro C. Rabirio.

M. T.



M. T. CICERONIS DE LEGE AGRARIA CONTRA P. SERVILIVM RULLUM TRIBUNUM PLEBIS ORATIONES TRES, Petri Rami Veromandui, Eloquentiæ & Philoſophiæ Profeſſoris Regii, prælectionibus illuſtratæ.

PETRVS RAMVS Lectori S.

PRimi anni, Lector, quo Regius Eloquentiæ Philoſophiæq; Profeſſor factus ſum, primus quoq; labor fuit, ut re ipſa atq; exemplis demõſtrarem Eloquẽtiæ Philoſophiæque (tametſi in artibus præcepta diſtincta eſſent) uſum tamen eſſe copulatum atque conjunctum. Ab eloquentiæ itaque principe Cicerone demonſtrationis meæ fidem, & quidẽ ex Ariſtotelis philoſophiæ (ut multis perſuaſum eſt) principis doctrina ordiri volui. Ariſtoteles quidem docet artium diſciplinarumque omnium principia eſſe αἴσθησιν, ἐπαγωγήν, ἱστορίαν, ἐμπειρίαν, ſenſum, inductionem, ob-

ſervationem, experientiam: ab iisque principiis omnes generales inſtitutiones ac regulas deducendas, ut tum demum probandæ ſint, cúm de ſingularium ſenſibusq; ſubjectorum exemplorum animadverſione & uſu fuerint eductæ. Ciceronis veró cúm tam multa in medio eſſent exempla, ea potiſſimúm ad iſtã Ariſtotelicam ἐπαγωγὴν καὶ ἐμπειρίαν de Conſularibus orationibus ſelegi, quæ authori ipſi potiſſimúm probarentur. De iis enim ſic ipſe ad Atticum ſcribit: Oratiunculas autẽ, & quas poſtulas, & plures etiam mittam: quoniam quidẽ ea (quæ nos ſcribimus, adoleſcentulorum ſtudiis excitati) te etiam delectãt. Fuit enim mihi commodum, quód in eis orationibus (quæ Philippicæ nominantur) enituerit ille tuus civis Demoſthenes, & quód ſe ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerit: ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare ut meæ quoque eſſent orationes, quæ Conſulares nominarentur. Quarum una eſt in Senatu Cal. Januar. altera ad populum de lege Agraria; tertia de Othone; quarta pro Rabirio; quinta de proſcriptorũ filiis; ſexta, cùm provinciam in concione depoſui; ſeptima, qua Catilinã emiſi; octava, quam habui ad populum poſtridie quám Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges* invocarunt; decima in Senatu Non. Decẽb. Sunt præterea duæ breves, quaſi ἀποσπασμάτια legis Agrariæ. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas. Et quoniam te cúm ſcripta, tũ res meæ delectant; iiſdem ex libris perſpicies & quę geſſerim, & quæ dixerim. At ni popoſciſſes, ego me tibi non offerebam.

Quidam indicarunt: *al.* involgarũt;

rebam. Hæc Cicero de Consularibus orationibus, de quibus Plinius, cúm Ciceronis laudes celebrare vellet, præcipuum gloriæ argumentum petivit. Sed quo & te, M. Tulli, piaculo taceam? quóve maximé excellentem insigni prædicem? quo potiús quám universi populi, illius gētis amplissimo testimonio, & in tota vita tua, & ad Cōsulatum tantúm operib. electis? Te dicēte, legem Agrariam, hoc est alimenta sua, abdicaverunt tribus: te suadente, Roscio theatralis seditionis authori leges ignoverunt, notatasq; sedes ignominiæ discrimine æquo animo tulerunt: te orante ꝓscriptorum liberos honores petere puduit: tuū Catilina fugit ingenium, tu M. Antoniū proscripsisti. Salve, primus omniū parens patriæ appellate, primus in toga triumphū linguæq; lauream merite, & facundiæ, Latiarumq; literarū parens, atq; (ut Dictator Cæsar hostis quondā tuus de te scripsit) omnium triumphorū laureā adepte majorem, quantó plus est ingenii Rom. terminos in tantum promovisse, quám imperii. Hæc Plinius. Quare in tam laudatis orationibus (quæ certé superessent) demonstrare studui, primúm Rhetoricam elocutionem in tropis & figuris. Ac demōstrationis eam partem quávis studiosiús vivæ vocis prælectione tractavi, tamen quia controversiam non haberet, curiosiús non descripsi: literis tātúm, & arithmeticis notis indicavi: quatuor literis a, b, c, d, quatuor genera troporū, Metonymiam, Ironiam, Metaphorā, Synecdochen designavi. Species Metonymiæ & Synecdoches, licet complures essent, nō distinxi: genere proposito

ſpeciem facilé deprehendet is, qui Audomari Talæi Rhetorica didicerit. Figuras verborum ſententiarumque, notis arithmeticis ita deſcripſi, ut unitatis nota ſignificaret Epizeuxin, 2 Anaphoram, 3 Epiſtrophen, 4 Symplocen, 5 Epanodon, 6 Epanalepſin, 7 Anadiploſin, 8 Climacé, 9 Polyptoton, 10 Paronomaſiam, 11 Orbem numeroſum, 12 Optationem, 13 Deprecationem, 14 Addubitationem, 15 Communicationem, 16 Permiſſionem, 17 Conceſſionem, 18 Prolepſin, 19 Proſopopœjam, 20 Dialogiſmum, 21 Apophaſin, 22 Digreſſionem, 23 Apoſtrophen, 24 Apoſiopeſin, 25 Exclamationem, 26 Suſtentationem, 27 Parrheſiam. Atq; hæc de Rhetoricis. De philoſophia veró logica, quæ in his exemplis ineſſet, diligentiús atque accuratiús agendum fuit, cúm perſpicerem hunc eloquentiæ & Philoſophiæ conjunctum uſum, ignaris non modó fabuloſum, & á me confictum videri, ſed contentionibus ſummis accuſari. Ergo logicum & topicæ inventionis & analyticæ diſpoſitionis uſum in his orationibus perpetuum viva voce primúm declarare contendi, ut poſitæ quæſtionis in ſingulis partibus, & argumentum ad ſui generis locum referrem; & ſyllogiſmum, ſi plenus eſſet, ad ſuæ figuræ modum diſtinguerem; totiusque orationis curſum ad ſuæ methodi collocationisque regulam directum vel inflexum indicarem: deinde, ut etiam qui nos nunquam audiſſent, tamen ſtudii conatusque noſtri rationem perciperent, hoc artificium breviter deſcripſi & publicavi. in eoque humile quidem fateor,

fateor, & plané puerile grammatici cujuſdam doctoris exemplum mihi propoſui: qui cúm Græca lingua pueros inſtitueret, in Græca quadam epiſtola prælegenda omnes orationis partes excutiebat, omnium partium genera, ſpecies, accidentia ſubducebat; nec id tantúm voce præſentibus diſcipulis præſtitit, ſed has grammaticas meditationes collectas & deſcriptas edidit: Sic logicas meditationes in argumentis, ſyllogiſmis, methodis orationum Conſularium, publicé duplici de cauſſa propoſui: Primúm, ut cúm ars in libris alia ſit, artis alius in exemplis uſus; αἴσθησις, ἐπαγωγὴ, ἱστορία, ἐμπειρία, ut Ariſtoteles præcipit, emendaret artem, humaniſquè & naturalibus exemplis accommodaret. Deinde cúm logica præceptis ad uſum parentem congruenter expoſitis inſtituta eſſet, faciliús á pueris intelligeretur, promptiúsque & commodiús diſputando, ſcribendo, dicendo tractaretur & exerceretur. E quo tantum abeſt ut laudem quæram, ut brevi tempore logicis meditationibus noſtris idem eventurum vehementer expectem, quod illius grammatici meditationibus accidit. Grammaticus enim Græcæ linguæ uſus á meditationibus illis inchoatus, ſed paulatim major, & uberior in ſcholas inductus, doctores quàm plurimos effecit, qui jam illa meditationum manu tam delicaté duci nolint, ſed per ſe quolibet latiús excurrãt: Ita cúm logica aliquot annorũ exercitatio his noſtris prælectionibus veluti manibus in ſcholas inducta ſeſe confirmarit & corroborarit, per ſe ipſa liberiús, longiúsq; progredietur. Octo viderint

exempla ſibi per nos expoſita pueri, infinita alia nó ſolúm Ciceronis, ſed Maronis, Demoſthenis, Homeri, Platonis, Ariſtotelis, cujuſvis denique boni authoris conſilio ex argumentorum locis, judicio é ſyllogiſmorum figuris, ordine é methodorum modis perſpecto, acutiús, certiús, prudentiús intelligent: nosq; iſta logicæ meditationis & explicationis diligentia longiſſimé ſuperabunt, ac vincent. Atq; ut grammatici non ſolúm grammaticæ præceptis ediſcendis, repetẽdis, communicandis, in animo memoriaq; penitús infigendis; ſed multó magis grãmmaticis elegantium authorum exemplis grammaticé examinandis & exercendis facti ſunt: ſic logici non ſolúm logicæ documentis ad verbum ediſcendis, & ſcholaſtica altercatione verſandis & diſputandis, ſed logicis ſubtilium & prudentium hominum exemplis logicé retexendis, ſcribendo, dicendoq; imitandis & æmulandis fient. Multas ludibriorum, probrorum, calumniarũ moleſtias á nebulonibus hanc publicorum ſtudiorum lucem moleſté ferentibus adhuc pertuli: leviſſima tamen hæc omnis tempeſtas, imṗ jucundiſſima fuit, futuri temporis ſerenitatem ſpectanti. Quid veró Hiſtoriæ de nobis ad annos quingẽtos prædicarint, quas quidem ego multó magis vereor, quám eorum hominum qui hodie vivunt, rumuſculos, ait de ſe Cicero, cúm Reipub. cauſſa calumniis improborum vexaretur. Ergo ille Ethnicus de vitæ poſterioris æternitate dubius & incertus hęc ſentit, nos vera pietate Chriſtianæ religionis informati, nihil in poſterum reſpiciemus? Loquentur

ætates

ætates hominum tam multæ, quám multa disciplinæ secula futura sunt, cujus nam opera & studio philosophia ab inanibus argutiis ad humanũ civilemq; cultum avocata, poëtas, oratores, philosophos interpretari & imitari didicerit; hominesque non horridiores & pertinaciores, ut antea, sed humaniores & prudentiores fieri cœperint. Quamobrem, Lector, erunt hæ Consulares á nobis expositæ scholis documentũ quoddam sic instituendæ juventutis, ut in Academiæ defensione instituẽdam esse monui: ut cúm puerum grammaticis abunde tres aut quatuor annos eruditum, Rhetoricis elocutionis & pronunciationis artibus annum unum mediocriter instructum magister acceperit; Grammaticæ & Rhetoricæ præcepta in philosophiæ studio ne præterea quidem repetat, sed certé usum retineat: grammaticum etiam si quid rarum forté, nec antea cognitum inciderit, ne despiciat: troporum & figurarum genera studiosiús expendat: studiosissimé veró Logicam cum præceptis omnibus necessariis & propriis doceat, & discentis intelligentiæ, memoriæque communicando, disputando penitús imprimat: tamẽ multó magis in excellentibus exemplis explorandis, retexẽdis, imitandis exerceat, discipulumq; ista Logicæ artis & explicatione & exercitatione Logicum faciat.

ARGVMENTVM TRIVM AGRAriarum, in quo Agrariæ legis origo & contentio declaratur.

RESPUBLICA *Romana omnes politiarum formas experta est. Regia primùm fuit, paulò post in tyrannidem conversa. Tyrannis expulsis, Aristocratia fuit in patribus: repente per avaritiam & libidinē in Oligarchiam mutata est. Hinc plebis secessioni tribunatu constituto Democratiæ species quædam extitit, cujus & jus & finis in libertatis, honoris, fortunarumque omnium æqualitate statuitur. Hanc rerum æquationem Minos in Creta, Solon & Lycurgus, Plato, Aristoteles in Græcia celebrarunt: Phaleas, ut ait Aristoteles, primus induxit. Ergo cùm democraticum statum meliorem primò, mox deteriorem Romani habuissent, nec unum, vel paucos, sed universum populum Respub. summum principem fecissent; prima inter eos libertatis æquatio fuit, & omnes inter se Romani cives libertate pares erant. Secutum est ingens deinde certamen de æquatione sanguinis, honoris & fortunæ, sed inprimis fortunæ. faciliùsque patres passi sunt se sanguine & honore cum plebe, quàm fortunis æquari. Ad æquationem igitur fortunarum lex agraria inventa est, qua lege (ut Plutarchus in Gracchis, & Appianus primo bellorum civilium, authores sunt) nō aliud agebatur, quàm ut à populo Romano immodica & opulentia & inopia tolleretur, & fortunæ mediocritas, id est vera Democratia constitueretur, qua Romani & ad sobolem procreandam, & ad militiam sustinendā meliores efficerentur. Agri siquidem post expulsos reges hostibus ademti, à pauperibus civibus tenui precio redimebantur: ut ex seminib. decima, fructibus arborum quinta pars, certo etiam quodā ad armenta & pecora addito vectigali persolveretur: quæ consuetudo paulò pòst auctis potentiorū fortunis sublata est. Itaq; cùm divites soli captivos & publicos agros occuparēt, & magnas ad eos colēdos servorū familias alerent, leges agrariæ cōtrásunt inventa ad*

ta ad luxuriam paucorum reprimēdam. Contentio verò promulgationis annos 121 perduravit, maximis interea motibus agitata. Primus agrariæ legis author Sp. Cassius consul fuit, qui cùm Hernici agri partem plebi divideret, à patribus objectum, quasi largitione illa regnum quæreret, ejusq; criminis invidia perduellionis à populo damnatus & necatus est. Sed diuturna in Cassium populi ira non fuit, dulcedo legis subibat animos, accēsa primùm per tribunos, Licinium, Pontificium, deinde per Cos. Fabium. sed cùm à senatoribus tribuni modò necarētur, ut Genutius; modò, quia patrum gratia & auxilio fracti essent, ad intercedendum corrumperentur: latum est, ut tributis tantùm comitiis tribuni fierent: & ut via latior & facilior ad agrariam legem esset, agitatum per Arsam Terentillum, ut quod jus plebs jussisset, eo patres tenerentur: tribuni plebis decem facti: leges duodecim tabularum communis concordiæ caussa ex inclytis Athenensium, & aliarum Græciæ civitatum legibus sunt instituta. Valerius & Horatius Coss. Terentillam legem pertulēre, ut quod tributim plebs jussisset, id populum teneret: addidere, ut si quis ullum magistratum sine provocatione creasset, impunè occidi fas esset: Iis tam multarū legum gradibus, quia ad agrariæ legis promulgationem aditus nondum pateret, connubiorum communio, quæ videbatur obstare, lege Canuleji impetrata est: à patribus etiam quamvis ægerrimè, tamen expressum est, ut è plebe Tribunum militari potestate fieri liceret. Nec dum tamen agraria lex lata, quamvis tot patres hac invidia damnati, Menenius, Appius, Cæso, Romulius, Veturius, Virginius, Pompenius; quamvis honores concessi; quamvis patriciis, plebejisq; sanguinis connubia permissa: tanta patrum avaritia fuit, ut illis pecunia charior, quàm honor, quàm sanguis, & natura sua fuerit. Interea tamen delinire plebem gratuita vulneratorū militum curatione, colonia Antiati, Lavicana, Volana, Satricina; præda Tarracina, Vejentana, stipendio militari, Vejētitani agri etiam in septena jugera divisione. Postremò cùm patrum intoleranda avaritia plebejis per usuras & fænora opprimerentur, famaq; & corpore creditoribus

addicerentur, & pœna invicem fidei cederent, summaq; immanitate, si unus ob debitam pecuniam adjudicatus, addictusq; pluribus creditoribus esset, corpore dissecaretur; adeò plebs afflicta fuit, ut non modò patritium, sed ne plebejum quidem magistratum peteret. Quare C. Licinio Stolone & L. Sextio tribunis pleb. decies continenter refectis decennali contentione velut ad Trojam certatum est, cùm de are alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio aquis portionibus persolveretur: item, ut Consul alterè plebe crearetur: tum maximè, ne quis plus quàm quingenta agri jugera possideret, neve majoris pecoris ultra centum, minoris ultra quingenta capita haberet: definitus est etiam numerus servorum & liberorum, per quos ea custodirentur. De numero jugerum Plinius dissidet in viris illustribus, cùm de Stolone loquitur. Hic finis promulgationis agraria, per tot contentiones, dissidia, dissensiones aqualitatis democratica caussa suscepta fuit;

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Nec ita multò pòst Stolo ipse lege sua damnatus est, quòd mille jugerùm agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset. Quando verò Licinia lex violari primùm & induci cœperit, manifestum non reperio. Satis tamen constat, cùm Q. Flaminius de Gallico & Piceno agro dividendis agraria promulgatione maximos tumultus excitarit, nec tamen pertulerit, non multis postea seculis viguisse. Itaque intra ducentos annos (licet interea toto terrarum orbe & divisiones agrorum quadam plebi Romana facta sint, & colonia, tum ad plebis sublevationem, tum ad imperii propugnationem, deducta) intra ducentos inquam annos Licinia lex de quingentis jugeribus penitus extincta & abrogata est, & patres & nobiles primùm conductis, deinde suis nominibus quantum potuerunt agri publici occupavere, insolétiaq; (quę legē Liciniā pepererat) eadē planè redsit, Italiaq; tota servis & barbaris per paucos occupata tenebatur, Rom. & Itali sūma egestate & inopia pressi

pressi miserã vitam trahebant. His igitur Reip. malis C. Lælius primus succurrere statuit: sed locupletum factione deterritus abstinuit, proptereaq; Sapiens est appellatus. Deinde Tib. Gracchus eam rogationem suscepit, adhibitis in consilium præstãtissimis civibus, Crasso Pontifice maximo, Mucio Scævola jurisconsulto tum Consule, & Appio Claudio socero: nec videtur lex ulla adversus tantam injuriam mitiùs ac leniùs præscribi potuisse. Nam quòd oportebat pro his quæ contra leges fecerant, pœnam subire, & quòd injuste tenuerant agros cum perceptis fructibus reddere; eos accepto precio dimitti, & egenis civibus tradi jubebat; cavebatque ne quis ex agro publico, plus quàm decem jugera possideret, ut Florus ait libro 58. Quanquam Appianus ait quingenta jugera civi Romano, & dimidium liberis, si quos haberet, lege Gracchi permissa: quod probabilius est, & Flori numerus potiùs mendosus est. Tiberii verò in illa suasione singularis ea paupertatis Romanæ lamentatio fuit, quæ apud Plutarchum in ipsius vita legitur. Feris quidem (ait) & bestiis Italiam habitantibus lustra sunt & antra, quò sese recipiant: iis verò qui pro Italia pugnant & intereunt, præter aerem & lucem in Italia nihil est; sed sine tecto, sine domo cum liberis & conjugibus vagantur. imperatores autem vestri mentiuntur, cùm milites hortantur ad prælium, ut pro sepulcris & aris prælientur adversus hostes. Nullus enim è tanto Romanorum civium numero paternos lares, nullus majorum suorum sepulcra retinet; sed pro aliena luxuria opulentiaque Romani pugnant, & mortes obeunt. cives Romani, orbis terrarum domini vocantur: at ne terræ glebam quidem possident. Hæc in Tiberii concione lamentatio fuit. Sed in ea promulgatione, sicut antea Cassius & Genutius, fraude locupletum interiit; ejusque interitus invidia Africanus, cùm Gracchi cædem probare videretur, non minore scelere per agrarios domestica cæde occubuit. Post Gracchi tamen cædem Senatus agrorum divisionem oppugnare destitit, permisitque ut agri dividerentur. Verùm callidis sophismatis (ut ait Appianus) locupletes plebi rursus imposuerunt. Lex enim perlata est

contra Gracchi leges, ut publicos agros possessoribus vendere liceret: qua occasione locupletes agros publicos partim emendo, partim per vim auferendo recuperavere. Tandem lata lex est, ne publici agri dividerentur in posterum, sed ex his vectigalia populo constituerentur, ac nō multò pòst per Sp. Thorium vectigalia ipsa omnino sublata sunt. Certatū est à Philippo & Titio de legibus Agrariis, nil actum. Anno pòst interitum Tiberii Gracchi decimo quinto L. Apulejus Saturninus tribunus plebis leges Agrarias adjutore Mario revocavit. Sed cùm se turbulētius in tertio tribunatu gereret, interemptus est. Nec longa pòst interposita mora Drusus Tribunus plebis nō divisione agrorum, sed deductione decem coloniarum contentiones maximas excitavit, easq; sua cade, ut Saturninus, finivit. Sylla secutus, quadraginta septem legionibus proscriptos agros in Italia non ex plebis lege, sed ex sua libidine & tyrannide assignavit. Postremùm autem anno 58 pòst obitum Gracchi, Rullus Tribunus plebis in Cōsulatu Ciceronis eandem actionem suscepit, cujus capita plurima fuerunt. Cicero quadragesimum secūda concione recitat. Ea lex tota quamvis non extet, quadam tamen ejusdem capita de Ciceronis his dissuasionibus colligi possunt. Quæ verò è Cicerone intelligi possunt, hæc sunt.

Tribunus legis agrariæ lator Decemviros per septemdecim tribus creato, & quem novem tribus fecerint, Decemvir esto.

Ut comitiis Pontificis Maximi.

Decemviratus candidati præsentes profitentor.

Curiata lege per primum Prætorem Decemviri ornantor.

Si fieri non possit, eodem tamen jure sunto, quo qui optima lege; nec intercedendi potestas esto.

Auspicii coloniarum deducendarum caussa Decemviri pullarios, ut lege Sempronia, apparitores, scribas, præcones, architectos, mulos, tabernacula, centurias, supellectilem; janitores ex equestri loco ducētos quotannis stipatores corporis habento.

Potestatem Prætoriā omnium rerum judicio sine provocatione

vocatione in quinquennium habento.

Omnia de quibus vendẽdis Senatusconsulta facta sint M. Tullio, Cn. Cornelio Coss. aut postea, vendunto.

Qui agri, quæ loca, ædificia, aliúdve quid extra Italiam publicum populi Romani factum sit L. Sylla & Q. Pompejo Coss. aut postea, vendunto.

Ager Recentoricus & Numidicus exceptus esto.

Quæ libera, quæ publica sint, judicanto.

Vectigalia populi Romani in omnibus provinciis vendunto.

Aurum, argentum, ex præda, manubiis, coronario, quæ neque relata sunt in publicum, neque in monimentum consumpta, ab imperatoribus repetunto.

Pompejus exceptus esto.

Ubicunque velint, auctionem proscribunto.

Eam pecuniam in ærarium ne referunto.

Agros qui arari, aut coli possint, in Italia coemunto.

Ab invito nil tangunto.

In coemptos agros plebem deducunto.

Quinque millium Romanorum coloniam Capuam deducũto, iisque agrum Campanum & Stellatem campum dividunto.

Quæ publicé data, donata, concessa, vendita, possessa post Marium & Carbonem Coss. ædificia, lacus, agri, stagna, loca, possessiones eo jure sint, ut quæ optimo jure privata sunt.

Hæc Servilia legis capita sunt in tribus Ciceronis orationibus. Multó autem plura fuisse testis est Cicero, qui quadragesimum caput facit, quod ultimum posuimus. Summa veró legis in quatuor capitibus sita est, creatione Decemvirum, venditione rerum publicarum, emptione agrorum, deductione coloniarum. Ad hanc legem antiquandam Cicero quatuor orationes adhibuit, nec tamẽ omnino tã legem, quám legis latorem oppugnavit. Nã tametsi in officiis Platonis sui oblitus, oligarchiæ senatoriæ (cujus tũ particeps erat) memor, ait capitalem orati-

onem esse, quæ ad æquationem bonorum pertineat; nec ea peste majorem in republ. posse existere: attamē nusquam in tribus orationibus ait iniquum esse plebem in agris publicis constitui; sed in Rullum vehementer invehitur, qui dubiis respubl. temporibus, neq; dum Syllana calamitate recreatis, novam tyrannidem legis Agrariæ nomine sibi & paucis sui consilii affinibus, ut C. Antonio fortasse, ut Catilinæ comparare videretur. Hæc enim deliberationis universa summa est, quæ magis è concione percipietur. Dicta autem est à Consule Cicerone hæc oratio Cal. Januar. in Senatu, ut apparebit in hac ipsa & secunda oratione.

M. T.

M. T. CICERONIS DE LEGE AGRARIA, CALENDIS JANUAR. CONTRA PUBL. Servilium Rullum Tribunum plebis, in Senatu, Oratio prima; Petri Rami prælectionibus illustrata.

Desunt permulta.

" & [c] *Quæ res aperté petebatur, ea nunc occultè cuniculis oppugnatur:* [f] & " *dicent enim* [d] *Decemviri, id quod & dicitur à multis, & sæpe dictum est, post eosdem Consules, Regis Alexandrini testamento regnum illud populi Romani esse factum.* "*Dabitis igitur Alexandriam* [c] *clàm petetibus iis, quibus apertissimé pugnãtibus restitistis? Hac,* "*per deos immortales,* [a] & " *utrùm esse vobis consilia siccorum, an vinolentorum somnia: & utrùm cogitata sapientum, an optata furiosorum videntur?*

MEDIA feré pars hujus orationis amissa est, ut conjici potest ex Agraria secunda. Caput enim de creandis Decẽviris amissum est, & nonnihil proximum caput de venditione agrorum, imperfectum.

Aperte petebatur] Allegoria est ab obsidione urbium, quæ vel aperta vi petuntur, vel cuniculis oppugnantur. Petere autem gladiatorum verbum est. Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, &, ut ajunt, corpore effugi? Cicero in Catilinam. *Cuniculis*] Fossas subterraneas, quibus civitas subeatur, hoc nomine significamus; vel á cuneis, quia fossis illis tanquam cuneis, civitas dividatur, aut á cuniculis animalibus: quod Martialis lib. 13. indicat,

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris:
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Dicent enim] Prolepsis est ex authoritate testamenti regii. Decemviros autem Rullus lege sua constituerat, de quibus oratione secūda copiosé. *Eosdem consules*] Cottam & Torquatum Consules significat, de quibus oratione secunda: Quód si Alexandria petebatur, cur nō eosdem cursus hoc tempore, quos L. Cotta & L. Torquato Coss. cucurrerūt. *Alexandrini*] Ptolemæus, Alexāder Appion, ut á Cicerone secunda oratione nominatur, Rex Cyrenarum & Ægypti, populum Romanum hæredem fecerat. Vide Livium lib. 70, & Justinum lib. 38. Nec Ptolemæus Auletes intelligi potest, qui non modó tum vixit, sed multis póst annis Romam venit, ut ex epistolis ad Lentulum constat. *Dubitis*] Conclusio proximæ reprehensionis, quæ dissimilium collatione augetur: ubi notabis insignem orbis concinnitatem. *Siccorum*] Siccos & sanos vocat oratores Atticos, & hic pro sapientibus dicit: quia splendor siccus, ut ab Heraclito citat Galenus, prudentiam mentis indicat. Aliquando tamen apud eundem siccitas orationis dicitur pro inopia & jejunitate: ut 2 de Nat deor. Neque enim flumine conturbor inanium verborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas.

Videte nūc proximo capite, [a]ut impurus helluo [c]turbet [a]Rempublicam, ut á majoribus nostris possessiones relictas disperdat & dissipet: ut sit nō minús in populi Romani [c]patrimonio [c]nepos, quám in suo. [c]&[a] Proscribit in sua lege vectigalia, quæ [c]Decemviri vendant, hoc est, proscribit auctionem publicorū bonorum: agros emi vult, qui dividantur, quærit pecuniā: [b]videlicet excogitabit aliquid, atq; afferet. nam superioribus capitibus dignitas populi Rom. [c]violabatur: nomen [d]imperii in commune odium [a]&[d] orbis terræ vocabatur: [a]urbes pacatæ, agri [d]sociorum, regum status [d]Decemviris donabantur: nūc præsens certa pecunia numerata quæritur. Expecto quid [d]Tribunus plebis [b]vigilans & acutus excogitet.

L. condonabantur:

tet." Veneat, inquit, sylva Scantia. Utrúm tandẽ hanc sylvam in relictis possessionibus, an in Censorum pascuis invenisti? si quid est quod[c] indagaris, inveneris, ex[c] tenebris erueris, quãquam iniquum est, tamen[c] consume sané; [c] quoniam commodum est, quoniam quidem tu attulisti. Sylvam veró tu Scãtiam vendas[d] nobis Consulibus, atq; hoc[a] Senatu?[c] tu ullum vectigal attingas? tu populo Romano [c] subsidia belli, tu[c] ornamẽta pacis eripias? tum veró hoc me[c] inertiorem Consulem judicabo, quám illos fortissimos viros, qui apud majores nostros fuerunt: quód quæ vectigalia illis Consulibus populo Romano[c] parta sunt, ea me consule ne retinere quidem potuisse judicabuntur.

VIDETE] Attentio est ad proximum locum ex Rulli factis & adjunctis. *Proscribit*] Proponit summam reliquorum capitum de venditione vectigalium, & emptione novorum agrorum in Italia; Rullumque ut hîc impudẽter hebetem deridet. *Dignitas*] Comitia per triginta quinq; tribus fieri solebãt; Rullus sua lege septemdecim tribus tãtúm adhibebat ad creãdos decemviros, in eoque dignitatẽ populi violabat. Considera autem hoc loco, an violare dignitatem populi & majestatem minuere, pro eodem dicatur *Veneat*] Prima proscriptorum reprehensio est de Scãtia sylva ex adjunctis:

Si vectigal Rullus proscriberet, tolerari posset:
At vectigal certissimum proscribit:
Tolerandum itaque non est.

Aquarum Scantiarum Plinius meminit lib. 2. Vide an ibi fuerit ea sylva. *Relictis*] Intellige possessiones relictas, legatás, quas populus tamen Romanus non adierit, neque possederit; ut Alexandrinum regnum relictum & legatum erat populo, tamen non possessum: vel intellige relictum, desertum, obsoletum, contemptum; quia relicta possessio, & in Censorum pascuis posita hîc opponuntur. Nec videtur intelligi posse, ut pauló antè á majoribus relictas.

Pascua] Pecunia ipsa á pecore appellabatur: Pascua etiam nunc in tabulis Censoriis dicũtur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat. Hæc Plinius libro 18, capite 3. Censores autem vectigalia locabant. *Sylvam*] Pro complexione hæc indignatio ponitur ex personarum adjunctis & genere rei, generisque adjunctis. *Subsidia*] Metaphora est á triariis, in quibus ad primarum acierum auxilium subsidentibus subsidium proprié dicitur. Hoc autem modo Cicero pro lege Manilia loquutus est de vectigalibus: Quibus amissis (ait) & pacis ornamenta, & subsidia belli requiretis. *Tum verò*] Collatio majorum est: Majores nostri in Consulatu suo hæc vectigalia pepererunt, Cicero Consul retinere non poterit?

Vendit[a] *Italiæ possessiones ex ordine omnes. Sané est in eo diligens: nullam enim prætermittit:*[c] *persequitur in tabulis Censoriis totam Siciliam:*[9] *nullum ædificium, nullos agros relinquit. Audistis auctionem populi Romani proscriptam á*[d] *Tribuno plebis, constitutam in mensem Januarium: &*[b] *credo, non dubitatis, quin idcirco hac ærarii caussa non*[9] *vendiderunt ii, qui*[a] *armis & virtute*[c] *pepererunt, ut esset quod nos*[d] *largitionis caussa venderemus. Videte nũc" quo ad fecerit*[c] *iter apertius quám antea. Nam superiore parte*[d] *legis quemadmodũ Pompejum*[c] *oppugnarent, á me*[9] *indicati sunt, nũc jam se ipsi indicabunt. Jubent venire agros Attaleensium atque Olympenorum. hos populo Romano Servilii fortissimi viri*[a] *victoria adjunxit. Deinde agros in Macedonia regios, qui*[1] *partim" T. Flaminii, partim L. Pauli, qui Persem vicit, virtute*[c] *parti sunt: deinde agrum" optimum & fructuosissimum Corinthium, qui L. Mummii*[a] *imperio ac felicitate ad vectigalia populi Romani adjunctus*

L. quó affectarit iter ap.

L. T. Flaminini.

fert. opimũ

ctus est: post autem agros in Hispania apud Carthaginem novam, duorum Scipionum [c]eximia [a]virtute possessos: tum ipsam veterem Carthaginem vendunt, quam P. Africanus [c] nudatam [d] tectis ac [d] mœnibus, [z]sive ad notandam Carthaginensium [c] calamitatem, sive ad testificandam nostram victoriam, [a]sive ad oblatam aliquam religionem, ad æternam hominum [a] memoriam [c] consecravit.

VENDIT] Proponit summatim tota Italię & Sicilię vectigalia proscribi, & εἰρωνικῶς Rullum laudat. *Audistis*] Commoratur in proscriptionis indignitate: argumentum ex fine εἰρωνικῶς tractatur. Majores videlicet ista conservarunt, ut nos profunderemus. *Largitionis*] Largitio generale nomen est. Sic Officiorum 2, Cicero ait, duo genera esse largorum, prodigos & liberales. Largitas idem significat. Aliquãdo per synecdochen pro specie capitur, & effusionem seu profusionẽ significat, ut hic: pro quo ut barbarũ notatur á nonnullis prodigalitas, quod á Lucilio prodigitas, á Tacito prodigentia dicitur. Sic in malam partem capitur largitor. Largitores & factiosos Cicero cõjũgit in Officiis: largitorem & prodigum in Catil. *Videte*] Queritur Pompejũ absẽtẽ bello Mithridatico excludi decemviratu, quia Rullus jubebat decemviros præsentes creari: ad quod probandũ colligit vectigalia permulta, quorũ postremum est de agris recenti victoria Pompeji comparatis. Interea veró cæterorum proscriptioni invidiã subjicit, ex authoribus qui eos pepererũt. *Attaleensium*] Attalia & Olympena, vel Olympus, urbes sunt in littore Pãphylio, quas P. Servilius Isauricus bello piratico ceperat. *Macedonia*] Macedonia in tribus regibus, Philippo, Perseo, Pseudophilippo, per Flaminium, Paulum, Metellum victa, & tandem facta populi Rom. provincia. Vide Flor. lib. 2, cap. 7 & 14. Paulus autem victor Macedoniam populo Rom. centũ talenta jussit pendere, quæ duplum pendere regibus cõsueverat, ut Plutarchus in Paulo. *L. Mummii*] Vide historiã in Floro, de bello Achaico, lib. 2, cap. 16. eadem belli sævitia Thebę & Chalcis dirutę sunt. *Carthaginẽ novã*[Duplex

Carthago in Hispania notatur á Ptolemæo, vetus in Tarraconensi, nova in Bætica. Veterem tamen Cicero hic intelligit in Africa, sicut in secunda Agraria patebit, cúm locus hic tractabitur. *Scipionum*] Qui octavo postquam venerant anno, Hispaniam subegerant, & tamen uno tẽpore ab hostibus oppressi & cæsi sunt. Vide Livium lib. 25. *P. Africanus*] Intellige Æmilianũ. Hic enim delevit Carthaginem, cúm superior tributariam fecisset. Notandę autem sunt hoc loco caussæ deletæ Carthaginis, quas Cicero recenset. Videtur tamen ad securitatem imperii Romani deleta, ut Cato censuit. Scipio autem (ut Appianus 1 lib. ait) ovium stabulis eam destinarat. Quod autem Cicero dicit ad æternam memoriam consecratam, ex aliquo Romanæ religionis carmine intelligendum est, quasi Scipio diris execrationibus devoverit locum ejus urbis, ne quando reædificaretur, & áb hominibus incoleretur; sicut Romę consecratus campus Martius, araque Marti erecta, quę religionem afferret; sicut in sacris literis de Jericho memoratur, cui dirutæ sic imprecatus est Josue: Maledictus vir coram Domino qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. Simile igitur aliquid fecit Scipio, cúm Carthaginẽ consecraret, & diis devoveret, ne in posterum incoleretur ab hominibus. & hac de re lex Papiria Romæ fuit, quæ prohibuit ædes, terram, arámve injussu populi consecrare. Hoc significationis genere sacra fames, sacrum caput dicitur.

His [c] insignibus, atq; [c] infulis [d] imperii venditis, quibus [c] ornatũ vobis majores vestri [a] Rempublicam tradiderunt, jubent eos agros venire, quos Rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaq; possederit. Nũ [c] obscuré videtur propé [a] hasta preconis [c] insectari Cn. Pompeji exercitum, qui venire jubeat eos ipsos agros, in quibus ille etiam nunc bellum gerat, atq; [c] versetur? al. nobis

HIS INSIGNIBUS] Transit ad Pompejanum vectigal, unde concludit dignitatem Pompeji violari. *Insignibus*] Insignia hoc loco significant vexilla, quæ portantur in

bello,

bello, quæ nobilitatis & gentis signa sunt, ut aquilæ, Romanorum insignia, qualia sunt etiam in nobilibus familiis propria. *Infulis*] Infula, fascia est in modum diadematū, à qua utrinque vittæ dependent, ut Servius 10 Æneid. in illo versu:

Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

Et 3 Georg.

Lanea dum nivea circundatur infula vitta.

Aliquando etiam sacerdotum est velamentum. His autem duabus metaphoris Cicero significat ornamenta imperii. *Mithridates*] Hic Rex annos 40 cum Romanis bellum ingens & vario eventu gessit, subactus felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeji. Vide Florum lib. 3, cap. 5. *Hasta*] Hastæ apud Rom. subjiciebantur, quæ publica auctione vendebantur. Aliquando per metonymiā pro ipsa auctione & venditione, ut hic: & ad Cassium, Cæsarem putabant molesté laturum, verentem ne hasta refrixerit. Et 4 Philipp. Quos non illa infinita Pompeji hasta satiavit.

Hoc veró cujusmodi est, quód ejus auctionis, quam constituunt, locum sibi nullum definiunt? Nam [d] *Decemviris, quibus in locis ipsis videatur, vēdendi potestas* [d] *lege permittitur, censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi Romani nō licet, his vendere vel in ultimis terris licebit? At hoc etiam nequissimi homines consumptis patrimoniis faciunt, ut in atriis* [7] *auctionariis potiús, quám in triviis, aut in compitis auctionentur. Hic permittit sua lege* [d] *Decemviris, ut in quibus commodum sit* [c] *tenebris, ut in qua velint* [a] *solitudine, bona populi Romani possint divendere. Jam illa omnibus in provinciis, regnis, liberis populis,* [a] *quám* [c] *acerba, quám* [a] *formidolosa, quám* [a] *quæstuosa concursatio* [d] *Decēviralis futura sit, non videtis? Hæreditatum obeundarum caussa, quibus vos legationes dedistis,*

qui & privati & privatum ad negotium exierũt, non maximis opibus, neq; summa authoritate præditi: tamen auditis profectò, quàm c graves eorum adventus sociis vestris esse soleant. Quamobrem quid putatis c impendere hac lege omnibus gentibus terroris & mali, cùm mittãtur in d orbem terrarũ d Decemviri summo cum imperio, summa cum avaritia, infinitaq; omnium rerum cupiditate? quorum cùm adventus c graves, cùm fasces a formidolosi, tum verò judicium ac potestas erit nõ c ferenda. & licebit enim, quod videbitur, judicare: quod judicarint, vendere: etiam illud, quod homines b sancti non facient, ut pecuniam accipiant, ne vendant, tamen iis id ipsum per legem licebit. Hinc vos quas spoliationes, quas pactiones, quam deniq; in omnibus locis c nundinationem juris ac fortunarum fore putatis?

Hoc verò] Deinceps amplificatur indignitas hujus auctionis ex circumstantia loci, qui certus non definitur: comparatio duplex est, prima minorum est. *At hoc etiam*] Secunda comparatio, ut prodigi nepotes, sic decemviri in occulto vendunt, similitudo est. *Auctionariis*] Auctionaria trivia, in quibus auctio fiat: sicut in Catilinam loquitur, Meo beneficio novæ tabulæ proferentur, sed auctionariæ; id est, per quas auctio fiat. *Compitis*] Servius in illo Virgilii versu 2 Georg.

Præmiaq; ingentes pagos & compita circum,

interpretatur compita quadrivia: quæ interpretatio videbitur hîc esse vera. *Hic permittit*] Redditio est similitudinis. *Jam*] Continuatur amplificatio propositæ indignitatis ex adjunctis. *Provinciis*] Tria politiarum genera hîc diversa sunt. Provinciæ Romano Prætore, regna rege, liberi populi suis legibus, sine Prętore, sine rege gubernabãtur; & liberos populos videtur appellare τιμοκρατικὰς aut δημοκρατικὰς, quos Aristoteles appellat, ut pro Rabirio perduellio-

duellionis reo dictum est. *Hæreditatum*] Comparatio minorum ad probationem propositorum malorum. significat autem legationes liberas, quæ honoris caussâ dabatur á Senatu titulo tenus ad obeundas hæreditates, prosequenda legata, exigenda nomina: quas Cicero 3 Legum vetat, Rei suæ ergo ne quis legatus esto. In epistolis ad Atticum 15 lib. significat quinquennales legationes illas lege Julia factas esse. Magistratibus autem populi Romani lege Julia definiti sumptus erant: de quibus Cic. lib. 5, ad Atticū, ep. 16: Levantur tamē miseræ civitates, quód nullus fit sumptus in nos, neq; in legatos, neq; in quæstorē, neq; in quenquā. scito nō modó nos fœnū, ut quod lege Julia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidē: nec præter quatuor lectos & tectū, quenquam accipere quicquā: multis locis ne tectū quidem, & in tabernaculo manere plerunque. Itaq; incredibilem in modū cōcursus fiunt ex agris, ex vicis, ex domibus omnibus. Mehercule etiam adventu nostro reviviscūt justitia, abstinentia, clemētia tui Ciceronis. *Quamobrem*] Redditio majorum, quæ deinceps explicatur enumeratione impendentium malorum, & hæc efficiendi facultate. *Summo cum imperio*] Summum imperium in Romana temporum illorum Republ. populi Romani fuit, in provinciis autem Consulū & Prætorum summum etiam fuit, á quibus provocatio nulla esset: & hoc ait nunc Cicero de his Decemviris, qui Prætoria ornabantur potestate, ut erit 2 Agrar. Vide quomodo merum imperium in legibus Justiniani possit cum hoc imperio summo congruere. *Fasces*] Decemviri prætoria authoritate decernebantur Agraria lege. Itaque singulis seni apparitores cum securibus & fascibus adessent. *Publicum judicare*] Publicum judicare dicit in Philippicis publicé possidendum censere, & mox dicet publicare: posteri confiscare illud dixerunt, ut Suetonius sæpissimé. *Nundinationem*] Metaphora usitatissima in Cic. pro manifesta venditione, quales rapinas in Antonio Cic. Philip. 2, reprehendit, Cujus domus quæstuosissima, falsorum commentariorum & chirographorum officina, agrorum, oppidorum, civitatum, vectigalium flagitiosissimæ nundinæ. Item, Cúm domi suæ turpissimo mercatu omnia essent vænalia. Et in Ver-

rem actione 3: Qui ab isto jus ad utilitatem suam nundinarentur.

Etenim quod superiore parte[d] legis[c] præfinitum fuit, Sylla & Pompejo Coss. id rursus[c] liberum, infinitumq; fecerunt. jubet eosdem Decemviros omnibus' agris publicis pergrande vectigal imponere, ut iidem possint & [c] liberare agros, quos commodum sit, & quos ipsis libeat publicare. quo in judicio perspici non potest, utrùm[a] severitas[c] acerbior, an[a] benignitas quæstuosior sit futura. Sunt tamen in tota [d] lege exceptiones duæ, non tam iniquæ, quàm suspiciosæ: excipit in vectigali imponendo agrum Recentoricum Siciliensem: in vendedis' agris eos" agros, de quibus cautum sit fœdere. hi sunt in Africa, qui ab Hiempsale possidentur. " Hic quæro, si Hiempsali satis est cautum fœdere, & Recentoricus ager privatus est, quid attinuerit excipi? sin & fœdus illud habet aliquam dubitationem, & ager Recentoricus dicitur nonnunquam esse publicus, quem putet existimaturum duas caussas in [d] orbe terrarum " repertas, quibus gratis parceret?

fort. agros, quibus caut.

L. repertas, quare his agris gratis parc.

ETENIM] Demonstratur eorum malorum facultas & licentia. Rullus capite superiore vendebat tantùm vectigalia post Syllam & Pompejum Coss. id est, vigintiquinq; proximis annis acquisita: proximo autem capite id tollebat, potestate permissa publicandi & liberandi quæ liberet. *Liberare*] Publicare & Liberare hîc opposuit: Publicare, id est, imponere vectigal ex seminibus, fructibus, pascuis; ut in argumento positum est: Liberare contrà, vectigalis immunitatem dare. Notabis hîc ut publicum & privatum, sic publicare & liberare contraria esse: & si à privato simili significatione diceretur privare, qua dicitur à publico publicare, idem hîc esset privare & liberare. *Quo in*] Concluditur indignitas propositorũ malorum. *Sunt tamen*]

In su-

In superiore capite exceptiones duæ reprehenduntur, ut inanes aut quæstuosæ. dilemmate ex caussis exceptionum reprehensio concluditur. *Agrum Recentoricum*] De hoc agro secunda Agraria plura dicentur: quemadmodum ejus possessores vetustate possessionis se, non jure; & misericordia Senatus, non agri conditione defendant: & quód agrum illum publicum esse fateantur, sed moveri possessionibus amicissimis, sedibus ac diis penatibus negent oportere. *Cautum est*] Possessoribus supple, ut proximus locus explicat, *Si Hiempsali satis est cautum fœdere. Hiempsale*] Hiempsal Rex Numidiæ, de quo Hircius in bello Africano, agros maritimos occupabat, quos Africanus publicarat. Postea tamen Cotta quodam fœdere Hiempsali liberarat, sed Hiempsal fœdus illud firmum non putabat, quia populus non jusserat; ut Caudinum, Numantinum, & similia fœdera rata non fuerant, quia populus non jusserat.

Nunc quisnam tam [c]abstrusus usquã nummus videtur, quẽ nõ [c]architecti hujusce legis [c]olfecerint? [a]provincias, civitates liberas, [a]socios, [a]amicos, [a] reges deniq, [c]exhauriunt: admovent manus vectigalibus populi Romani. non est satis. [11] Audite vos, qui amplissimo populi [a] Senatusq, judicio exercitus habuistis, & bella gessistis. quod ad quemq, pervenit, pervenerit, [a] ex præda, ex manubiis, ex auro coronario: quod [a] neq, consumptum in monumento, neq, in ærarium relatum sit, id ad [d]Decemviros referri jubet. Hoc capite multa sperant: in omnes Imperatores, hæredesq, eorum, [d] quæstionem suo judicio comparant: sed maximam pecuniam se á Fausto ablaturos arbitrantur. quam caussam [e] suscipere jurati [e] judices noluerunt, hanc isti Decemviri suscepere. idcirco á judicibus fortasse prætermissam esse arbitrantur, quód sit ipsis reservata. Deinde etiam in reliquum tempus diligentissimé sancit, ut

quod quisq; imperator habeat pecuniæ, protinus ad [a]Decemviros deferat. hic tamen excipit Pompejū: simillimé, ut mihi videtur, atq; in illa lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus [t]excipitur. nō enim hac exceptione unus afficitur beneficio, sed unus [e]privatur injuria.[u] Sed cui manubias remittit, hujus [t]vectigalia [c]invadit. jubet enim pecuniam, si qua post nos Consules ex novis vectigalibus[u] recipiatur, hac uti Decemviros. [b]quasi veró non intelligamus, hac eos vectigalia, quæ Cneus Pompejus adjunxerit, vendere cogitare.

L. prohibet

L. reficiatur,

al. redigat,

NUNC QUISNAM] Quodam capite imperatores rerū á se gestarum Decemviris rationem reddere jubebantur. Hoc igitur caput peracerbé reprehenditur, primúm cōparatione superiorū malorum tanquā leviorum & minorū. *Olfecerint*] Metaphora hæc referenda est ad *abstrusam*. ut venaticus canis feras, sic Rullus pecunias abstrusas olfacit. alioqui & *Architecti* & *Olfecerint*, dissimilis generis metaphoræ parum apté conjungerentur. Multo autē elegantius illud est in Verrem: Canes venaticos diceres, ita odorabantur omnia & pervestigabant. *Audite*] Apostrophe ad imperatores, quibus periculū hîc creatur. *Amplissimo*] Periphrasis est imperatorū. *Pervenit, pervenerit*] Videtur alterū redundare: in secunda autē oratione *pervenerit* non additur: sic tamen Romanæ leges loqui consueverūt. Nota enim sunt illa pro Cluentio, Sententiam dixit, dixerit: Qui eorum coit, coierit: Convenit, convenerit: Qui venenum malum fecit, fecerit. *Præda, manubiæ*] Marcellus putat prędam ipsarum rerum quæ capiuntur, esse corpora: Manubias autem pecuniam ex præda vendita redactam: quæ differentia videtur hîc observari. Manubias tamen sępe pro præda & spoliis Cicero, ut Chrysogoni & Verris manubias. Initio imperii bene meritis rectoribus provinciarum dabantur coronæ á provincialibus, postea pro corona aurum. Aliquando coronarium absoluté dicitur, ut secun-

secunda Agraria. Notabis autem hoc loco Romanarum legum severitatem, quomodo Rom. Imperatores & duces exercituum, rerum omnium rationem reddere cogerentur, etiam munerum & donorum; & tamē in monumenta consumere ut liceret, ad basilicas, porticus, theatra, arcus, templa, ac similia urbis ornamenta: ut per legem & peccare non liceret, & bene magnificeque facere liceret. *Hoc capite*] Demonstrantur adjunctæ huic capiti rapinæ. *Quæstionem*] Id est judicium de pecuniis repetūdis ad sese transferunt. sic Agraria secūda, Hoc capite etiam quæstionem de clarissimis viris, qui populi Romani bella gesserunt, judiciumq; de pecuniis repetundis ad Decēviros trāslatum videtis. *Fausto*] Sylla se Felicem cognominari jussit, gemellosq; sibi ex Metella susceptos, marem Faustum, femellam Faustam. Faustus igitur Syllæ filius infinitas opes ex tyrannide patris acceperat, ob quas hic locus indicat accusatum esse; sed ne Reipubl. status turbaretur, judicium omissum esse: & certé M. Lepidus acta Syllæ rescindere conatus est, sed oppressus est: & Cicero pauló póst in consulatu suo contra proscriptorum liberos oravit. De Syllæ rapinis & proscriptionibus vide Florum in bello Mariano. Mirabile autem judicium Dei fuit in hoc tyranno, qui ipse phthiriasi peremptus est, & filius Faustus, consumpto patrimonio, ære alieno oppressus est. *Deinde*] Proximo capite non solúm superiorum temporum imperatores, sed præsentium etiam comprehendebantur, & eorum futuræ manubiæ: Pompejus hinc excipiebatur. Tertiam igitur hanc exceptionem Cicero reprehēdit, quód per eam Pompejus non unus afficiatur beneficio, sed privetur injuria. Res similitudine declaratur. *Peregrini*] De hac lege 3 Offic. Cic. Malé etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere; quam legem tulerunt sapientissimi Coss. Crassus & Scævola: usu veró urbis prohibere peregrinos, sané inhumanum est. *Sed cui*] Correctio quædam est, quód non plané Pompejus excipiatur; quia manubiæ tantúm remittuntur, vectigalia ejus invaduntur. Syllogismi conclusio sic est:

Si qua Vectigalia post consulatum Ciceronis parta sunt, Decemviris traduntur:
Pompejana ejusmodi sunt:
Traduntur igitur Decemviris.

Quanta veró fiat Pompejo hîc injuria, ex 2 Agrar. percipietur, quód ei de rebus á se partis judicium, datio legũ, cognitio, jus deniq; imperatorium omnibus imperatoribus semper conservatum eripitur. *Invadit*] Sic aliás Cicero loquitur: repetit tamen non minús frequenter præpositionem ipsam, ut Invadere in arcem caussæ, ad Lentulum: Invadere in collum, in fortunas, 2. Philip.

L. omnibus rationibus & mod. *Videtis jam P.C.[a] omnibus rebus & modis[c] constructam & coacervatam pecuniam[d] Decemviralem.[c] Minuetur hujus pecuniæ invidia: consumetur enim in[3] agrorum emptionibus. optimé. quis ergo emet agros istos? iidem[d] Decemviri.[a] tu Rulle (missos enim facio cæteros) emes quos[3] voles, vendes quos voles: utrunq; horum facies quanti voles. cavet enim[b] vir optimus, ne[3] emat[a] ab invito.[b] quasi veró non intelligamus,[a] ab invito emere, injuriosum esse: ab non invito,[a] quæstuosum. Quantum tibi agri* L. etenim, si eg. *vendet (ut alios omittam) socer tuus?[a] & si ego ejus[b] æquitatem animi probé novi, vendet non invitus.[a] facient idem cæteri libenter, ut possessionis invidiã pecunia commutent: accipiant quod cupiunt: dent quod retinere vix possunt. Nunc prospicite[d] omniũ rerum infinitam atq; intolerandam licentiam. Pecunia[c] coacta est ad agros[3] emendos. ii porró ab invitis non ementur. si consenserint possessores non vẽdere,[10] quid futurum est? referetur pecunia? non licet. exigetur? vetat.*

Videtis] Hactenus de venditione rerũ: sequitur emptio reprehensa ex personæ adjunctis, quód Rullus sit hîc lubricé versaturus. Conquestio autem hujus loci, 2 Agraria planiús

planiús explicabitur, quód nunquam Romæ tanta commissa res sit, ut idem judicaret & venderet, idem alienaret & emeret, á quibus vellet. Dialogismus hoc loco est Rulli & Ciceronis. *Quasi verò*] Dilemmate reprehenditur proxima Rulli cautio. *Quantum*] Notat Valgium (de quo in tertia Agraria) socerum Rulli, ut in patrimonio nepotem, & tamen proscriptionibus Syllanis ditatum: totum enim Hirpinum agrum possidebat: & significat ob invidiā possessionum libenter esse venditurum. Cúm autem Sylla apud Sacriportum & Collinam portam 70 millia, in via publica 4 millia necavisset, 2 millia ex Senatorio & equestri ordine proscripsisset, Spoletum, Interamnum, Præneste, Fluentiam vendidisset, Sulmonem etiam funditus evertisset (ut Flor. lib. 3, cap. 21.) milites suos amplissimis possessionibus auxerat, quas póst ejus interitum vendere quoquomodo cupiebant, Syllanorum actorum rescissionem pertimescentes. *AEquitatem*] Æquitas hic animi moderationem & simplicem atque apertam bonitatem significat: quo ex genere sunt illa, Ex æquo & bono, Æqui bonique. *Commutent*] Aliquando præpositio repetitur, ut in epistola Sulpitii ad Ciceronem, Vitam cum morte commutare: Et pro Sextio, Cum patriæ charitate constantiæ gloriam commutare. *Nunc prospicite*] Exagitatur invidia infinitę pecuniæ, quód Decemviri tantam pecuniam retēturi sint. *Consenserint*] In malam partem Consentire hic dicitur, ut Conjurare & Conspirare, quomodo in Verrem actione septima dictum est de servis. Quos ipse cum consilio belli faciendi caussa consensisse judicavit. Et ibidem, Quid igitur? Nullíne motus in Sicilia servorum Verre Prætore, nullæne consensiones factæ esse dicuntur? *Referetur*] In secunda Agraria idem est, Referre in ærarium lex vetat, exigi prohibet.

[16] *Verum esto: nihil est quod non emi possit, si tātum des, quantū velit venditor.*[17] *Spoliemus*[d] *orbē terrarū, vēdamus vectigalia,*[e] *effundamus ærariū, ut locupletatis aut*[a] *invidiæ, aut*[a] *pestilentiæ possessoribus,*[16] *agri tamen emātur. quid tū?*[3] & [20] *quæ erit*

in istos agros’ deductio? quæ totius rei ratio atque descriptio? Deducentur, inquit,[a] coloniæ.’ Quot? quorum hominum? in quæ loca? quis enim non videt in coloniis esse hæc omnia consideranda?[u] Tibi nos, Rulle, & istis tuis harum omnium rerum [c]machinatoribus, totam [a] Italiam inermem tradituros existimasti? quam [a] præsidiis[u] confirmaretis,[a] coloniis occuparetis, omnibus[c] vinclis devinctam & constrictam teneretis? ubi enim cavetur, ne in Janiculo [a]coloniam constituatis? ne’ Urbem hanc urbe alia [c]premere atque [c]urgere possitis?[u] Non facimus, inquit. Primum nescio: deinde timeo: postremó non committam, ut vestro beneficio potiús, quám nostro consilio salvi esse possimus.

VERUM ESTO] Transitio est ad postremum legis caput, de coloniarum deductione, ubi superiora invidiosé conceduntur, & deductionis qualitas disquiritur. *Effundamus*] Proprié verbum hoc dicitur in aquis: Mare conglobatur undique æquabiliter, neque redundat unquam, neque effunditur: 2 de Nat. deor. metaphoricós effundere patrimonium, ærarium, quod Plautus prodigere dicit: Festo die siquid prodegeris, (ait) profesto egere liceat, nisi peperceris. Hinc effusio, quæ vulgó prodigalitas appellatur. liberalitatem effusio imitatur, ait in Partitionibus Cicero. *Deducentur*] Subjicitur per prolepsin qualitas deductionis, & reprehenditur ex adjunctis; quód loca, quód personæ non definiantur. *Tibi*] Invaditur jam apertiús in Rullum, tanquam his coloniis regnum sibi comparantem: quod universæ dissuasionis argumentum summum est ex Agrariæ legis fine. *Machinatoribus*] Ex Græcis μηχανὴ & μηχανάομαι, Latiné machina & machinor facta sunt: cujus generis metaphoræ sunt in Cicerone Architectus, Fabricator, Artifex. *Ubi enim*] Urget acriús propositam regni suspicionem, & dialogismo exornat. *Janiculo*] Janiculum primis regum temporibus extra Urbem fuit, trans Tiberim

rim ad occasum, postea in Urbem inclusum est.

Quód veró totam Italiam vestris [a] *coloniis* [c] *cōplere voluistis, id cujusmodi esset, neminémne nostrûm intellecturum existimastis? scriptum est enim,* [7] *quæ in municipia, quasq; in colonias* [d] *Decemviri* [8] & [11] *velint, deducant colonos quos velint: & iis agros* [c] *assignent, quibus in locis velint: ut cúm totam Italiam militibus suis occuparint, vobis non modó dignitatis retinendæ, sed ne libertatis quidem recuperandæ spes relinquatur. Atq; hæc á me suspicionibus & conjectura coarguuntur. Jam* [7] *omnis omnium tolletur* [c] *error: jam aperté ostendent, sibi nomē hujus Reipublicæ, sedem* [d] *Urbis atq;* [d] *imperii, deniq;* [7] *hoc templū Jovis Optimi Maximi, atq; hāc* [c] *arcem* [d] *omnium gentiū displicere. Capuam deduci colonos volunt. Illam* [9] *urbem huic Urbi rursus opponere, illuc opes suas* [10] *deferre, & imperii* [d] *nomen* [c] *transferre cogitant. qui locus propter* [c] *ubertatem agrorum, abundantiamq;* [d] *rerum omnium,* [2] *superbiam & crudelitatem* [c] *genuisse dicitur: ibi nostri coloni delecti ad omne facinus á* [d] *Decemviris collocabūtur. Et,* [b] *credo, quæ in urbe* [d] *homines in veteri dignitate* [a] *fortunaq; nati, copiā rerum moderaté* [c] *ferre non potuerunt, in ea isti vestri satellites modesté insolentiam suam continebūt? Majores nostri Capua magistratus,* [c] *Senatum, consilium commune, omnia deniq;* [c] *insignia* [a] *Reipub.* [c] *sustulerunt, neq; aliud quicquā nisi inane nomen Capuæ reliquerunt: nō crudelitate (quid enim illis fuit clementius, qui etiā externis hostibus victis sua sæpissime reddiderunt?) sed consilio: quód videbant, si quod Reipublicæ* [c] *vestigium illis* [d] *mœni-*

bus contineretur, urbem ipsam imperio [c] domiciliũ præbere posse. Vos hæc, nisi [c] evertere [a] Remp. cuperetis, ac vobis novam dominationem comparare, [b] credo, quàm perniciosa essent, non videretis." quid enim cavendum est in [a] coloniis deducendis, [a] si luxuries Annibalem ipsum Capuæ corrupit? si [a] superbia nata inibi esse ex Campanorum fastidio videtur? si præsidium non [10] præponitur huic urbi ista colonia, sed opponitur?

fort. quid enim non cav.

QUOD VERO] Repetit illum tyrannicum finem legis Agrariæ, & easdem ejus facultates ea lege ipsa declarat. *Municipia*] Omnes aliæ urbes, quæ civitatis Rom. jus habebant, Romana municipia dicebantur. Sic Cicero ait 2 Legum, Omnibus municipibus duas esse patrias, unam naturæ, alteram civitatis, ut Cato ortu Tusculanus, civitate Romanus. Cicero Arpini natus in populi Romani civitatem susceptus, habuit alteram loci patriam, alteram juris, & municeps populi Romani fuit: ut Juvenalis de Cicerone ait:

Hic novus Arpinas ignobilis, & modò Romæ
Municipalis eques.

NON MODÒ] In hoc genere comparationis protasis aliquando duas negationes habet: Non modò hujus libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidẽ: pro Rabirio perduellionis reo. Aliquando posterior reticetur: ut, Non modò in judicium horũ criminum, sed ne in tenuissimã quidem suspicionẽ verbo est unquã vocatus: Ibidẽ, Sic isto loco non modò dignitatis retinendæ, sed ne libertatis quidẽ recuperandæ. Cùm tamen secus intelligẽda sit protasis; non modò dignitatis nõ retinendæ. Nec artis est ista regula, sed usus elegans licẽtia. *Atq;*] Transitio ad attentionẽ ex comparatione superioris argumenti, tanquã minoris cõsequente. *Hujus Resp.*] Periphrasis est Romæ ex adjunctis proprietatibus. Roma Decemviris displicet, Capuam volunt imperii sedem facere. Quantum autem tum fuerit Romanis animis affectati regni argumentum,

sequentia

sequentia declarant: primúm ex loci adjunctis, quód Campanus ager sit tam fertilis, tam abundans. *Templum*] Varro apud Gellium lib. 14, cap. 7, docet Senatum in loco tantúm auspicato & augurato justum esse, ut in curia Hostilia, Pompeja, Tullia, quod templum dicitur; nec omnes ædes sacras esse templa. Ovidius tamen 1 Fastorum inquit,

Sancta vocant augusta patres, augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu.

Rursus opponere] Secundo bello Punico Capua Annibalē adversus Romanos excepit, & magna difficultate recepta est. Vide Livium 3 Decad. lib. 6. *Ubertatem*] Omnium nō modó tota Italia, sed toto terrarum orbe pulcherrima Campaniæ plaga est. Nil mollius cœlo, denique bis floribus vernat: nil uberius solo, ideo Liberi Cererisque certamen dicitur: nil hospitalius mari. Hîc illi nobiles portus, Cajeta, Misenus, & tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus & Avernus, quædam maris ocia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omniū Vesuvius Ætnęi ignis imitator: urbes ad mare, Formię, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipsa caput urbiū Capua, quondā inter tres maximas, Romam, Carthaginemq; numerata. Hæc Flor. lib. 1, cap. 16. *Et credo*] Comparatio majorum est. *Insolentiam*] Propria significatio est, quomodo Cic. pro Dejotaro dixit, Moveor etiam loci ipsius insolentia. Et 1 Oratorio, Sed mehercule istius disputationis insolentia, atque earū rerum, quæ quasi in arte traduntur, inscitia. Sic loquutus Cęsar, Insolens & inauditum verbum tanquam scopulum fugiendum admonebat. Ergo insolētiam Cicero dicit insolitas & novas opes. *Majores*] Alia ejusdem rei probatio ex authoritate Senatus, qui delendam Campanam Remp. censuit, ne sedes fieret imperii. *Magistratus*] Hîc tria Reipub. insigniá, sicut aliás sępe comprehendit: Magistratus, quorum proprié est imperium; Senatum, ad quem deliberatio pertinet; Consilium, quo lites & controversiæ civium disceptantur. Capua autē ædificiis sęruata est, ut aratoribus receptaculū, rusticis nūdinas, cellam & horreū agro Campano præberet, ut erit oratione 2. Livius idem lib. 6, Decad. 3. *Non crudelitate*] Dissimilitudo

eſt, cujus protaſis adverſis, apodoſis adjunctis approbatur. *Crudelitate*] Severitas tamen magna fuit in Flacco Conſule, quamvis Appius collega diſſentiret, & Senatus Rom. literas ſcripſiſſet. Nam ſeptuaginta principes Senatus virgis cæſos ſecuri percuſſit, trecentos nobiles in vincula conjecit, qui miſeris caſibus interiére, reliquos cives vendidit. *Externis hoſtibus*] Hujus rei laus apud Liviũ eſt libro tertio, Decade quarta, de reddita Græcis libertate, qui mirabantur aliquam in terris eſſe gentem, quæ ſua impenſa, ſuo labore ac periculo bella gereret pro libertate aliorum, ne quod toto orbe terrarum injuſtum imperium ſit, & ubiq; jus, fas, lex potentiſſima ſit. *Vos*] Complexio enthymematis contraria Senatus exemplo. *Quid enim*] Commoratur in propoſitis circunſtantiis, addito Annibalis veluti rei majoris exemplo. *Luxuries Annibalem*] Adeó ut veré dictum ſit, Capuam Annibali Cannas fuiſſe, ut Florus ſecundo bello Punico ait.

At quemadmodum armatur, [ss] dii immortales? nam bello Punico quicquid [s] potuit Capua, potuit ipſa per ſeſe. Nunc omnes urbes quæ circum Capuam ſunt, á colonis per eoſdem Decemviros occupabuntur. Hanc enim ob cauſſam permittit ipſa lex in omnia [t] quæ [s] velint oppida, colonos ut [d] Decemviri deducant quos velint. atq; his colonis agrũ Campanum, & Stellatem campum dividi jubet. [a] Non queror diminutionem vectigalium, nõ flagitium hujus [c] jacturæ atq; damni: [ss] prætermitto illa quæ nemo eſt quin [c] graviſſimé & veriſſimé cõqueri poſſit, nos [c] caput [c] patrimonii publici, pulcherrimã populi Romani poſſeſſionem, [c] ſubſidium annonæ, horreum belli, ſub [c] ſigno clauſtriſq; Reipublicæ poſitum vectigal, ſervare non potuiſſe: eum denique nos agrum P. Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe, & Syllanæ dominationi, & Gracchorum largitioni reſtitiſſet. non dico ſolum hoc in [a] Republ. vectigal eſſe,

galesse, quod amissis aliis[u] *remaneat, intermissis nõ* [c]*conquiescat:*[a] *in pace* [c]*niteat, in bello nõ obsolescat:* [d]*militem* [c]*sustentet,* [d]*hostem non pertimescat.*[u] *Prætermitto omnem hanc orationem, & cõcioni reservo, de periculo salutis ac libertatis loquor. Quid enim existimatis*[u] *integrum vobis in Republica fore, aut in vestra libertate ac dignitate retinendum, cùm*[y] *Rullus, atq; ii, quos multò magis quàm Rullum timetis,*[z] *cum omni egentium atq; improborum manu, cum omnibus copiis, cum omni*[a] *argẽto & auro, Capuam, & urbes circa Capuam occuparint?*

fort. aut integr.

At quemadmodum] Alia confirmatio ex oppidis adjũctis, quæ potentiã dominationis augeant. *Omnes urbes*] Urbes hę sunt, Formię, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneũ, Pompeji. *Hanc enim*] Accommodatur authoritas legis ad proximam probationem. *Atque his*] Commoratur in eodem argumento, sed dissimilitudinis forma variato. Non conqueror vectigalia Romanorum, sed Rempublicam Romanam perire. Protasis habet ἀπόφασιν perpetuam ex adjunctis loci, &c. *Campanum & Stellatem*] Hos agros postea Cæsar Consul divisit viginti millibus civium, quibus essent terni, pluréśve liberi: & collegam Bibulum obnunciantem armis foro expulit. Suetonius in Julio, capite vigesimo. *Campum*] Campus ab agro distinguitur. Campus enim planities est vel agrorum, vel pratorum. Sic secundo de Divinatione Cicero, Ut enim Ægyptii & Babylonii in camporum patẽtium æquoribus habitantes. *Annona*] Annona, annua alimonia est frumenti, vini, cæterarumque rerum. Hoc nomine putat Budæus bursas in Gymnasiis Parisiensibus, quæ vocantur, Latinè dici posse, tametsi Latiniùs annua: & sic Ulpianum dicere, Si cui annuum fuerit relictum sine adjunctione summæ, nihil videri huic relictum. *Signo claustrisq;*] Signum & claustrum propriè dicitur, quo signamus & claudimus literas, lagenas, arcas. Librum tuum

habeo ſub ſigno, ſervoque diligentiſſimé, ait ad Atticũ Cicero. His itaq; metaphoris ſignificat vectigal Campanum eſſe tutiſſimum, quod apertius [illegible] Agraria 2, cúm dicit, Tãquam domi eſſe, & omnibus p[illegible]diis oppidorum tegi. *Reſtitiſſet*] A reſto reſtas: id eſt [illegible] fuiſſet: ut Sylla, quamvis in Republica dominus & tyrannus; ut Gracchi, quamvis in publico patrimonio profuſi nepotes, tamen non attigerint. *Non dico*] Amplificatur ſub eadem figura eadem protaſis aliis adjunctis. *Concioni*] Denunciat Tribunis plebis futuram concionẽ, & diſſimilitudinis ἀπόδοσιν conſtituit de periculo Romanę Reipub. cujus efficiendi facultatem oſtendit. *Retinendum*] Vide an participium ſit futuri temporis. Nullum autẽ adhuc participium in *dus* reperi. Nomina enim hæc omnia ſunt, ut Linacer doctiſſimé docuit. *Quos multó*] Indicat C. Antoniũ collegã, qui Decemviratũ affectavit, ut Plutarchus in Cicerone ait: Indicat Catilinã & liberos proſcriptorum qui tum cõmovebantur.

[27] *His ego rebus Patres conſcripti reſiſtam vehementer, atq;* [c] *acriter, neq; patiar* [d] *homines ea me Conſule* [c] *expromere, quæ contra* [a] *Rempubl. diu cogitarint.* [21] & [c] *Erraſtis Rulle vehementer* [2] *&* [2] *tu & nonnulli collegæ tui, qui ſperaſtis vos contra* [d] *Cõſulem veritate, non oſtentatione* [e] *popularem, poſſe in* [c] *evertenda Republ. populares exiſtimari.* [27] *Laceſſo vos, in concionem voco: populo Romano diſceptatore uti volo. Etenim ut* [c] *circunſpiciamus omnia quæ populo grata atq;* [e] *jucunda ſunt, nihil tam populare,* [2] *quám pacem, quám concordiam, quám ociũ reperiemus.* [21] & [c] *Solicitam mihi civitatem ſuſpicione, ſuſpenſam metu,* [c] *perturbatam veſtris legibus, & cõcionibus, & ſeditionibus tradidiſtis: ſpem improbis oſtendiſtis: timorem bonis injeciſtis: fidem de foro, dignitatẽ de Republ. ſuſtuliſtis. Hoc motu atq; hac* [c] *perturbatione animorum atq; rerũ* [2] *cúm populi Rom.* [2] *vox & authoritas* [d] *Conſulis repentè in*

te in tantis c tenebris illuxerit: cùm ostenderit nihil esse metuendum, 7 nullum exercitum, nullam manum, nullas a colonias, nullam venditionem vectigalium, a nullum imperium novum, 7 nullum regnum Decemvirale, nullam alteram Romam, neque aliam sedem imperii d nobis Consulibus futurã, summamq; tranquillitatem pacis atq; ocii: b verendum credo nobis erit, ne vestra ista b praclara lex Agraria magis popularis esse videatur? Cùm veró scelera a consiliorum vestrorum, fraudemq; d legis, & insidias, quæ ipsi 7 populo Romano á b popularibus Tribuni plebis fiant, ostendero: pertimescam b credo, ne mihi non liceat contra vos in concione consistere? præsertim cùm mihi deliberatum & constitutum sit, ita gerere consulatum, quo uno modo geri c graviter & liberé potest, ut a neque provinciam, neq; honorem, neq; ornamẽtum aliquod, aut commodum, neque ullam rem, quæ á Tribuno plebis c impediri possit, appetiturus sim. 17 Dicit frequentissimo Senatu d Consul, Calendis Januariis, sese, si status hic Reipubl. maneat, neq; aliud negocium extiterit, quod honesté c subterfugere non possit, in provinciam non iturum. Sic me in hoc magistratu" geram populi Romani, ut possim Tribunum plebis a Reipublicæ iratum c coercere, mihi iratum contemnere.

al. geram populo Rom. L. geram, P. C. ut poss. *id est, patres conscripti.*

HIS EGO] Peroratio deinceps tota feré ad agrarios perterrendum. Loco itaque complexionis, *Quare lex Agraria ferenda non est*: sequitur ad gratiam bonorũ, terrorem malorum, egregia boni Consulis significatio. *Expromere*] Vulgó id exequi vel ponere in effectu dicimus. 7 act. sic loquitur, Expromere supplicia in cives, quæ constituta erant in convictos maleficii reos. Et pro Milone, In

meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam. *Errastis, Rulle*] Apostrophe est, qua disputat non agrarios, sed se popularem esse. Argumentum est ex quadam popularis definitione:

Popularis est qui pacem populi tuetur:
Tribuni non tuentur, Cicero tuetur:
Non igitur Tribuni populares, sed Cicero.

Veritate] Sic in Finibus, Ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur. Et pro Domo sua, Majores quidem nostri, qui non ficté & fallaciter populares, sed veré & sapienter fuerunt. *Disceptatore*] Disceptandi verbum dialecticum totum est: & dialectica ut disputatrix à Quintiliano, sic disceptatrix à Cicerone dicitur. Disceptare itaq; modó ad oratores refertur in accusando, defendendo, pro disserere ac disputare: ut in 2 Agraria, Utrúm oratio ad ejus rei disceptationem deerit? ut etiam in Academico, Qua de caussa definitiones ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant. modó ad judicem refertur, pro judicare: ut pro Milone de Pompejo judice, Isti quæstioni præpositus est, qui hæc justé sapienterque disceptet. hinc disceptator, id est, rei sententiæque moderator, ut in Partitionibus ait Cicero: & ad Sulpitium, Te arbitro & disceptatore uterentur: quomodo hic populum Romanum disceptatorem dicit judicem. *Quæ populo grata*] Periphrasis est popularis. *Solicitam*] Assumtio est contra Tribunos, qui publicam pacem conturbant, quod eorum factis probatur. *Fidem*] Fides in hoc dictionis genere significat, quod vulgó dicimus securitatem, protectionem, salvam gardiam. Quomodo Cicero in Officiis ait, Capere in fidem devictas bello nationes: conferre se in fidem & clientelam alicujus, pro Roscio. Fori fides igitur sublata, significat authoritatem judiciorum & tutelam sublatam. *Hoc motu*] Assumtio pro Cicerone, qui publicam pacem tuetur: quod ejus factis approbatur. *Verendum*] Complexionis sententia de Tribunis, quód populares non sint. *Cum vero*] Sententia complexionis pro Cicerone, quód popularis sit: ubi eadem ejus facta reperiuntur, & confirmatio additur ex libera quadam animi testificatione, quód ab omni cupiditate liber sit futurus. *Neque provinciam, neq; honorem*]

Locus

Locus eſt idem in Catilinam latiús expoſitus: Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego á vobis præmium virtutis, nullum inſigne honoris, nullum monimentum laudis poſtulo, præterquam hujus diei memoriam veſtram ſempiternam. In animis veſtris omnes triũphos meos, omnia ornamenta honoris, monimenta gloriæ, laudis inſignia condi & collocari volo. nihil me mutum poteſt delectare, nihil tacitum: nihil denique ejuſmodi, quod etiam minús digni aſſequi poſſunt. Significat igitur Cicero ſe pro Rep. omnes Conſulatus ſui fructus deſpecturum. *Dicit*] Aſſeverat proximam teſtificationem parrheſia etiam majore. *Frequentiſſimo*] Plutarchus in Gracchis indicat trecentos minimúm ſenatores fuiſſe, cúm ait, trecentos equites pariter cum Senatoribus judices factos. *In provinciam*] Nec revera ivit, eamque rem inter præcipuas Conſulatus ſui laudes in Piſonem numeravit. Ego provinciam Galliam (ait) Senatus authoritate, exercitu & pecunia inſtructam & ornatam, quam cum Antonio communicavi, quód ita exiſtimabã tempora Reipublicæ ferre, in concione depoſui, reclamante populo Romano.

[21] *Quamobrem,*[21] *per deos immortales,*[c] *colligite vos, Tribuni plebis:* [7] [11] *deſerite eos á quibus, niſi proſpicitis, brevi tempore deſeremini:*[c] *conſpirate nobiſcum, conſentite cum bonis,*[7] *communem Rempublicam communi ſtudio atque amore defendite.*[2] [11] *Multa ſunt occulta Reipublicæ*[c] *vulnera, multa nefariorum civium pernicioſa conſilia: nullum externum periculum eſt,*[2] *non rex, non gens ulla, non natio pertimeſcenda eſt:*[c] *incluſum malum,*[c] *inteſtinum ac*[c] *domeſticum eſt: huic pro ſe quiſque noſtrúm*[c] *mederi, atque hoc omnes*[c] *ſanare velle debemus.* [c] *Erratis ſi*[a] *Senatum probare ea quæ dicuntur á me putatis, populũ autem eſſe in alia voluntate. Omnes qui ſe*[c] *incolumes volent,*[c] *ſequentur*[a] *authoritatem*[d] *Coſ. ſoluti á cupidita-*

L. deliciis, *tibus, liberi á[a] delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus. Quód si quis vestrûm[10] spe ducitur, se posse[c] turbulenta ratione honori[c] velificari suo, primúm me Consule id sperare desistat: deinde habeat me ipsum sibi documento, quem Equestri ortum loco cos. videt, quæ vita[c] via facillimé viros bonos ad honorem dignitatemq́;[c] perducat. Quód si vos vestrum mihi studium P. C. ad communem dignitatem defendendam[c] profitemini, perficiam profectó id quod maximé[a] Respubl. desiderat, ut hujus[a] ordinis[a] authoritas, quæ apud majores nostros fuit, eadem nunc longo[c] intervallo[a] Reip. restituta esse videatur.*

QUAMOBREM] Probata popularitate Tribunos cohortatur ad meliores Reip. partes. Argumentum est ex conjugatis. Colligere autem se quid sit, Cic. Tuscul. 4 definit. Quid est autem seipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursus in suum locum congerere? *Conspirate nobiscum*] Verbum medium est. Aliás enim sumitur in malam partem. Sic Brutus ad Ciceronem, Contra sceleratissimam conspirationem confligamus. Sic in eo Virgilii loco,

—Simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium:—

ait Servius Conjurare τὸν μίσων esse. Et Horatius dixit,

—Alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicé.

Considerandum tamen est, an oratoria exempla ejusmodi reperiantur. *Multa sunt*] Aliud argumentum ex adjunctis malis, quæ dissimilibus ornantur: ubi allegoria est ex arte medica. Conjurationem autem Catilinæ intelligit, de qua similiter Catilinaria 2 dicit, Omnia sunt externa, unius virtute, terra marique pacata: domesticum bellum manet: intus insidiæ sunt, intus inclusum periculum est, intus est hostis: cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est. Et pro Muræna idem, Intus, intus (inquam) est equus Trojanus, á quo nunquam me Consule dormié-

tes opprimemini. *Externum*] Notabis hoc loco Externum & Intestinum contraria, pro barbaris Extrinsecum & Intrinsecum. Extrinsecùs enim & Intrinsecùs adverbia sunt:ab Extra fit Externus:ab Intra considera an fiat Internus:exemplum enim non occurrit. *Erratis*] Opponuntur majores bonorum facultates ad eãdem probationem. *Quòd si quis*] Opponitur studium Ciceronis & exemplũ. *Velificari*] Allegoria est á temeré navigantibus,qui vel tẽpestatis tempore vela facere non dubitent: quód naufragio affine periculum sit. Sententia itaque Ciceronis est, Si quis turbulento Reip.statu honori suo studeat,& ad dignitates aspiret, &c. Cicero autem non solúm composito verbo utitur,sed partibus ejus separatis. Malum erigi,vela fieri,præcidi anchoras imperavit: 7 actione. Et Virgilius,

Vela facit tamen, & plenis subit ostia velis.

Eadem verbi forma Cælius ad Ciceronem usus est, Ne velificatus alicui dicaris. Plinius tamen sæpissimé dixit Velificare. *Documento*] Ciceronis (ait Plutarchus) dives & splendida mater fuit, pater in taberna fullonaria educatus, cujus quidam genus referunt ad Tullium Volscorum regem. Sed hanc originem regiam Cicero videtur in Bruto refellere,cúm deridet humiliores homines,qui sese in alienum ejusdem nominis genus infunderẽt: ut si ego me(ait) á M.Tullio esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpitio Consule, anno decimo post exactos reges fuit. ergo qui patricii generis originem agnoscere non audet, qui reges majores assereret? *Equestri loco*] Equester ordo census erat non nobilitatis: & cui census erat quadringentorum millium,eques erat:& in politia Rom.patricius & plebejus contraria,item nobilis & novus: potestque ex equestri ordine esse ignobilis & novus, ut Cicero: item nobilis & plebejus, ut postea patebit. *Quòd si*] Concludit orationem in obtestatione patrum & professione diligentiæ suæ. *Profitemini*] Profiteri,est prolixé & liberé polliceri.Impudentiæ est profiteri,quod non possis implere, pro Cluentio. Et ad Licinium, similiter atq; hic, suũ studium in omni genere officii profiteri atque polliceri, dictum est.

ANALYSEOS RHETORICæ & Dialecticæ in Agrariam primam summa.

SI dum caussa hæc Romæ ageretur, foris alicubi rusticati essemus, reversi domum quæreremus quis exitus deliberationis, & quãobrem fuisset? ὅτι καὶ διότι, quia & quamobrem, in disciplinis has quæstiones Aristoteles appellat: nos hîc specie quadam sequi possimus. Agrarii vero (ut Plutarchus ait) sic ista deliberatione territi sunt, ut contra Ciceronem dicere nil ausi sint. Quod in perorando videtur orator eo loco significare, *Lacesso vos, in concionẽ voco: populo Romano disceptatore uti volo.* Ergo id ὅτι & eventus. Quamobrem autem Cicero sic terruerit, caussæ principes in actione & Consulis authoritate fortassis fuerunt: quæ veró sint in hac oratione, adhuc é singulis partibus in rhetorica elocutione troporum & figurarum, in logica topicæ inventionis & analyticæ dispositionis subductione breviter animadversum est. Qui veró fuerit Rhetoricæ & Logicæ studiosius, pleniorem utriusque artis sensum capiet, si Aristotelica principia ἐπαγωγὴν, ἱστορίαν, ἐμπειρίαν, inductionem, observationem, experientiam secutus, in unam summam colliget universa, quæ singula perlegerit. E tropis adhiberi feré decies Ironiam, quadragies Metonymiam, Synecdochen frequentiús, Metaphoram frequentissimé cognoscet. Modificationis veró gratiam in Synecdoche & Metonymia magnam, sed in Ironia ex simulatione majorem, in Metaphora veró ex similitudine rerum maximam, sed in geminatis uberiús intelliget. E figuris verborum repetitiones in Anaphora minimúm vicies, commutationem in Polyptoto tricies, in reliquis generibus aut nusquam, aut certé semel bisve summum videbit. Numerum veró paulό insigniorem feré vicies. E figuris sententiarum Apostrophen quater: Prolepsin, Præteritionem, Licentiam ter: Prosopopœjam, Dialogismum, Exclamationem bis: reliquas non aspiciet. Atque hac enumeratione, quæ rara, quæ frequentia sunt ornaměta, quasque vires habeant, intelliget. Atque ista Aristotelica observatione & experientia artem sibi quandam efficiet. Majore

jore etiam diligentia species argumentorũ ad suum quãq; locum referet. Caussa est in fine ter, in efficiente sæpius: Facta, adjuncta, sæpissimé: Subjectum & dissentaneum semel tantúm: Comparata in paribus semel, in majoribus sæpé, in minoribus sæpius, in similibus rariús, in dissimilibus frequentissimé: Notatio semel, Conjugatio bis, Partitionis & definitionis licet obscuriora, tamẽ exempla quædam sunt: Testimonium bis aperté positum est. denique licét non species omnes, attamen nullum genus est argumenti, nullaq; pars est topicæ inventionis, cujus exempla in hac oratiuncula non reperiat. Analyticæ dispositionis ars est minor: Plurima naturæ judicio contenta sunt, paucissima syllogismum requirunt: etsi requirant, attamen ut in oratione *ego* & *tu*, sic in ratiocinatione propositio, aut assumtio, aut conclusio sæpiús intelligitur, quám exprimitur. Simplices tamen & connexi syllogismi interdũ pleni sunt, atq; hæc prioris analyseos: posterioris autem artificiosa methodus & collocatio (etsi in his fragmentis comparere admodum nulla potuit) rerũ tamen capita proponuntur, transitiones interponuntur. Quapropter hac inductione ἀπόδειξιν διότι (quoad res proposita patitur) habebimus: Quãobrem Ciceronis oratio laudetur. Ergo diligens Rhetoricæ Logicæq; discipulus, Aristotelica in his & consimilibus exemplis ἐμπειρίᾳ καὶ ἱστορίᾳ, duas res summas assequetur, ut Rhetoricam & Logicam meliús & veriús intelligat, cúm viderit parenti usui congruere: utq; utriusque artis usum, cognitis præstantium authorum exemplis, faciliús promptiúsq; exerceat.

M. T. CICERONIS DE LEGE AGRARIA CONTRA P. SERVILIUM RULLUM TRIBUNUM plebis, ad populum, Oratio ſecunda; P. Rami prælectionibus illuſtrata.

ARGUMENTUM.

ARGUMENTUM *hujus Orationis cum ſuperiore par & idem eſt. Ergo cùm à Tribunis ſuperiore deliberatione exterritis, tamen in concionem Cicero vocaretur, quaſi populo diſceptatore ſuperiores eſſent in cauſſa futuri: Cicero Senatum ſe ſequi juſsit, ejuſq; comitatu ſeptus, in concionem venit, & hanc magnificam orationem habuit. Hic quippe vir maximè Romanis oſtendit, quãtum voluptatis oratio cum honeſtate conjungat, juſtumq; (ſi bono oratore defendatur) inſuperabile prorſus eſſe. Ac certe verum principem neceſſe eſt adulationi verum honeſtumq; præponere, moleſtumque ab utili ſeparare. Vide Plutarchum de hac Ciceronis laude in ipſius vita. Summa verò ſuaſionis univerſæ eſt in hoc ſyllogiſmo,*

Si lex Agraria tyrannidem ſimulatione largitionis inſtituit, tollenda eſt.

At inſtituit, quia creandis Decemviris libertatem populo eripit; quia Decemviris tyrannica forma comitatum concedit; quia tyrannicam poteſtatem permittit in venditione & emptione agrorum, in deductione coloniarum.

Tollenda igitur.

ORA-

ORATIO II.

EST hoc in more positum, Quirites, institutoque majorum, ut ii qui beneficio vestro [a] imagines familiæ suæ [c] consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant: qua in oratione nonnulli aliquando digni majorum [c] loco reperiũtur: pleriq; autem hoc perficiunt, ut tantum majoribus eorum [c] debitum esse videatur, unde etiam quod posteris solveretur, [c] redũdaret. Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur: non quód non tales fuerint, quales nos illorum [a] sanguine creatos, disciplinisq; institutos videtis: sed quód laude populari, atque honoris vestri [c] luce caruerunt. [11] De me autem ipso vereor, [11] ne arrogantis sit apud vos dicere: ingrati, tacere: [14] nam & quibus studiis hanc dignitatem [c] consecutus sim, memet ipsum commemorare perquám [c] grave est: & silere de tantis vestris beneficiis nullo modo possum. Quare adhibebitur á me certa ratio moderatioq; dicendi, ut quid á vobis acceperim, commemorem: quare dignus vestro summo honore, singulariq; judicio sim, ipse modicé dicam, si necesse erit: vos eosdem existimaturos putem, qui judicavistis.

EST HOC] Nihil agitur initio de lege Agraria, sed offensionis popularis metu longa insinuatio texitur in hũc feré syllogismum generis argumento conclusa:

Magistratum per vos adepti gratias vobis agunt:
Ego magistratum, Consulatum nempe, per vos adeptus sum:

Propterea vobis gratias ago.

Sed inter propositionis & assumtionis sententiam dissimilitudo interponitur. *Est hoc*] Sententia propositionis adjunctis illustrata: Magistratum per vos adepti, gratiâ vobis habendâ, genus suum sic extollunt, ut honorem honnulli meruisse, plerique commendatione generis accepisse videantur. *Imagines*] Metonymia est ex adjunctis subjectum significans. Magistratum enim qui in aliqua familia fuissent adepti, imagines eorum in atrio ponebantur: sicut abundé Juvenalis 8 Satyra declarat,

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus AEmilianos?

Et ibidem:

Tota licet veteres exornent undiq; cera
Atria, nobilitas sola est atq; unica virtus.

Quam ad rem pertinet etiam locus ille in Pisonem, Obrepsisti ad honores errore hominum, commẽdatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil præter colorem. Ergo imagines consecuti, id est, magistratus & publicos honores adepti. *Debitum*] Allegoria est à pecuniis, quæ ut debitæ majoribus, tandem posteris persolvuntur: sic optimé de Republ. meritis principibus tantum deberi potuit, ut propter eos posteri quoque honorarentur. Eadem allegoria ad Ciceronem Brutus, Tantum me tibi debere existimo, quantum persolvere difficile est: qualis allegoria est in hujus peroratione, Nulli pro me spoponderunt, &c. *Redundare*] Metaphora est ab aquis, quæ propriè cùm alveos, ripas, litora superant, redundare dicuntur. Si lacus Albanus redundasset, isq; in mare fluxisset, Romã perituram: Cic. de Divinat. *Mihi*] ἀνλαπόδοσις dissimilitudinis, adjunctis exposita. Cicero majores suos extollere non potest, quia publicis honoribus caruerint. Dissimile etiam præponitur. *Sanguine*] Metonymia ex caussis effectum significans. Nec enim sanguine procreamur, sed semine quod sanguine efficitur. Ut enim in mamillis in lac; sic in vasis spermaticis in semen sanguis convertitur. Hic tropus Poëtis & Oratoribus usitatissimus est, *Genus alto*

alto á sanguine regum: Virgil. *Sanguis regius*: Horat. *Maternus paternusq́ sanguis*: pro Cluentio. In fine autem hujus orationis dicitur, Non ingenerātur hominibus mores tam á stirpe generis ac seminis, quám, &c. Considerabis igitur an ut sanguine, sic semine procreari Latiné dicatur. *De me*] Prolepsis quædam est. Quód igitur Cicero per se Consulatum meruerit, res dilemmate ex variis adjunctis disceptatur: ubi addubitationis forma quędam est, sed obscurior. *Quare*] Prolepseos solutio ex orationis moderatione, ut populus abundé laudetur, de Cicerone nil nisi modicé dicatur.

Me per longo intervallo propé [a] memoriæ, temporumque nostrorum primum hominem novum, Consulem fecistis, & eum [c] locum quem [2] nobilitas præsidiis firmatum, atq́ omni ratione obvallatum tenebat, me duce rescidistis, [a] virtutique in posterum [c] patere voluistis: neque me tantummodo Consulem, quod est ipsum per sese amplissimum, sed ita [7] fecistis, quomodo pauci nobiles in hac civitate Cōsules facti sunt, novus ante me nemo. nam profectó si recordari volueritis, de novis hominibus reperietis eos qui sine repulsa Consules [7] facti sunt, diuturno labore atque aliqua occasione esse factos, cúm multis annis póst [11] petissent, quám Pretores fuissent, aliquantó [c] serius, quám per ætatem ac per leges liceret: qui autem anno suo petierint, sine repulsa non esse factos: me esse unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminisse possumus, [5] qui Consulatum petierim, cúm primúm licitum sit: Consul factus sim, cúm primúm petierim. [11] Ut vester [d] honos ad mei temporis diem [7] petitus, non ad alienæ petitionis occasionem [c] interceptus, nec diuturnis precibus [c] efflagitatus, sed dignitate impetratus esse videatur.

ME PERLONGO] Aſſumtionis ſententia ad gratiam laudis mirificé amplificata ex adjunctis, quód homo novus ſuo tempore una populi voce factus ſit Conſul. Primúm diſſimilibus ornatur, quód nobilibus jampridem ſolis Conſulatus daretur. *Novum*] Romanis dictio propria eſt, qui ſolebant (ut ait Plutarchus in Catone) τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι᾽ αὑτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους: nulla generis gloria nobiles, ſed à ſeipſis nominis initium ſumentes, novos homines appellare. Itaque novus & nobilis opponuntur, ut hic locus ſatis indicat, & Juvenal. novus & ignobilis pro eodem conjungit,

Hic novus Arpinas ignobilis.

Equeſter autem ordo, unde Cicero fuit, non erat dignitatis aut nobilitatis, ſed cenſus nomen. Primus autem homo novus Romæ factus eſt Conſul L. Sextius, ut Livius in fine 6 lib. & initio 7. quia legem Agrariam tuliſſet: at hîc Cicero novus homo contra legem Agrariam Conſul invehitur. *Eum locum*] Allegoria eſt á bellicis obſidionibus, ubi oppidani omnibus rationibus adverſus oppugnantes muniuntur. Atque hîc conſiderabis nunquid circumvallare & obvallare ita contraria ſint, ut oppugnare & propugnare. Hic enim obvallare dicitur de iis, qui intus ſunt, & tãquam oppidum defendunt, proque eo propugnant: Apud Cæſarem autem circumuallare oppugnantium eſt. Sic enim loquitur 7 belli Gallici, Oppidum oppugnare inſtituit, biduoque circumvallavit. *Neq; me tantummodo*] Secundus locus laudis, quód anno ſuo factus ſit Conſul, collatione multiplici exornatur. Annus autem Conſularis erat ætatis annus quadrageſimustertius, ſicuti ex 5 Philip. perſpicitur. Quid Alexander Macedo, cúm ab ineunte ætate res maximas gerere cœpiſſet, nónne tertio & trigeſimo anno mortem obiit, quæ eſt ætas noſtris legibus decem annis minor, quám Conſularis? Biennium autem inter Præturam & Conſulatum intercedebat, ut ex honoribus Ciceronis ipſius intelligi poteſt, qui factus eſt quæſtor anno ætatis 33, Ædilis 39, Prætor 41, Conſul anno 43, ut ex Chronologia Rom. & Bruto Ciceronis intelligi poteſt. *Nam profectó*] Ratio proximæ collationis ex euentis. Cæteri

diu

diu post annũ legitimum, ego legitimo anno factus sum. *Occasione*] Occasio(inquit in Offic.Cic.) tempus actionis opportunum Latiné, Græcé dicitur εὐκαιρία. Hic igitur fraudem aliquam significat, qua turbati candidati alicujus petitione, magistratus intercipiebatur. *Leges*] Annales leges significat, quibus anni capiendorum magistratuum definiebantur, ut jam dixi. *Ut vester honos*] Illustratio proximæ rationis ex dissimilibus in orbem concinnitatis inclusus.

Est illud [c] *amplissimum, quod pauló anté commemoravi, Quirites,* [a] *quód hoc honore ex novis hominibus primum me, multis posthabitis, affecistis; quód prima petitione; quód anno meo: sed tamen magnificentius atq;* [c] *ornatius esse illo nihil potest, quód meis comitiis non tabellam* [u] *indicem tacitæ* [a] *libertatis, sed vocem unam præ vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis.* [u] *Itaque me non extrema* [a] *tribus suffragiorum, sed primi illi vestri* [a] *concursus: neque singulæ* [?] & [d] *voces præconum, sed una voce universus populus Romanus Consulem declaravit. Hoc ego* [a] *tam* [c] *insigne, tam singulare vestrum beneficium, Quirites, cúm ad animi mei* [c] *fructum atq; lætitiam duco esse permagnum, tum ad curam* [c] *solicitudinemque multó majus.* [c] *Versantur enim, Quirites, in animo meo multæ &* [c] *graves cogitationes, quæ mihi nullam partem* [a] *neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impertiunt: primum tuendi Consulátus.* L. vindicem tac.

EST ILLUD] Transitio ad tertium locum laudis, quód una populi voce renunciatus sit Consul: quod longé magnificentiús erat, quám tabella. Collatio antecedẽtium quasi minorum præponitur. *Tabellam*] Leges tabellariæ fuerunt Romæ quatuor: prima de magistratibus man-

dandis,secunda de populi judicio, tertia de jubēdis legibus ac vetandis,quarta de judicio perduellionis,quod secunda lege exceptum erat.Vide Cic. 3 Legum. *Indicem libertatis*] Sic pro Plancio, Etenim si populo grata est tabella, quæ frontes aperit, mentes tegit, datque eam libertatem, ut quod volunt,faciant,promittant autem quod rogentur. Tabellis autem judicia & comitia adhuc in quibusdam civitatibus exercentur, ut Venetiis, ballotas appellant in judiciis, quas pilas vocat Asconius. *Unam vocem*] Aliás *vivam vocem* legitur, tametsi *unam* non esset alienum, præsertim cúm pauló pòst dicatur, *una voce populus declaravit:* quomodo aliás sæpe Cicero: ut ad Dolabellam, Atque hæc vox una omnium est. Et 1 Oratorio, Multi erant præterea in philosophia præclari & nobiles, à quibus omnibus una pené repelli voce oratorem á gubernaculis civitatum. Quomodo Martialis,

Vox diversa sonat populorum: est vox tamen una,
Cum verus patriæ diceris esse parens.

Ergo *unam vocem* non improbo, & Aldus Typographus diligentissimus ita legit. *Itaq;*] Exornatio ejusdem laudis ex alia dissimilium collatione. *Extrema tribus*] Triginta quinque tribus erant populi Romani, ut mox constabit in hac oratione. *Hoc ego tam*] Adhuc de gratia Consulatus, deinceps de Ciceronis non dignitate,quare hoc honore dignus sit, quod erat propositum; sed de difficultate gerendi Consulatus. *Fructum*] Fruor prǽteritum triplex habet, fruitus, unde fruiturus, quo etiam Cicero utitur: Qui præsentibus voluptatibus frueretur, consideretque se fruiturum,3 Tuscul.fretus,ut Vallæ placet: item fructus, ut Grammatici citant ex Hortensio Ciceronis, Amœnitate summà fructus est. Unde nomen fructus,quod proprié significat id quod vulgó fruitionem dicimus.Et Cicero sæpé dicit fructum libertatis, virtutis, jucunditatis, & (quod significationem hanc maximè ostendit) voluptatis: ut in Lælio, Voluptatum fructum aufert solitudo. *Multa & graves*] Solicitudinis periphrasis est. Definitur enim in Tuscul.solicitudo, ægritudo cum cogitatione. *Neque diurna*] Sic Horatius ad hanc perpetui temporis significationem dixit,

Noctur-

Nocturna versate manu, versate diurna.

Et in Senectute dictum est, Diurni nocturnique labores. Ejusdem generis illud est, dies noctesque: ut pro Marcello, Equidem dies noctesq:, ut debeo, cogitans. Et ad Atticum, Dies noctesq; torqueor. & sic aliás sæpe.

Quæ cùm omnibus est difficilis & magna ratio, tum verò mihi præter cæteros: cui [a] & [c] " *errato nulla venia, rectè* [a] *facto exigua laus, & ab invitis* [c] *expressa proponitur,* " *non dubitanti fidele consilium, non laboranti certum* [c] *subsidium* [a] *nobilitatis ostenditur. Quòd si solus in discrimen aliquod* [c] *adducerer,* [c] *ferrem, Quirites, animo æquiore: sed mihi videtur certi homines, si qua in re me non modò consilio, verùm etiam casu lapsum esse arbitrabuntur, vos universos, qui me antetuleritis* [a] *nobilitati, vituperaturi: mihi autem, Quirites, omnia potius perpetienda esse duco, quàm non ita gerendũ Consulatum, ut in omnibus meis* [9] *factis atque consiliis vestrum de me factum, consiliumq; laudetur. Accedit etiam ille mihi summus labor, ac difficillima ratio Consulatus gerendi, quòd nõ eadem, qua superioribus Consulibus, lege & conditione mihi utendum esse decrevi: qui* [a] *aditum hujus loci, conspectumq; vestrum partim magnopere* [c] *fugerunt, partim non vehementer* [c] *secuti sunt. ego autem non solùm hoc in loco* [9] *dicam ubi est id dictu facillimũ: sed in ipso Senatu, in quo esse* [c] *locus huic* [d] *voci non videbatur, popularem me futurum esse Consulem, prima mea illa oratione Calend. Janu. dixi. neque enim ullo modo facere possum, ut cùm me intelligam* [a] *non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi R. judicio Consulem ita factum, ut nobilissimis ho-*

al. cùm errato n. L. cujus errato

minibus longé preponerer; non [1] *& in hoc magistratu, & in omni vita" essem popularis.*

L. ſim pop.

QUAE CUM] Vide nunquid hîc comparatio fuerit Ciceronianæ novitatis cum nobilitate æmulorum, ut πρότασις ſtatuerit Conſulatum homini novo difficilem eſſe: ἀνταπόδοσις homini nobili facilem, & ideo manca ſit, taleque deſit aliquid, Homini autem nobili non dubitanti, &c. Si referatur negatio ad verbum, nō ad participium, ſenſus erit aliquis: Dubitanti non oſtenditur conſilium, laboranti non oſtenditur auxilium: ſenſus inquam hic erit aliquis, ſed vide quám decorus & aptus ad inſtitutam difficultatis collationem. *Errato*] Nullum ob totius vitæ non dicam vitium, ſed erratum, pro Cluentio dicitur. unde conſtat erratum quod imprudentia, vel caſu aliquo peccatur, quod venia potiús quám pœna dignum ſit. *Expreſſa*] Id eſt, extorta, erepta. ut pro Quintio, Extorquendum eſt ab invito, atque ingratis, quod non debet, eripiendum atque exprimendum eſt. Et in Verrem, Nullam pecuniam, niſi vi expreſſam & coactam. Metaphora videtur á torcularibus. *Quód ſi ſolus*] Secunda ſolicitudinis ratio ex adjuncta populi reprehenſione:

Si ſolus reprehenderer, ferrem:
At vos in eandem reprehenſionem incurritis:
Quare nullo modo ferendum.

Caſu lapſum] Quid eſſet labi, in Rabiriana dictum eſt: & hîc caſu labi, ſuperiús fuit errare. *Nobilitati*] Cicero ſex competitores nobiles habuit; duos patricios, Galbam & Catilinam; quatuor plebejos, Antonium, Caſſium, Cornificium, Licinium: de quibus Aſconius in Commēt. orationis habitæ in toga candida. Et pro Muræna Cic. de patriciis: Etenim mihi ipſi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbiſſimo atque audaciſſimo, altero modeſtiſſimo atque optimo peterem, ſuperavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. *Mihi autem*] Complexionis loco (*Quare non ferendum*) hæc popularitatis teſtificatio ponitur. Similis autem comparationis ſententia pro Rabirio perduellionis reo: Sed moreretur priús acerbiſſima morte millies Gracchus, quám, &c. *Accedit etiam*] Tertia

tia difficultatis ratio item ex adjunctis, quód Cicero sit popularis, quæ dissimilibus augetur. Superiores Coss. aut non fuere populares, aut non valde fuerunt. Contentio autem quæ fuit in oratione superiore, quód Cicero popularis, tribuni non populares, hîc tractabitur. *Qua superioribus*] Vide an non meliús legatur *cum superioribus*, quám *qua superioribus*. vel repete, quod longum fuerit, decretum fuit uti. *Ego autem*] Redditio dissimilium collatione majorum aucta & partium adjunctis. *Calend.*] Superior ergo Agraria dicta est in Senatu Cal. Jan. quibus Cicero ex Rom. more consulatum inierat. *Neq;*] Probatur popularitas ex conjugatis. Populus me Cos. fecit: ergo popularis ero. Dissimile præponitur. *studio*] Studio & gratiis significat quod vulgò favorem dicimus. Ac quamvis favorem Ciceroni novum verbum Quintilianus putet visum esse, quód ad Brutum scripserit, Eum amorē, & eum, ut hoc verbo utar, favorem in consilium advocabo: attamen favorem pro Roscio Comœdo Cicero dixerat sine hac præfatione, Quam expectationem, quod studium, quem favorem secum in scenam attulit Panurgus? Et favere proprié est bona fari; & favor, vox est bene precantis: ut,

Prospera lux oritur, linguisq; animisq; favete:
Nam dicenda bono sunt bona verba die.

Quod idem Cic. 1 de Divinatione, Idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumq; esset, præfabantur, rebusque divinis, quæ publicé fierent, ut faverent linguis, imperabatur, inque feriis imperandis, ut litibus & jurgiis se abstinerent. Ergo quod in judiciis, in comitiis vulgò favorem & favere dicimus, id Cicero gratiam & studium & studere dicit; & gratiosos aliás eos appellat, qui tali gratia valeant: nec proprié favor in hanc malam rem á Cicerone dicitur, & Quintilianum in illa Ciceronis præfatione lapsum arbitror. Nec enim Cicero favoris verbo uti dubitasset, quo jam anté sine præfatione pro Comœdo esset usus, sed in illam amoris sententiam, qua tum utebatur, id fortasse novum fuit, & idcirco quasi veniæ præmunitionem adhibuit: & in rhetoricis distinctionibus docui, quám negligens in Ciceroniana dictione Quintilianus esset.

Sed mihi ad hujusce verbi vim & interpretationem vehementer opus est vestra sapientia. [c] versatur enim[a] magnus[c] error propter[a] insidiosas nonnullorum simulationes: qui cùm populi non solùm commoda, verùm etiam salutem[c] oppugnant & [c] impediunt, oratione[c] assequi volunt, ut populares esse videantur. Ego qualem Calend. Januarii acceperim[a] Rempubl. Quirites, intelligo: [a] & [u] *plenam[c] solicitudinis, plenam timoris: in qua[a] nihil erat mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi expectarent: omnia[c] turbulenta consilia contra hunc Reipubl.[c] statum, & contra vestrum otium[a] partim[a] iniri, partim[d] nobis Consulibus designatis inita esse dicebantur: sublata erat de foro[a] fides, non[c] ictu aliquo novæ[c] calamitatis, sed suspicione ac[c] perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum: novæ dominationes, extraordinaria non imperia, sed regna quæri putabantur. Quæ cùm ego non solùm suspicarer, sed planè cernerem (*[a] *neque enim*[c] *obscurè gerebantur) dixi in Senatu, in hoc magistratu me popularem Cōsulem futurum.* [a] *Quid enim est tam populare, quàm pax, qua non modò ij quibus natura sensum dedit, sed etiam[d] tecta atque agri mihi lætari videntur? Quid tam populare, quàm libertas, quam non solùm ab hominibus, verùm etiam à bestiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis? Quid tam populare, quàm otium, quod ita jucundum est, ut[a] & vos, & majores vestri, & fortissimus quisque vir, maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse, præsertim in imperio ac dignitate: qui idcirco etiam majoribus nostris præcipuā laudem,*

fort. in eo mag.

dem, gratiamque debemus, quód eorum labore eſt factum, ut impuné in ocio eſſe poſſemus? Quare qui poſſum non eſſe popularis, cúm videam hac omnia, Quirites, pacem externam, libertatem propriam [a] *generis ac nominis veſtri, ocium domeſticum, denique omnia qua vobis chara atq;* [c] *ampla ſunt, in fidem, & quodammodo in* [c] *patrocinium mei* [a] *Conſulatus eſſe collata?*

Sed mihi] Facit audientiam ſibi ad reprehenſionem agrariorum, quos item ex conjugatis arguit, populares nõ eſſe, quia populum oppugnant. *Interpretationem*] Notam, notationem, definitionem dicit in præceptis: id eſt, ad hoc verbum definiendum & interpretandum: & conſtituit eam, quam vulgó noſtræ ſcholæ Maximam nominãt, ſe nempe popularis definitionem adhibiturum. *Sapientia*] Id eſt, attentione, intelligentia, cognitione. & quamvis ſapere proprié in guſtu dicitur, ut in Finibus dictum eſt: Nec enim ſequitur, ut cui cor ſapiat, ei non ſapiat palatum: attamen vide an ſapientia de guſtu dicatur, non autem perpetuó de animo. *Inſidioſas*] Uſitatum eſt in ſcholis Græcum verbum ſophiſma, pro quo inſidioſas ſimulationes nunc dicit. *Oratione*] Verbis, oſtentatione, ſpe. *Ego qualem*] Colligit ex variis adjunctis infinitam quandam Reipubl. perturbationem, cujus invidiam in agrarios derivat. Locus hic in ſuperiore oratione fuit: Solicitam mihi civitatem ſuſpicione, ſuſpenſam metu, perturbatam veſtris legibus, & concionibus, & ſeditionibus tradidiſtis; ſpem improbis oſtendiſtis, timorem bonis injeciſtis, fidem de foro, dignitatem de Rep. ſuſtuliſtis. Comparabis igitur ſententias ſententiis. *Calamitatis*] Metaphora ab agris grandine vaſtatis, in quib. calamitas proprié dicitur, quód calamos ſegetum cõminuat, ut Donatus ait in illo Terẽtij loco, Ipſa egreditur noſtri fundi calamitas. *Infirmatione*] Cicero dicit ut infirmare, ſic reſcindere acta, judicium, res judicatas. Conſidera etiã, an reſciſſio apud eum, ut infirmatio, legatur. *Extraordinaria*] Id eſt, extra ordinem, legem,

consuetudinem. Regnum hîc accipe pro tyrannide, ut pro Rabirio docui Ciceronem loqui. *Quæ cum*] Concludit ex enumeratis malis popularitatem suam, cujus antea similem testificationem posuit. *Quid enim*] Tertia popularitatis ratio ex quadam verbi definitione:

Popularis est qui pacem tuetur:
Cicero tuetur:
Popularis igitur.

Propositio tres habet partes distinctas, de pace, libertate, otio in superiore oratione confusas. Duæ primæ collatione majorum declarantur. *Sensum*] Intellige, ii animantes, quibus natura sensum dedit. Vulgus in schola definit substantias corporeas, animatas, sensibiles. Definitio igitur animantis est, cui natura sensum dedit. *Tecta*] Talis Hyperbole frequens est in Cicerone. Non modó homines, sed propé regiones ipsæ convenerint: pro Rabirio perduellionis reo. Rationem Hyperboles Tibullus lib. 2 ex pacis commodis nobis exponit:

Interea pax arva colit, pax candida primúm
Duxit aratores sub juga curva boves:
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
Funderet ut nato testa paterna merum.

Libertas] Libertas tam chara, ut natos etiam pater ejus gratia interficiat: ut de Bruto Virgil.

—Natosque pater nova bella moventes,
Ad mortem pulchra pro libertate vocabit.

Quid tam populare] Tertia pars propositionis exornata factis, quorum finis est otium. Otium autem proprié negotio opponitur, quod ex illo Catonis dicto in principio Originum notum est, Clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quám negotii rationem extare oportere, ut Cicero pro Plancio: & Cicero mox otio laborem bis opponit, cúm labores suscipiendos ait, ut in otio liceat esse. Et iterum, Eorum labore factum est, ut in otio esse possemus. Ergo otium & negotium, otium & labor, contraria sunt: & otium generale nomen est, idque honestum, vel desidiosum. *Præsertim cum imperio*] Locus hic pro Sextio uberiús est expositus: Quid est igitur propositum his Reipub. gubernatoribus, quod intueri, & quó cursum suum

suum dirigere debeant? id quod est præstantissimum, maximéque optabile omnibus sanis & bonis & beatis, cum dignitate otium: hoc qui volunt, omnes optimates; qui efficiunt, summi viri & conservatores civitatis putantur. Ergo otium, id est, requies & tranquillitas vitæ cum imperio & dignitate, quia summum bonum videatur, summus in Repub. princeps habendus est, vel Aristocratica, vel Timocratica, qui tanti boni author civibus suis fuerit. *Quare qui*] Complexio syllogismi cum assumtione. Quare Cicero popularis est, cum hæc omnia, pacem, libertatem, otiũ in suo consulatu tueatur. *Libertatem propriam*] Ita 6 Philip. Aliæ nationes servitutem pati possunt, populi Rom. est propria libertas. *Fidem*] Significatio fidei in hanc sententiam jam dicta est, & hîc apertior est ex geminato pro tutela, custodia, clientela.

Neq; enim, Quirites, illud vobis jucundum aut populare debet videri, largitio aliqua promulgata, [a] quæ verbis ostentari [b] potest, re vera fieri, nisi [c] exhausto [a] ærario, nullo pacto potest. neq; veró illa popularia sunt existimanda, judiciorum [c] perturbationes, rerum judicatarum [c] infirmationes, restitutio damnatorum: qui [a] civitatum [c] afflictarum perditis jam rebus [a] extremi [10] exitiorum solet esse exitus. neque si qui agros pop. Rom. pollicentur, si [a] aliud quiddam [c] obscuré [c] moliuntur, aliud spe ac specie simulationis ostentant, populares existimandi sunt. Nam veré dicam, Quirites, genus ipsum legis Agrariæ vituperare non possum. Venit enim mihi in mentem, duos clarissimos, ingeniosissimos, amantissimos [b] plebis Rom. viros, Tiberium & C. Gracchos plebem in [b] agris publicis constituisse, qui agri á privatis antea possidebantur: non sum autem ego is (cos. qui, ut plerique nefas esse arbitrer, Gracchos laudare: quorum consiliis, sapientia, legibus, mul-

L. extremi solent esse exitus.

tas esse video Reipublicæ partes constitutas.

NEQUE ENIM] Adhuc de popularitate sua disseruit.Jam contrá disserit,agrarios populares non esse ex eorum factis, ubi repetitur superior Reipubl. perturbatio. *Promulgata*] Promulgate verbum est Romanæ politiæ, quæ tum fuit: id est, trino nundino legem populo proponere,eumque rogare,an eam jubeat & velit: neque jure lata lex dicebatur, nisi trinundino esset anté promulgata. Hinc promulgatio, legis rogatio apud Cic. *Iudiciorum*] Hîc videtur significare motus, qui á liberis proscriptorum excitabantur,de Syllanis actis rescindendis. *Qui civitatum*] Hæc sententia 7 act. copiosiús disputatur. Perditæ civitates desperatis omnibus rebus hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvãtur,exules reducãtur,res judicatæ rescindantur. Quæ cúm accidunt, nemo est quin intelligat ruere illam Remp. *Neq; si qui*] Vis quædam est assumtionis & complexionis obscuriús indicata,ne populus offenderetur. *Speciæ*] Prætextum recentiores dixere,quod hîc Cic. speciem dicit: in Pisonem veró,nomen: Nomine triumphi tegunt ac velant cupiditatem suam.in Offic. caussam: Muri caussam opposuit.Aliquando præpositione (*per*) idem exprimit: ut,Cato per beneficium Cyprum relegatur,ait pro Domo sua. Unde constat,posteriorum ætatum homines vocabulis sui tẽporis usos esse, non ab illa aurea Cic.ætate petivisse. *Nam vere*]Prolepsis est ad gratiam populi,ubi legem Agrariam ex Gracchis ejus authoribus commendat: quos etiam laudat ex adjunctis & factis, & se longé superiorum Coss. dissimilem fingit. *Clarissimos*] Pater siquidem duorũ Gracchorum Ti. Sẽpronius Gracchus & genere & publicis honoribus clarissimus fuit,cujus vitam Plin.descripsit: mater Cornelia,Africani superioris filia. *Ingeniosissimos*] Eloquentiam Gracchorum significat hac metonymia: quomodo sæpe loquitur, ut pro Archia, Si quid est in me ingenii; pro, si quid est eloquentiæ. Tiberius autem Corneliæ matris diligentia á pueris Græcis literis eruditus est. sed illud breve tempus augendi & declarandi ingenii fuit. De Cneo præter multas laudes alias Cicero dicit, hunc pené de superioribus se solum legere, & iuventuti legendum esse,quia

ſe,quia poſſit non ſolúm juvenum ingenium acuere,ſed alere. *Amantiſſimos plebis*] Periphraſis eſt gradus ſuperlativi *popularißimos*, ſi diceretur. *Legibus*] Tiberius leges Agrarias tulit,ſed Cajus præterea ſeptem leges tulit, ut ſi quis ſine judicio civem Romanum necaviſſet, á populo Romano puniretur,ut coloniæ deducerentur,ut veſtis militi ſine diminutione ſtipendii daretur, ut minores decem & ſeptem annis militare non cogerentur, ut Itali Romanis ſuffragio pares eſſent, ut annona pauperibus aſſignaretur,ut in judicio ſenatoribus equites pares eſſent. Itaque trecẽtis ſenatoribus, trecentos equites adjunxit. Vide Plutarchum in Gracchis.

Itaq; ut initio mihi deſignato Conſuli nunciabatur legem Agrariam Tribunos pleb. deſignatos conſcribere, cupiebam quid cogitarent cognoſcere: etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis eſſent [d] *magiſtratus, eſſe aliquam oportere inter nos bene adminiſtrandæ Reip. ſocietatem. Cúm familiariter me in eorum ſermonem* [c] *inſinuarem ac darem; celabar,* [c] *excludebar: & cúm oſtenderem, ſi lex utilis plebi Rom. mihi videretur, auctorem me atq; adjutorẽ futurum; tamen aſpernabantur hãc liberalitatem meam: negabant me* [c] *adduci poſſe, ut ullam largitionem probarem. finem feci offerendi mei, ne forté mea ſedulitas* [a] *aut* [a] *inſidioſa, aut impudens videretur. Interea non deſiſtebant clám inter ſe cõvenire, privatos quoſdam adhibere, ad ſuos cœtus occultos* [a] *noctem adjungere & ſolitudinem: quibus rebus quanto in metu fuerimus, ex veſtra* [c] *ſolicitudine, in qua illis temporibus fuiſtis, facile* [c] *aſſequi conjectura poteritis. Ineunt tandẽ* [d] *magiſtratus Tribuni plebis,* " *concio tandem expectata P. Rulli, quód & princeps erat Agrariæ legis, &* [c] *truculentiús ſe gerebat, quám cæteri. jam*

al. concio expect.

designatus, [1] *alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto & horrido, capillatior quàm antè, barbaq; majore; ut oculis & aspectu denunciare omnibus vim Tribunitiam, & minitari Reipubl. videretur.*

ITAQUE] Hactenus exordium fuit insinuationis longissimæ ad impetrãdum populi huic dissuasioni infensi gratiam. Narratio sequitur variis conjecturis aspersa, quód agrarii hac lege mali aliquid moliantur. Primæ conjecturæ sententia sic est:

Boni in eodem anno magistratus publica consilia communicare debent:
Id agrarii recusarunt:
Quare non boni magistratus.

Complexio tamen non exprimitur. *Cùm familiariter*] Assumtionis sententia, quæ contrario Consulis facto valde premitur. Prosopopœiæ hîc quædam sunt, ad exprimẽdam Ciceronis sedulitatem, & agrariorum fraudem. *Insinuarem*] Insinuare proprié est immittere, quomodo videtur Propertius libro 3 dicere,

Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omnis
Tempore tam faciles insinuentur opes.

Hinc apud Ciceronem metaphora tam frequens: Insinuare se in amicitiam, consuetudinem, caussam, familiaritatem, philosophiam: quo genere dictionis significatur planè se dedere. Aliquando autem significat occulté, & quasi per sinus, aliquó pervenire; cujus nondum evidens exemplum reperi: tametsi genus exordii sic instituti, quale in hac oratione fuit, Insinuatio dicitur, & ita definitur in libro de Inventione, Insinuatio est oratio quadam dissimulatione & circuitione obscuré subiens auditoris animum. *Impudens*] Aliás *imprudens* legitur, sed Aldus legit *impudens*, & hæc lectio mihi magis probatur. *Intereà*] Secunda suspicio ex factis agrariorum & circumstantia temporis, quód nocturnos & clandestinos conventus agerent. Simili feré argumento utitur in Catilinam, Si neque nox tenebris obscurare cœtus nefarios, neque privata domus continere vocem conjurationis potest. *Solitudinem*] Id est, ut re-

ut remotis arbitris soli essent: qua metonymia pro Rabirio perduellionis reo usus est, Unius hominis senectus, infirmitas, solitudoque tentata est: pro, homo senex, infirmus, solus. *Quibus rebus*] Amplificatio proximæ suspicionis ex adjuncto metu. *Ineunt*] Tertia suspicio ex adjunctis personæ, quód Rullus novo corporis habitu severior videri vellet: ubi Rulli fastus & arrogantia mirificé ex suis adjunctis pingitur. *Truculentus*] Trux & truculentus horroris & terroris, qui oculis, vultu & visis atque auditis rebus incutitur, verba sunt. Cicero pro Sestio, Alter, dii boni, quám teter incedebat, quám truculentus, quám terribilis aspectu? Truculenter autem se gerere quid sit, sequentia deinde definiunt, *alio vultu, alio vocis sono*, &c. *Incessu*] Incedere proprié est ingredi cum pompa & fastu: ut apud Virg.

Ast ego quæ divûm incedo regina, Jovisq;
Et soror & conjunx.

Sæpe tamen ingressionem quamcunque communiter significat, quomodo videtur hic intelligi posse. *Barbaque majore*] Romani 454 annos tonsoribus caruere, ut Varro apud Plinium libro 7, cap. 59, author est. Intonsique patres, ut Ovidius loquitur, tandiu fuere. Hinc Rullus ad illam antiquitatis speciem, quó truculentior esset, capillatior & barba majore fuit. Tempore autem Ciceronis Romani barbam radebant, comam alebant; unde cicinnos & calamistros cicinnatorum & calamistratorum Cicero nonnunquam in orationibus cavillatur. *Vim tribunitiam*] Vis Tribunitia tanta fuit, ut Senatusconsultum nullum ratum esset, nisi Tribuni approbassent. Consuli non parebant, quamvis cæteri magistratus parérent: Consulem etiam in carcerem coniicere poterant, qualis feré potestas in Sparta fuit Ephororum, in Creta Cosmorum, ut ex secundo Aristotelis Politico intelligi potest.

⁹ *Legem [d] hominis, concionemque expectabam, lex initio nulla proponitur: concionem in primis advocari jubet. summa cum expectatione concurritur: explicat orationem sané longã, & verbis valde*

bonis. Unum erat quod mihi vitiosum videbatur, quód tanta ex[a] frequētia in ventri nemo potuit, qui intelligere posset, quid diceret. hoc ille utrúm[c] insidiarum caussa fecerit, an hoc genere eloquentiæ delectetur, nescio: tamen si qui[c] acutiores in concione steterant, de lege Agraria nescio quid voluisse eum dicere suspicabantur. aliquando tandem me designato[d] lex" in publicum proponitur: concurrunt jussu meo plures uno tempore librarii, descriptam[d] legem ad me afferunt. Omni hoc" vobis ratione cōfirmare possum, Quirites, hoc animo me ad legēdam[d] legem, cognoscendamque venisse, ut si eam vobis accommodatam atque utilem esse intelligerem, auctor ejus atque adjutor essem. non enim natura,[c] neque dissidio, neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum[a] Consulatus cum[a]" Tribunātu: quia persæpe seditiosis atque improbis Tribunis plebis boni & fortes Consules obstiterunt: & quia vis[a] Tribunitia nonnunquam libidini restitit[a] Consulari:" non potestatum dissimilitudo, sed animorum disjunctio dissensionem facit. Itaque hoc animo[d] legem sumsi in manus, ut eam cuperem esse aptam vestris commodis, & ejusmodi quam[d] Consul re non oratione popularis, & honestè & libenter posset defendere.

L. in publico prop.

L. vobis asseveratione con:.

L. tribunatu: sed quia pers.

LEGEM HOMINIS] Quarta suspicio ex factis Rulli, quód legem obscuré pronunciarit, nec initio legendam proposuerit. *Explicar*] Hic Rullum cavillatur velut indisertum, qui legem explicare perspicué non potuerit. Obscuritas autem quantum sit in oratione vitium; perspicuitas, virtus cōtraria, ostendit: cujus gratia nobis orationem natura dedit, ut sensa mentis homines hominibus exponeremus. Ergo ut perspicuitate oratio munus orationis

i. expro-

expromit, sic obscuritate perdit & amittit. Vide Quintilianum lib. 8 de obscuritatis illo magistro, qui discipulis diceret σκότισον, id est, obscura, ut videlicet tátó melior, quátó obscurior esset oratio. Usitatus autē Ciceroni ludus hic est in adversarios indisertos, cum eloquentiæ tamen principe decertantes: ut in Pisonem, Pauci tua ista lutulenta vitia noveramus, pâuci tarditatem ingenii, stuporem, debilitatemque linguæ: nunquam erat audita vox in foro, nunquam periculum factū consilii. Sic in Antonium Philipp. 2, An decertare mecum voluit Antonius contentione dicendi, &c. *Aliquando*] Proponit igitur caussas, quibus legem cognoverit. *Designato*] Tribunatum itaque prius inierát Tribuni, quám Cicero consulatum. *Librariis*] Librarios Romani nominabant, qui libros transcriberent, epistolas alio dictante exciperent, imó veró qui dicentibus oratoribus orationes eorum exciperent. Possumus hoc nomine nostros Impressores appellare, qui suis typis, ut illi manibus, libros tãquam describunt: possumus pragmaticorum forensium ministros, qui instrumenta describunt, sic appellare. Martialis videtur appellare Notarios, cúm 14 lib. sic de notario ait,

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua suum dextra peregit opus.

Tantam veró celeritatem scribendi Cicero in conjuratione Catilinæ, ut Plutarchus ait in vita Catonis Uticensis, reperit. *Omni hoc*] Insinuatione conclusa, vel etiam propositæ narrationis suspicionibus continuata, tandem summa futuræ dissuasionis ponitur:

Si lex esset vobis utilis, defenderem:
At non illud:
Neq; hoc igitur.

Propositio testificationem superiorem repetit. *Non enim*] Prolepsis quædam ad illustrationem propositionis ex adjunctis, quód Consul & Tribunus naturali quodam odio diffideant, propterea Cicero Consul Tribuno Rullo non possit assentiri, quod cõjugatis approbatur. Et revera, ut ait Æschylus 8 de Republ. Platonis, ἄλλον ἄλλῃ πρὸς πόλι τεταγμένον, alium alii civitati accommodatum esse. Sic Cõsulatus magis videtur ἀριστοκρατικὸς, & patres hũc magi

ſtratum, licét cum plebe tandem communicatum, tamen maximé ſibi vendicabant; Tribunatus autem totus erat plebejus: unde, ut ex hiſtoria Rom. conſtat, infinitæ cõtentiones inter hos magiſtratus extiterunt. *Non poteſtatum*] Solutio prolepſeos ex diſſimili cauſſa diſſenſionis. *Itaque*] Concluditur propoſitio & teſtificatio iterum repetitur. *Manu*] Cúm manus poteſtatem ſignificat, In mea, tua, ſua manu aliquid eſſe dicimus: aliás cúm ſignificatio prima eſt, Sumere in manus, habere in manu, eſſe in manu: cum epitheto mea, tua, ſua, obſerva nuncubi Cicero dixerit. Frequēter enim epitheta illa omittit, ut hoc loco, Sumſi in manus.

Atq; ego á primo capite[d] *legis uſq; ad extremū reperio, Quirites,*[1] &[11] *nihil aliud cogitatum, nihil aliud ſuſceptum, nihil aliud actum, niſi ut decem Reges ærarii, vectigalium, provinciarum omnium, totius Reipubl. regnorum, liberorum populorum,*[a] &[d] *orbis denique terrarum domini conſtituerentur, legis Agrariæ ſimulatione atque nomine. Sic confirmo, Quirites, hac lege Agraria*[b] *pulchra atque populari dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia, oſtentari populo Romano agros, eripi etiam libertatem,*[11] *privatorum pecunias augeri, publicas*[c] *exhauriri: deniq;, quod eſt indigniſſimum, per Tribunum plebis (*[11] *quem majores præſidem libertatis cuſtodemq; eſſe voluerunt) Reges in*[d] *civitate conſtitui. Quæ cúm expoſuero, ſi falſa vobis videbuntur eſſe,*[c] *ſequar*[a] *authoritatem veſtram,*[c] *mutabo meam ſententiam: ſin*[c] *inſidias fieri*[a] *libertati veſtræ ſimulatione largitionis intelligetis, nolitote dubitare plurimo*[a] *ſudore &*[a] *ſanguine*
al. nobisq; *majorum veſtrorum*[c] *partam,*[v] *vobisq; traditam libertatem, nullo veſtro labore,*[d] *Conſule adjutore, defendere.*

ATQUE

Atque ego] Assumtio, Agraria lex non est vobis utilis, quia spectat ad tyrannidem. Finis legis est, Superiora omnia ad declinandum hujus enunciationis offensionem & invidiam præcesserunt. *Reges*] Intellige Romano more, ut sæpé aliás Cicero loquitur pro tyrannis. *Liberorum populorum*] Timocraticorum aut Democraticorum, intellige, ut aliás expositum. *Sic confirmo*] Amplificatio assumtionis ex variis dissimilibus. Confirmo autem in hoc genere, ut pauló anté, Omni ratione confirmare possum, idem est quod affirmo, quod aliquando asseveratione affirmare Cicero dicit: ut ad Atticum, Omni tibi asseveratione affirmo. *Condonari*] Condonare nonnihil á Donare differt, est donare remittendo, concedendo: ut, Crimen condonare, pro Milone: ut, Pecunias debitoribus cōdonare, in Officiis. Supplicium remittere & condonare, Vatinius ad Ciceronem. Et pro Plancio differentia pauló clarior est: Datus ille, condonatus ille. *Denique, quod*] Invidiosa indignatio in Tribunum ex ipsius definitione. *Præsidem*] Præsidere proprié est deorum, vel hominum, qui ad opem ferendam præsunt. sic sæpé Cicero deos & homines loci præsides invocat, ut in Verrem pro Sylla: Philipp. 3, Testor & vos & populum Romanum, & omnes deos qui huic urbi præsident. Hinc præses & præsidium. *Qua cúm*] Complexionis loco (*Quare Agrariam legem non probo*) hæc præmunitio per dilemma conditionis æquissimæ ponitur. *Authoritatem*] Authorem sequi, est consilii sententiæque ducem & principem sequi: pro quo authoritatem alicujus séqui, per metonymiam dicimus. *Libertati*] Considerabis ad eripiendos populo suos agros, quám prudenter Cicero charius agris aliquid quæsierit: id est, libertatem, quæ populo democratico, quales Romani propemodum fuere, pro summo bono est, & antea inter res maximé populares valde celebrata. Gracchus autem cúm legem Agrariam populo suaderet, paupertatem populi lamentabatur, ut in argumento dictum est: nil habere Italos in Italia præter ignem & aquam, non lares paternos, non glebam terræ.

Primum caput est legis Agrariæ, quo, ut illi pu-

tant, tentamini[c] *leviter quo animo libertatis vestræ diminutionẽ ferre possitis. Iubet enim Tribunum plebis, qui eam legem tulerit, creare Decemviros per tribus septem decem, ut quem novem*[a] *tribus fecerint, is Decemvir sit.*" *Hic quæro, quam ob caussam initium rerum ac legum suarum hinc duxerit, ut populus Romanus suffragio*[c] *privaretur? Toties legibus Agrariis curatores constituti sunt, Triumviri, Quinqueviri, Decemviri: Quæro á*[b] *populari Tribuno plebis, ecquando nisi per triginta quinque*[a] *tribus creati sint. Etenim cúm omnes*[a] *potestates,*[a] *imperia,*[a] *curationes, ab universo populo Romano*[c] *proficisci convenit, tum eas profectó maximé, quæ constituuntur ad populi fructum aliquem & commodum: in quo & universi deligant, quem populo Romano maximé consulturum putent: & unusquisq; studio & suffragio suo*[c] *viam sibi ad beneficium impetrãdum*[c] *munire possit. Hoc Tribuno plebis potissimúm venit in mentem, populum Romanum universum*[c] *privare suffragiis, paucas*[a] *tribus non certa conditione juris, sed sortis beneficio fortuitó ad usurpandam libertatem vocare.* ε

Primum caput] Reliqua deinceps ex capitibus legis oratio ad probandam proximi syllogismi assumtionem pertinet, quód hac lege populi libertas eripitur: primum caput est de comitiis septemdecim tribuum, sorte ductarum, ut decemvir per novem tribus sorte ductas fieri posset, reliquæ gratia suffragationis privarentur, in quo Cicero queritur libertatis diminutionem. *Diminutionem*] Ut libertatis hic diminutio, sic vectigalium diminutio superiore oratione, & ómnium denique rerum dici potest: idem autem per præpositionem dicitur, ut Diminutio de bonis privatorum, in Offic. &, de imperio diminutio, Ser-

tio, Servius ad Ciceronem. *Septem decem*] Aldus sic legit: at in actionibus *septemdecim*, per *i*, non *e*, & una dictione, Nos in septemdecim populis Siciliæ. *Hic quæro*] Urget hãc suffragationis privationem dissimilibus exemplis superiorum temporum. *Curatores*] Ut curare quidvis, sic cujuslibet rei curatores dicimus, ut curator viæ Flaminiæ, ad Attic. Curatores urbis & annonæ, 3. Legum: Curator muris reficiendis Demosthenes, in optimo genere oratorum: & mox Curationes, ita Cicero dicet. Triumviri autem lege Tiberii fuerunt, Tiberius ipse legis author, Appius Claudius socer, C. Gracchus frater: Caji veró lege Cajus, item Fulvius, Flaccus & Papirius Carbo. Horum autem Agrariorum curatorum in dividendis agris & coloniis deducendis, munus fuit, non solúm agros dividere, sed urbes designare & distinguere, Reipubl. speciem præscribere. Vide Pomponium. *Triginta quinque*] Varro putat tres initio tribus Romæ fuisse, & singulis in decem partes divisis, triginta curias fuisse. Livius pauló secus id docet. Par autem est cum populi Romani magnitudine, cúm tot urbium populi, de quibus Livius, Romam traducti sunt, numerum quoque tribuum crevisse, & tandem trigintaquinque tribus constitisse. *Etenim*] Argumentatur á genere: Omnes curationes creari debent ab universo populo, ergo & decemviratus. collatio majorum *cúm* & *tum* inclusa est. *In quo*] Ratio propositionis ex fine, ut populus sibi provideat, & gratiam ineat. *Studio*] Hic item ut antea, pro favore in comitiis. *Viam*] Talis oratione superiore allegoria fuit, Videte nunc quoad iter fecerit apertius, quám antea. *Hoc tribunus pleb.*] Pro cõplexione (*Quare Decemviratus ab universo populo creandus*) contrarium ponitur, non recté populum suffragiis privari. *Sortis*] Rullus enim sortitionem septemdecim tribuũ hac lege sanciebat, ut deduceret, quas vellet, ut erit proxima pagina. *Usurpandam*] Usurpare, frequenter uti, usurpatum á doctissimis, id est, apud doctissimos usitatum: &, Crebró usurpare, pro Milone: &, Crebris sermonibus usurpare, pro Marcello: id est, si sic loqui liceat, usitare. Usurpare autem aliquando est, quod vulgus dicit capere possessioñe: sic Livius ait, E plebe unum creatum Tribunum

militum juris usurpandi caussa. Et hîc usurpare libertatem, vide an non Cicero dicat retinere, & ejus possessionem cõtinuare, & continenter servare, sicut postea dicetur, *usurpationem vetustatis*.

L. Item, inquit, capite alt. "I T E M, *inquit, eodemq; modo, capite altero,* U T C O M I T I I S P O N T I F I C I S M A X I M I. *Ne hoc quidem vidit, majores nostros tam fuisse populares, ut quod per populum creari fas non erat, propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem*[d] *sacerdotii voluerint populo supplicari. atque hoc idem de cæteris sacerdotiis Cn. Domitius Tribunus plebis vir*[c] *clarissimus tulit, quód populus per religionem sacerdotia*[c] *mandare non poterat, ut minor*[9] *pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is á collegio cooptaretur.* [c] *Videte quid intersit inter Cn. Domitium Tribunum plebis, hominem nobilissimum, & Publ. Rullum, qui*[c] *tentavit, ut opinor,*[a] *patientiam vestram, cúm se nobilem esse diceret. Domitius, quod per ceremonias populi fieri non poterat, ratione*[c] *assecutus est, ut id,*[2] &[11] *quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret: hic*[2] *quod populi propriũ semper fuit, quod*[2] *nemo imminuit, nemo immutavit, quin ij qui populo agros essent assignaturi, anté acciperent á populo beneficium, quám darent, id totum*[c] *eripére vobis, atque é manibus extorquere conatus est. Ille quod*[9] *dari populo nullo modo poterat, tamen quodammodo dedit: hic quod adimi nullo pacto poterat,*" L. potéstve, *potestate, quadã ratione*[c] *eripere conatur.*

I T E M I N Q U I T] Hoc alterum caput superioris explicatio ex simili exemplo fuit, ut Decemviri more Pontificis maximi crearentur per septemdecim tribus. Cicero simile

simile exemplum negat, & Pontificiorum comitiorum caussam priùs explicat. *Pontificu*] Qui princeps sacerdotũ sub Numa fuit, postea Pontifex maximus dictus est, vel á ponte sublicio, vel á posse & facere. Hoc autem sacerdotiũ primó cum regia dignitate conjunctum fuit, rexque idem erat & sacerdos, bellisque & tẽplis præerat. Plato ait in regno, regem in Ægypto nullum esse, nisi sacerdotem, cujusmodi exempla quædam vetustatis sunt apud Virgil.

—*Rex idem hominum Phœbique sacerdos.*

item,

Rex idem, & regi Turno gratissimus augur.

Et postea Imperatores ut regia quadam sanctitate sacratiores essent, Pontificatum maximum tenuère, ut Julius & Augustus. *Amplitudinem*] Hoc magistratu religiones omnes cõtinebantur, quæ maxima pars est reip. Item fastorum & dierum quibus ageretur cum populo, ratio. Primus enim Cn. Flavius hanc scientiam Pontificibus eripuit, & actiones exposuit, ut significat Cicero 1 de Orat. Amplitudo autem quanta potestatis hujus fuerit, contentiones declarant, patres populo Tribunatum condonavere, Consulatum communicavère. Postrema contentio fuit de Pontificatu, quem patricii retinebant: tandem etiam de plebe facti, ut Tribuni & Consules, ita Sacerdotes & Pontifices, de quo vide Livium lib. 10. & tamen usque ad Domitium Pontifices ipsi cooptandi jus habebant, nec populus eligebat. Conatus est L. Crassus (ut est in Lælio Ciceronis) ad populum electionem sacerdotiorum trãsferre: sed Lælius contrá obtinuit. *Atque hoc*] Confirmatur exposita caussa Domitii, legis authoritate. Cn. autem Domitius Ahenobarbus tribunus Pontificibus offensior, quód alium quám se in patris sui locum cooptassent, jus subrogandorum Sacerdotum á collegiis ad populum transtulit, ut Suetonius in Neron. Idem feré Paterculus 2 lib. Cicero hîc apertiús. Meminit etiam Cicero 5 epistola ad Brutum legis Domitiæ, qua liceret absenti sacerdotiũ petere, & Marium, cúm esset in Cappadocia, hac lege augurem factũ esse. *Ut minor pars*] Hæc minor pars fuit septemdecim tribuum. Felix autem apud Gellium lib. 15, cap. 27, putat, cúm non universus populus, sed ejus aliqua pars vocatur, concilium nõ

comitia edici. *Cooptaretur*] Cooptare, est simul optare: id est, simul eligere. ut hic factus sacerdos à septemdecim tribubus, & creatus à reliquis sacerdotibus, in suum collegium, & eundem ordinem cooptabatur, id est, simul eligebatur: sic augur ab auguribus cooptatur, senator à senatoribus. & à Cicerone in Amicitia cooptatio collegiorúm dicitur: ut hîc *à collegio cooptaretur.* quasi proprium sit à collegis collegas cooptari. Tu considerabis igitur an populus Latiné dicatur cooptare, ut eligere, facere, creare. *Videre*] Ostenditur jam collatis partibus differentia & dissimilitudo propositi exempli, atque interim magna invidia Rullo comparatur. *Nobilissimum*] L. Domitius Cæsaris acerrimus inimicus, de quo Cæsar 1 Bellorum civilium, & Cicero 2. Philipp. gentilis hujus Domitii fuit. *Nobilem*] Locus videtur esse in fastum hominis novi nobilitatem mentientis. Quinta tamen Philippica in Romanæ nobilitatis vetustate Cicero Rullos numerat:& Plinius libr.8, capite 51, Solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit Publ. Servilius Rullus, pater ejus Rulli, qui Ciceronis consulatu legem Agrariam promulgavit. Sed Plinii locus luxum hominis magis quàm nobilitatem ostendit, & hic Rullus potuit esse non ex illa veterum Rullorum familia; aut potiús Cicero arrogantiam hominis, licet nobilis, tamen impudenter nobilitatem suam jactantis indicat. *Hic quod*] Antapodosis dissimilitudinis. *E manibus extorquere*] Videtur á gladiatoribus esse metaphora, quæ pro Milone & in Catilinam notior. Extorta est confitenti sica de manibus, pro Milone. Quoties jam tibi extorta est sica de manibus? 1 Catilin. *Ille*] Repetitur eadem dissimilitudo mutatis verbis.

[18] *Quaret quispiam, in tanta injuria, tantaque impudentia quid spectarit? non [c] defuit consilium: [a] fides erga plebem Romanam, æquitas in vos, libertatemque vestram vehementer defuit: jubet enim comitia Decemviris habere creandis eum, qui [d] legem tulerit. hoc dicam [e] planiús: jubet [f] Rullus, homo*

mo[b] *non cupidus, neque appetens, habere comitia Rullum: nondum reprehendo: video*[c] *fecisse alios. illud, quod nemo fecit, de minore parte populi, quó pertineat, videte. habebit comitia, volet*[d] *eos denunciare, quibus regia potestas hac lege quaeritur: universo populo*[z] *neque ipse committit, neque illi horum consiliorum auctores committi recté putant posse. sortietur*[a] *&*[c] *tribus idem Rullus, homo* [b]*felix educet, quas volet, tribus. quos novem tribus Decemviros fecerint, ab eodem Rullo eductae; hos omnium rerum (ut jam ostendam) dominos habebimus: atq; ii, ut grati, ac memores beneficii esse videantur, aliquid se novē tribuū notis hominibus debere confitebūtur, reliquis veró sex & viginti trib. nihil erit quod nō putēt posse suo jure denegare.* L. eos renūciari, quib.

QUAERET QUISPIAM] Prolepsis ad detegendas primi capitis insidias, quód Rullus omnia pro libidine facturus legem feret, comitia habebit, denunciabit, quos volet sortietur, & educet tribus quas volet, seipsum Decemvirū faciet. Atq; animadvertes duos fines antea propositos eripi, ut nec universus populus commodum sibi curatorem deligat, nec studiosorum gratiam ineat. *Hoc dicam*] Definitioni Rulli nomen veluti clarior superiore definitio subjicitur, quae tamen est enthymematis complexio:

Qui tulerit legem, comitia habebit:

Ergo Rullus habebit: is enim tulerit.

Nondum] Praeterit hoc crimen, & attentionem petit ad propositas insidias exponendum. *Denunciare*] Verbi hujus significatio ex comitiali consuetudine sumenda est, ut qui comitia haberet, proponeret populo, & gratiae caussa commendaret quos fieri vellet: ut denunciare hîc sit, proponere populo, & nominare certos & notos cives, quos Rullus ad Decemviratum populo commendaret. *Felix*] Haec εἰρωνέα ἀςυσμὸν continet, quasi forté fortuna, non fraude aliqua, ex urna tribuum nomina sint

exitura, quæ Rullus volet. felix autem fortunæ & casus nomen est: & bene fortunatum significat, etiam si sit improbissimus & nequissimus. ut Sylla; quamvis trium ingeniũ vitiorum, avaritiæ, luxuriæ, crudelitatis magister, tamē felix cognominatus est. Et Cic. pro Sylla, Casu magis & felicitate, quám virtute & consilio, dixit, casumque & felicitatem virtuti & consilio opposuit. Sine diphthongo scribendum Plutarchus indicat, cúm Græcé φῆλιξ per ι scribat. *Educet*] Intellige ex urna, unde nomina educebantur: ad quem Romanum morem Virgil. 6 Æneid. allusit,

Nec veró hæ sine sorte datæ sine judice sedes.
Quæsitor Minos urnam movet, ille silentum
Conciliumque vocat, vitasq; & crimina discit.

Sortem veró in Democratica (qualis feré tum Romæ fuit in populo) Plato usitatam esse dicit, & Aristoteles in Politicis frequenter usurpavit. *Atque*] Indicat alterum de finibus: populum comitiorum gratia privari, ad perpaucos eam perventuram esse. Primúm 18 tribus tollentur: deinde octo: postremó de novem reliquis certi & noti homines nonnihil fortassis obtinebunt.

Quos tandem igitur Decemviros creari vult? se primum.[18] *Qui licet? leges enim sunt veteres, neque eæ Consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed Tribunitiæ, vobis, majoribusque vestris vehementer gratæ atque jucundæ. Licinia est lex, atque altera Æbutia, quæ non modó eum qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatióve mandetur.*[23] *Etenim si populo consulis,*[c] *remove te á suspicione alicujus tui cōmodi:*[11] *fac fidem, te nihil nisi populi utilitatem & fructum quærere: sine ad illos potestatem, ad te gratiam beneficii tui pervenire. nam hoc quidem*[2] *vix est liberi populi, vix vestrorum animorum ac magnificentiæ.*[4] *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi*

suffra-

*suffragiis privavit? Rullus. * Quis comitiis præfuit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit, nullo custode" sortitus? ' Quis Decemviros, quos voluit, ' renunciavit? idem ' Rullus. Quem principem renunciavit? Rullum. Vix mehercule servis hoc eum suis, non vobis omnium gentium dominis probaturum arbitrarer. Optimæ' leges igitur hac lege sine ulla exceptione tollentur. * Idem ' legis sibi sua lege curationem petet:" idem majore parte populi suffragiis c spoliata, comitia habebit: quos volet, atq; in iis seipsum renunciabit: & videlicet Collegas suos adscriptores legis Agrariæ, non c repudiabit, á quibus ei c locus primus a invidiæ in præscriptione d legis concessus est: cæteri fructus omniũ rerum, qui in spe legis hujus positi sunt, cõmuni cautione atq; æqua sibi parte retinentur.*

L. sortitus? Rull'. Quis Dec.

Quos tandem] Exposita summa fraudis, reprehenditur Rullus, quód seipsum Decemvirum facturus sit, & legum authoritas opponitur. *Consulares*] Intellige ex primis temporibus: quia post reges expulsos Romani Consules populo leges, quasi more regum describebant, nec Tribunus patricios advocare, neq; ad eos referre de re ulla poterat. Ita ne leges quidem proprié, sed plebiscita dicebantur, quæ Tribunis plebis ferentibus accepta erant, nec his rogationibus patricii tenebantur. Primus Terentillus Tribunus plebis promulgavit, ut quod jus populus dedisset, eo Consules tenerentur, quod tamen non obtinuit. Vide in argumento. Tandem Q. Hortensius Dictator eam legem tulit, ut eo jure quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur: de quo vide Dionysium & Gellium lib. 15, cap. 27. vel intellige Consulares latas á Cõsule, populo quidem jubente, sed tamen seducto, & ideo nõ tam populares, quám si Tribunus tulisset, quia Consulatus patrum, & Tribunatus plebis sectam magis sequeretur. *Licinia*] Gellius Liciniæ cujusdam legis meminit de sumtibus, & Æbutiæ de

actionibus:sed ad hunc locum nil hæ leges attinēt: pro domo sua propria mentio est hujus Liciniæ; Præterquā quód ne id quidem per legem Liciniam, ut ipse tibi curationem ferres,facere potuisti. Et iterum 13 ad Atticum, quāvis nominatim legem non appellat,tamen ad eam alludit:Atque hoc etiam accepi, nō solitos majores nostros legare in decem, qui essent imperatorum necessarii, ut nos ignari pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potiús, M. Lucullum & L.Muraenam,& cæteros ad L.Lucullum misimus. Videntur autem hæ Tribunitiæ leges ex Solonis lege deductæ. Solon enim cavit, ne is fieret curator, ad quem post pupillorum obitum hæreditas perveniret, ut Laërtius ait in Solonis vita.Quod autem hic in Rullo Cicero reprehendit, ambo Gracchi fecere, & suæ legis curatores fuere; sed referēte Scipione per Senatum id tum damnatum est, missusque Turdianus Cos.qui judex divisoribus esset. Vide Appianum 1 lib. *Etenim*] Disputat ex adjunctis:

Si populo consuleres, removeres te á suspicione:
Non te removes á suspicione:
Non igitur populo consulis.

Propositio repugnantibus & dissimilibus exornatur. *Nam hoc*] Sententia assumtionis, *At te non removes á suspicione*: quæ probatur longa superiorum Rulli factorum repetitione. *Comitiis præfuit*] Videtur hoc loco idem esse, habere comitia, & comitiis præesse. Nam superius illud *habebit comitia*, nunc repetitur. *Nullo custode*] Hic locus indicat sortienti tribus custodes adjungi solitos á quibus observaretur:Rullo autem neminem affuturum. *Renunciavit*] Ut facere, designare, creare, deligere, sic renunciare comitiale verbum est, & videtur proprium esse præconis, qui tribus suæ suffragiis hunc vel illum renunciat á tribu sua delectum. Singulæ enim tribus suos præcones habebant,per quos studia sua renunciabant. Neq; singulæ voces præconum, fuit initio. & pro lege Manilia sic Cicero loquitur: Nam cúm propter comitiorum dilationem ter prætor primus renunciatus, &c. *Vix*] Pro complexione (*Quare populo non consulis*) hæc indignatio ex collatione minorum additur. *Optima leges*] Commoratur in assumtionis probatione,commutatis verbis,ut suspicio-

ſpicionis acerbitatem augeat. *Aſcriptores*] Aſcriptor videtur idem eſſe quod ſubſcriptor:id eſt, cauſſidicus, qui adjuvare cauſſam poterat: & hæc á Cicerone conjunguntur? Venalis aſcriptor & ſubſcriptor, pro domo ſua: Deſenſor & aſcriptor, poſt reditum: & ibidem, Author & aſcriptor. *Præſcriptione*] Præſcribere interdum idem eſt quod inſcribere, ut apud Virgil. Eclog. 6.

—Nec Phœbo gratior ulla eſt,

Quám ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen.

Hinc præſcriptio legis; id eſt, inſcriptio, titulus: ut Servilia lex ab authore Servilio diceretur, ſicut Licinia, Æbutia. Hinc apud Cæſarem metaphora pro ſimulatione, Ut honeſta præſcriptione rem turpiſſimam tegerent.

At[c] *videte*[d] *hominis*[b] *diligentiam, ſi aut*[?] *Rullum cogitaſſe, aut ſi Rullo potuiſſe in mentem*[c] *venire arbitramini.*[c] *Viderunt ij qui hæc*[c] *machinabantur, ſi vobis ex omni populo deligendi poteſtas eſſet data, quæcunque res eſſet in qua*[a] *fides,*[a] *integritas,*[a] *virtus,*[a] *auctoritas quæreretur, vos eam ſine dubitatione ad Cn. Pompejum principem delaturos. Etenim quem unum ex cunctis delegiſſetis, ut eum*[?] *omnibus omnium gentium bellis terra & mari præponeretis, certé in Decemviris faciendis,*[?] *ſive fides haberetur, ſive honos,*[?] &[?] *& committi*[?] *huic optimé, & ornari hunc juſtiſſimé poſſe intelligebant. Itaq; excipitur hac lege,*[?] *non adoleſcentia, non legitimum aliquod*[c] &[?] *impedimẽtum, non poteſtas, nõ magiſtratus ullus, aliis negociis ac legibus*[c] *impeditus: non reus deniq;, quo minús Decemvir fieri poſſit. præſentem eum profiteri jubet: quod nulla alia in lege unquam fuit, ne in his quidẽ magiſtratibus, quorum certus ordo eſt. Timebat enim, Pompejus ne ſi adeſſet, ferri non poſſet; aut ne ſi accepta lex eſſet, illum ſibi collegã adſcriberetis*[c] *cuſtodem ac vindicem*[a] *cupiditatum.*

AT VIDETE] Additur superioribus gravior suspicio, quód Pompejus Decemviratu excludatur, & ideo libertas populo tollatur. Syllogismus sic est,

Si libertas vobis relinqueretur, Pompejus eligeretur:
Sed eligi non potest:
Propterea vobis libertas nulla relinquitur.

Viderunt] Videtur hoc loco propositio futuræ reprehensionis deesse. Solet enim Cicero proponere, quid cõfirmare vel infirmare velit. *Principem*] Princeps pro primo aliquando sumitur: ut 2 Oratorio, Namq; & Herodotum illum, qui princeps hoc genus ornavit. Et apertiús 7 actione, Ut quisque in fuga postremus, ita periculo princeps. *Etenim*] Ratio propositionis á majori. Delectus est Pompejus omnium gentium bellis imperator: Ergo Decemvir deligeretur. Pompejus autem in Africa contra Domitium, in Hispania contra Sertorium, toto mari Mediterraneo contra Piratas, & in Asia contra Mithridatem imperator delectus fuerat. *Itaq;*] Sententia assumtionis, Sed legis exceptione ejus electio impeditur. Hic exceptionis legitimæ caussas Cicero removet. Ætas enim legibus erat definita, & quædam potestates duæ simul geri non poterãt, & reus, nisi priús absolutus, creari non poterat. *Profiteri*] Profiteri videtur hoc loco esse comitiale verbũ, ut idem sit quod profiteri nomen inter candidatos, & petitores Decemviratus, quomodo Livius sexto belli Punici loquitur: Primó expectaverunt, ut qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. *Quod nulla*] Removet hic talis exceptionis exemplum, ut anté jam caussas removerat. *Quorum certus*] Ordinarius & Ordinarié Nizolius ut non Ciceroniana notavit, & videtur hac periphrasi Cicero nomen hoc refugisse: tamen extraordinarii vocabulo sæpé utitur, extraordinarium munus, imperium, honorem, reum: & pecuniam extraordinariam, petitionem, potestatem, cupiditatem: quod etiam extra ordinem sæpé dicit: ut extra ordinem bella committere, provincias dare. *Timebat*] Exceptionis est finis.

Hic quoniam video vos [d] *hominis dignitate & contumelia* [d] *legis esse commotos,* [c] *renovabo illud, quod*

quod initio dixi, regnum comparari, libertatem ve ſtram hac lege ᶜfunditus tolli. An vos aliter exiſtimabatis, cúm ad omnia veſtra pauci homines cupiditatis ᶜoculos adjeciſſent, non eos inprimis id acturos, ut ex omni cuſtodia veſtræ libertatis, ex omni poteſtate, curatione, ᶜpatrocinio veſtrorum commodorum Cn. Pompejus ᶜdepelleretur?" &" Viderunt, & vident, ſi per imprudentiam veſtram, negligentiam meam, legem incognitam acceperitis, fore uti poſtea cognitis ᶜinſidiis, cúm Decemviros crearetis, tum vitiis omnibus & ſceleribus legis Cn. Pompeji ᶜpræſidium opponendum putetis, & hoc parvum argumentum vobis erit, á certis hominibus dominationem poteſtatemque omnium rerum quæri? cúm videatis eum, quem ᶜcuſtodem veſtræ ᵃlibertatis fore videant, expertem fieri dignitatis?

HIC QUONIAM] Hîc plauſu vel clamore aliquo, populi conſenſio ſignificata eſt. Itaque jam inflammatum populum Cicero vehementiús incendit, & libertatem, quod jam toties uſurpatum eſt, & quæ hîc etiã propria complexio eſt, violari concludit. *An vos aliter*] Commoratur in ſuperiore ſyllogiſmo, ſed ordinem partium invertit. Aſſumtionis ſententia præcedit de exceptione & ejus fine. *Viderunt*] Sententia propoſitionis, *Si libertas eſſet, Pompejus eligeretur.* Eſt autem nonnihil in antecedẽte immutata. *Et hoc*] Pro complexione (*Quare libertas eripitur*) ponitur contrarium; id eſt, dominationem quæri: & idem argumentum tertio loco repetitur.



Cognoſcite nunc, quæ poteſtas ᵈDecemviris, & quanta detur. Primúm lege Curiata ᵈDecemviros ᶜornat. Jam hoc inauditum, & plané novo more, ᵛuti Curiata lege magiſtratus ᵛdetur, cui nullis L. ut is Cur. l. m. detur, qui nul. *al.* ut ei Cur.

comitiis antésit datus. Eam legem ab eo Pratore, qui sit primus factus, ferri jubet." At quomodo? ut is Decemviratū habeant, quos plebs designaverit. oblitus est nullos á plebe designari. & is [a] & [d] orbem terrarum [c] constringit novis legibus, qui, quod in secūdo capite scriptum est, non meminit in tertio? Atq; hic perspicuum est, quid juris á majoribus acceperitis, quid ab hoc Tribuno plebis vobis relinquatur. Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt." nam Centuriata lex Censoribus ferebatur, cúm Curiata cateris patriciis magistratibus; tum iterū de eisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populū beneficii sui pœniteret. nunc quia prima illa comitia tenetis, Centuriata & Tributa: Curiata tātúm auspiciorum caussa remanserūt. hic autem Tribunus pl. quia [c] videbat potestatem neminem injussu populi aut plebis posse habere," Curiatis ea comitiis, qua vos non sinitis, confirmavit: Tributa, qua vestra erant, sustulit. Ita cúm majores binis comitiis voluerint vos de singulis magistratibus judicare, hic homo [b] & [c] popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit.

L. nam cúm Centuriata lex consulibus fer.

quid. Curiatis ea com. q.v. nō teneus, conf.

C o g n o s c i t e] Attentio ad tertium caput, quo per legem Curiatam Decemviratus crearetur, quod ut novum exemplum, & contra legum authoritatem reprehenditur. Ac quoniā incidimus in gravē & obscurum locum, is propterea diligētiús & accuratiús explicādus est. Dicamus igitur quæ & quot comitia Romæ fuerūt, qui magistratus his fierent, & quomodo comitia geminata sint. Comitia, ut ex Gellio & hac Ciceronis disputatione diligenter animadvertenti perspicuum esse potest, Calata aut Tributa Romæ fuerunt. Calata veró suspicor esse dicta (nihil enim

nim certi comperi) quód á patricio aliquo magistratu, qui jus haberet universi populi calandi, id est vocandi, indicerentur. Tribuni enim, quorum tributa comitia erant, licet prehensionem haberent, vocationem tamen non habebant, ut Varro & Capito apud Gellium lib.13, cap.12, authores sunt. Calata itaque Centuriata fuerunt aut Curiata. Centuriata fiebant populo per cornicinem convocato, & centuriatim, id est per cētenas turmas, ex censu & ętate diviso, ut Gellius lib.15, cap.27: & Cic.3 Legum indicat, cúm explicat legem illam duodecim tabularum: De capite civis nisi per maximum comitium ollosque quos Censores in partibus populi locassint, ne ferūto. Cúm, inquam, Cicero legem illam explicat, ait, Cúm legis hæc vis sit scitum & jussum in omnes ferri, de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt. Descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus plus adhibet in suffragium consilii, quám fusē in tribus convocatus. De his comitiis Cicero in oratione post reditum de Lētulo, Quo die nos comitiis Centuriatis, quæ maximé majores justa dici haberique voluerunt, arcessunt in patriam, ut eædem Centuriæ, quæ me Cōsulem fecerāt, Consulatum meum comprobarent. Et pro Milone, Illa augusta centuriarum auspicia, dicit. Ergo cēturiata comitia, testimonio Ciceronis, maxima erāt omnium, justissima & augustissima. Hoc idem videtur Livius primo libro post populi classes á Servio descriptas dicere. Deinde (ait) est honos additus; nō ut ab Romulo traditum cæteri servaverant reges, viritim suffragium eadem vi, eodemque jure promiscuē omnibus datum est, sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocabantur primi, octoginta inde primæ classis centuriæ: primúm peditum vocabantur: ibi si variaret, quod raró incidebat, ut secundæ classis vocarentur: nec feré unquam infrá ita descenderent, ut ad infimos pervenirent. Hęc Livius, ubi docet suo tempore duplicato post Servium regem tribuum numero non omnino eandem centuriatorum comitiorum rationem servatam esse. Hæc autem comitia fiebant in campo Martio extra urbem, & ne quid interea civib' occupatis turbaretur, exercit' in armis erat, ut

Gellius eodem illo 27 cap. lib. 15. Primum igitur Calatorum comitiorum genus ejusmodi fuit: secundum sequitur. Curiata comitia fiebant populo per lictorem convocato, & curiatim, id est tributim, diviso, & in his ex generibus omnium suffragia ferebantur, nulla vel census, vel ætatis habita ratione, ut ex Gellii & Ciceronis jam propositis locis intelligitur. Gellius enim per lictorem ait populũ convocari, & ex generibus omnium ibi suffragia ferri: & Cicero minus consilii significat hîc esse, populo fusé in tribus convocato: & illud est quod Livius indicat, viritim suffragium eadem vi, eodemque jure promiscué omnibus datum. Hæc itaque duo Calatorum comitiorum genera sunt. Tributa reliqua sunt, quæ ex regionibus & locis fiebãt, ut Gellius lib. 15, cap. 27. quibus plebeji tantúm intererant, non patres patrúmve cliẽtes ac liberti, sicuti Livius 1 Decad. docet in Voleronis Tribuni lege, & attigimus in argumento. Quare sic appellata sint, nullam caussam reperi, nec quomodo indicerentur, & populo significarentur. Satis tamen constat, comitia tributa conventus publicos fuisse, & in comitio celebrari solitos, ut cõstat ex comitiis tribunitiis, quæ tributa erant, ut mox dicetur. Plutarchus enim ait, Cúm Gracchus Tribunus factus est, turbam suffragantium comitio capi non potuisse, & ex tegulis suffragia data esse. Ut autem faciliús intelligamus curiatorum & tributorum differentiam, in curiatis cives secundum curias & tribus triginta quinque dividebantur: neque regionibus & locis, sed alio genere distinguebantur: cúm unius & ejusdem tribus cives in diversis regionibus liceret habitare. In tributis veró secundúm regionem & locum ubi habitarent, distinguebantur, ut si viæ insignes duodecim & regiones Romę fuissent, cives in comitiis in duodecim partes singuli secundúm suam regionem divisi suffragia sua ferrent. Atque hæc comitiorum calatorum & tributorum definitio est. Secundó dicendum est, qui quibus comitiis crearentur. Comitiis centuriatis majores magistratus, Censores, Consules, Prętores; tributis vel potiús curiatis minores fieri solitos Gellius ait lib. 13, cap. 14. Quod perpetuó non esse servatum, Cicero hic author est, cúm ait, Centuriata lex Censoribus ferebatur,
cum

cúm Curiata cæteris patriciis magistratib⁹. Attamē postea omnes patricios magistratus Centuriatis comitiis, ut plebejos Tributis factos esse in hac disputatione demonstrat, cúm ait, Nunc quia prima illa comitia tenetis, centuriata & tributa, curiata tantúm auspiciorum caussa remanserunt. Ergo tempore Ciceronis, omnes patricii magistratus comitiis centuriatis fiebant, tributis plebeji. Livius autem 5 lib. non idem omnino sentit. Comitia curiata, quæ rem militarem continent: comitia cēturiata, quibus Coss. Tribunosque militares creatis, ubi auspicato, nisi ubi adsolet, fieri possunt. Ergo rationem comitiorum temporibus variatam intelligimus. Superest ut de conjunctione comitiorum dicamus. Magistratus omnes Rom. binis fiebant comitiis. Prima comitia centuriata erant, aut tributa, secūda curiata. Quod Cicero hîc plané confirmat, cúm ait, Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam Centuriata lex Censoribus ferebatur, cū Curiata cęteris patriciis magistratibus: tum iterum de eisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. Nunc quia prima illa comitia tenetis, centuriata & tributa; curiata tantúm auspiciorum caussa remāserunt. Quod etiam manifestiús superiore loco Cicero docet, cúm ait: Jam hoc inauditum, & plané novo more, uti Curiata lege magistratus detur, cui nullis anté comitiis sit datus. Quare ex his Ciceronis testimoniis apparet curiata comitia tempore Ciceronis secunda comitia fuisse primis centuriatis aut tributis probandis vel improbandis adhiberi solita, quasi prima humana fuissent, secūda hæc divina. Nam curiata auspiciorum tātúm caussa remanserant, ut hic ait Cicero; & Pōtificibus arbitris præbebantur, ut Gellius lib. 5, cap. 19. Nec his comitiis tota plebs intererat, sed septemdecim tātúm tribus, nec ea sinebat, ut Cicero hic ait. Atque horum conjunctorum comitiorum species quædam à regio dominatu videtur ad liberum populum pervenisse. Numa factus est una centuriarum omnium voce rex. Regnum tamen non anté suscepit, quám dii captatis auspiciis addixissent. Curiataque lex tempore Ciceronis videtur centuriatæ & tributæ tanquam auspex & judex fuisse. *Curiata lege*] Curiatam legem significat,

curiatis comitiis latam, quomodo pauló pòst loquitur: Cěturiata lex Censoribus ferebatur. *Pratore, qui sit*] Octo Prætores urbani tum fuere, ut ex oratione in Pisonem potest intelligi. *Oblitus est*] Repugnantiam quandam hîc arguit, quòd primo capite per novem tribus Decemviros Rullus faceret, tertio videatur per universam plebem facere. *Constringit*] Talis metaphora in superiore oratione fuit, Omnibus vinculis devinctam & constrictam teneretis. *Atq; hic*] Exaggeratur indignitas hujus creationis per dissimilitudinem: Majores bina comitia populo dederunt, Rullus omnia sustulit. protasis divisione comitiorum declaratur. *Patricius*] Patricii magistratus fuere Censura, Consulatus, Prætura, Ædilitas. Hos enim magistratus quondam soli Patricii tenuerunt, postea cum plebe fuerũt communes. *Ut esset*] Ratio secundorum comitiorum ad priorum comitiorum correctionem, si quid esset illic offensum. *Auspiciorum*] Auspicia & sacra quædam solennia comitiis, sicut omnibus gerendis rebus adhibebantur, eaque majora erant, & minora: illa majoribus magistratibus, hæc minoribus adhibebantur. *Hic autem*] Antapodosis dissimilitudinis, ubi finis hujus commenti ponitur. *Qua non sinitis*] Nam Pontificibus arbitris ea præbebantur, ut Gellius ait lib. 5, cap. 19. vel quia plebs non universa advocatur, sed ejus pars minor. & *Sinitis* hoc loco notandum est, id est, jubetis. *Ita cum*] Conclusio dissimilitudinis.

Sed [c] *videte* [d] *hominis* [b] *religionem & diligentiam.* [c] *Vidit & perspexit, sine Curiata lege Decemviros habere potestatem non posse, quoniam per novem* [a] *tribus essent constituti. jubet ferre de his legem Curiatam: Pratori imperat: quàm id ipsum* [c] *absurdé, nihil ad me attinet. Jubet enim qui primus sit Prator factus, eum legem Curiatam* [?] *ferre: sin is ferre non posset, qui postremus sit: ut aut lusisse in tantis rebus, aut profectó nescio quid spectasse videatur.* [11] & [11] *Verùm hoc quod est* [1] *aut ita perversum, ut ridi-*

ut ridiculum; aut ita malitioſum, ut obſcurum ſit, relinquamus: ad [b]religionẽ [d]hominis [c]revertamur. [c]Videt ſine lege Curiata nihil agi per [d]Decẽviros poſſe.[18] Quid poſtea, ſi ea lata non erit? attendite [b]ingeniũ. [19]TUM II DECEMVIRI, *inquit*, EODEM JURE SINT, QUO QUI OPTIMA LEGE. *Si hoc fieri poteſt, ut in hac [a]civitate ([22]quæ longé jure libertatis cæteris civitatibus [c]antecellit) quiſquam nullis comitiis imperium aut poteſtatẽ [c]aſſequi poſſit, quid attinet tertio capite legẽ Curiatam ferre jubere, quoniã quarto permittas, ut ſine lege Curiata idẽ juris [a]habeãt, quod haberent, ſi optima lege á populo eſſent creati?* [21]*Reges conſtituũtur, non Decemviri, Quirites. Hisq; ab iis [c]initiis fundamentiſque naſcuntur, ut non modó cúm gerere cœperint; ſed etiam cúm cõſtituentur, omne veſtrum jus, poteſtas, libertasq; tollatur.*

SED VIDETE] Locus attentionis ad clariús exponendum commenti Rulliani finem de curiata lege per Prætorem. *Sine Curiata*] Quia Curiata lex (ut jam dictum eſt) auſpicium quoddam erat, & divina quædam approbatio humanæ legis, quę prioribus comitiis eſſet lata: & mox repetetur idem, Videt ſine lege curiata nihil agi per Decemviros poſſe. Id veró ex Augurum & Pontificum (quibus arbitris hæc ſecundaria comitia præbebantur) authoritate intelligẽdum eſt, ſine qua nil per magiſtratus geſtum poterat probari, ut 2 Legum Cicero author eſt. *Abſurde*] Reprehenſio ex circumſtantia perſonarum. Tribunus enim Prætori majori & patricio magiſtratui, & collegæ Conſulis non poterat imperare. *Ut aut Iuſiſſe*] Notat ex re tam confuſa Rulli ſtultitiam, aut fraudem hic ſubeſſe. *Spectaſſe*] Spectandi verbum ad finem plerunque pertinet, ut Officiorum ſecundo: Juvenes magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudiis contendere debent. Itaque hîc ſpectaſſe eſt propoſitum habuiſſe.

Verùm] Transitio ad quartum caput, quo decemviri etiã sine Curiata lege creabantur, ex quo tertium caput reprehenditur:

Si nullis comitiis magistratus fieri potest, lege Curiata nil est opus:
At primum constat è quarto capite:
Constat igitur secundum.

Assumtio præcedit. *Perversum*] Id est, præposterum: quomodo pro Cluentio dixit, Itaque ut erat semper præposterus atque perversus. *Attendite*] Locus attentionis per irrisionem illis similem: At videte hominis diligentiam: At videte quàm diligenter. *Si hoc fieri*] Propositio syllogismi aucta repugnantibus, quòd liberrima civitas sit sine comitiis. Considerabis autem quoties jam nomen libertatis hîc usurpatum sit. *Quoniam quarto*] Ratio propositionis ex præsentis capitis testimonio. *Reges*] Pro cõplexione propria (*Quare curiata lege nil opus est*) generalis universæ dissuasionis complexio ponitur, jam toties iterata.

At [c] *videte quàm* [b] *diligenter retineat jus* [?] *Tribunitiæ* [?] *potestatis: Consulibus legem Curiatam ferentibus, à Tribunis plebis sæpe est* [?] *intercessum: neque tamen nos id querimur, esse hanc Tribunorum plebis potestatem: tantummodo si quis ea potestate temere est usus, existimamus. hic Tribunus plebis legi Curiatæ, quam Prætor ferat, adimit intercedẽdi potestatem. Atq; hoc cùm in eo reprehendendũ est, quòd per Tribunum plebis* [?] *Tribunitia potestas* [c] *minuitur; tum in eo deridendum, quòd Consuli, si legem Curiatam non habet, attingere rem militarẽ non licet:* [a] *huic, cui vetat* [?] *intercedendi potestatem, etiam si intercessum sit, tamen eandem constituit, quam, si lata esset lex: ut non intelligam, quare aut hic vetet* [?] *intercedere, aut quenquam intercessurũ putet, cùm intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem* [c] *impeditura.*

Lhic qui vetat intercedere potestatem,

At videte] Arripitur ex superiore disputatione diminutio Tribunitiæ potestatis, & dissimilium collatione exaggeratur; Tribunitia intercessio Curiatam legem sustulit: Hic Tribunus Curiata lege Tribunitiam intercessionem tollit. *Querimur*] Potestátis Tribunitiæ magna vis fuit: Nulli magistratui alii parere, omnibus intercedere, Senatusconsulta probare vel improbare, prehendere, & in carcerem vel Consules conjicere. Quinquennio ante Tiberii Gracchi Tribunatum, D. Brutum & P. Scipionem Coss. quos & quantos viros homo omnium infimus & sordidissimus Tribunus plebis C. Curiatius in vincula conjecit: quod anté factum non erat, ait Quintus frater 3 Legum. Hanc tantam potestatem Sylla imminuit, Pompejus restituit, & Cicero, licet ab ea vexatus iniquissimé, tamen retinuit in Legibus, cúm ait; Plebes quos pro se contra vim, auxilii ergó, decem creassit, Tribuni ejus sunto: Quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint; ratum esto; sanctiq; sunto: néve plebem orbam Tribunis relinquũto. Hæ Ciceronis sunt de Tribunatu leges, & in earum interpretatione confitetur in hoc magistratu mala quidem esse, sed bona etiam magna, quia concessa plebi á patribus ista potestate, arma ceciderunt, restincta seditio est. Inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari se putarint, in quo uno fuit civitatis salus, & ideo Tribunus appellatur custos, præses, defensor & propugnator Romanæ libertatis. *Existimamus*] Absoluté sic dicitur in Oratore, Orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti; sed nihil est experienti minus. Existimare igitur pro Considerare, híc sumitur. *Hic tribunus plebis*] Antapodosis est dissimilitudinis exaggerata cõjugatis & majoribus. *Huic*] Antapodosis minorum ad illa majora quæ præcesserunt. *Ut non intelligam*] Concluditur reprehensio de imitatione Tribunatus.

16 *Sint igitur Decemviri, neq; veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neq; illis ad speciem atq; ad usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum caussa adumbratis constituti: videte nũc*

eos qui à vobis nihil potestatis acceperint, quanto majoribus[c] *ornamentis*[9] *afficiat, quàm omnes nos affecti sumus, quibus vos*[c] *amplissimas potestates dedistis. Jubet auspicii coloniarum deducẽdarum caussa Decemviros habere pullarios.* [10]EODEM JURE, *inquit*, QUO HABUERUNT TRES VIRI LEGE SEMPRONIA. [11]*Audes etiam Rulle mentionem facere*[*] *legis Semproniæ? nec te ea lex ipsa*[**] *commonet, tres viros illos trigintaquinq, tribuũ suffragio esse creatos? &, cùm tu à Tib. Gracchi*[a] *æquitate ac*[a] *pudore lõgissimè*[c] *remotus sis, id quod dissimillima ratione factum sit, eodem jure putas esse oportere?*

al. commovet,

SINT IGITUR] Hactenus disputatum est de fine legis Agrariæ, quòd tyrannidem & dominationem decem tyrannorum tantummodo spectarit, idque ex quatuor legis ipsius capitibus accuratè disceptatum, quòd per minorem partem populi Decemviri crearentur, in quo libertas populo eripitur: quòd more Pontificis maximi: totum verò contrà est. Nam Pontificis electio, quæ per religionẽ, populi non erat, quodammodo comitiis illis ad populum translata est; hîc verò quod populi semper fuit, populo extorquetur, & Pompejus indignissimè excluditur, & Rullus pro libidine omnia constituit: quòd Curiata lege, quæ tamen secũdaria est: quòd sine Curiata lege, quod planè perversum aut insidiosum est. his inquam capitibus finis legis agrariæ disceptatus est, libertatem tolli, dominationẽ constitui: deinceps ad finem eundem confirmandum tyrannidis forma quædam ostenditur, & superiorum invidiosa permissio præponitur. *Usurpationem*] Ut antea dixit ad usurpandam libertatem, ita nunc ad usurpationem vetustatis ait, quasi diceret ad continuãdam possessionem juris antiqui & consuetudinis antiquæ. *Per triginta*] Si lectio vera est, suspicio fuerit à Romulo vetustatem hanc profectam esse, qui populum in triginta curias divisit, quibus singulis lictores in comitio adfuerunt. Expulsis autem regibus,

legibus, non tam regnum, quàm regni nomen mutatum est. Consules imperium plane regium legibus & rationibus subjectum & tempore definitum, insigniaque regia, & auspicia, & sacra retinuerunt. *Videte*] Attentionis locus ex collatione majorum: Nos Coss. tot ornamētis affecti non sumus. *Jubet*] Argumentum tyrannicæ formæ colligitur ex variis adjunctis, pullariis, apparitoribus, &c. Quod ita reprehenditur,

Quod dissimillima ratione factum est, eodem jure non debet esse:

At Gracchorum & Rulli divisores dissimillima ratione sunt facti:

Eodem itaq; jure non debent esse.

Assumtio præcedit dissimilitudine legis Semproniæ & Serviliæ, quia illa per trigintaquinq; tribus lata sit, hæc per septemdecim feratur. *Pullarios*] Reipublicæ Romanæ pars maxima divinatione continebatur, id est, voluntatis divinæ consideratione & cognitione, quæ videlicet res futuras denunciaret. Itaque divinatio & artificiosa in conjecturis sortium, ominum, in observatione astrorum, fulgurum, extorum, avium, ut pullorum; unde pullarii, qui huic divinationi præerant: & naturalis in furore mentis & insomniis. Notabis autem hîc auspicem pullarium veluti religionis magistrum in comitatu magistratus primo loco esse. *Tres viri*] Notabis hîc tres viros separatim dici, qui conjuncto verbo dicti sunt antea triumviri. *Et cum tu*] Propositio syllogismi dissimilitudinis maximam, quæ vulgó dicitur in scholis, complexa.

Dat præterea potestatem verbo Prætoriam, re vera regiam. definit in quinquennium. facit sempiternam. tantis enim confirmat opibus & copiis, ut invitis eripi nullo modo possit. deinde ornat apparitoribus, scribis, librariis, præconibus, architectis, præterea mulis, tabernaculis, centuriis, supellectili. sumptum haurit ex ærario, suppeditat á sociis. Janitores ex Equestri loco ducētos in annos singulos, stipatores corporis constituit, eosdem ministros &

ſatellites [a] poteſtatis. Formam adhuc habetis, Quirites, & ſpeciem ipſam tyrannorum; inſignia videtis veteris [a] & [9] poteſtatis, nondum ipſam poteſtatē. [18] *Dixerit enim fortaſſe quiſpiam, quid me iſta lædunt, ſcriba, lictor, præco, pullarius? omnia ſunt hæc hujuſmodi, Quirites, ut ea qui habeat ſine veſtris ſuffragiis, [a] aut Rex non ferendus, aut privatus [d] furioſus eſſe videatur.*

DAT PRAETEREA] Digreſſiuncula eſt. De hac enim poteſtate non erat propoſitum, & mox ſeparatim, tametſi à tyranni ſpecie hoc etiam argumentum non alienum eſt. *Prætoriam*] Prætoris poteſtas magna fuit, jus novum condere, vetus abrogare. Hinc illud Ovidii,

Verbaq; honoratus libera prætor habet.

Ornamenta & inſignia Prætoris fuere ſex lictores, quamvis Paulus Æmilius duodecim habuiſſe dicitur; ſella curulis, trabea candida, equi albi, niveique ad fręna Quirites, ut Juvenalis ait. Poteſtas tamē hæc annua fuit. *Sempiterna*] Romæ nullus poſt expulſos Reges perpetuus civilis magiſtratus fuit. Augures quidem perpetui, fuere: at Conſules Tribunique, & cęteri civiles, quorum certus eſſet ordo, annui. Extraordinarii aliquando breviores, ut Dictatura ſemeſtris: aliquando diuturniores, ut hîc Decemviri in quinquennium: & Cæſar id temporis imperium in Gallia primó obtinuit. De diuturnitate magiſtratuum Ariſtoteles quærit in Politicis, & reprehendit Platonem, quód in Republica magiſtratus perpetuos facere videatur, nec ipſe omnino perpetuitatem in magiſtratibus eſſe voluit. *Deinde ornat*] Redit ad tyrannicæ formæ circunſtantias. Apparitor autem eſt qui præſto magiſtratui adeſt ad obeundum quod imperavit, ut viator, ſtator, lictor. Nam pauló póſt pro apparitore lictor repetitur. hinc apparitio, muneris ejus functio: ut ad Thermū Cicero, Ego cum antea ſtudioſé commendabam Marciliū, tum multó nunc ſtudioſius, quód in longa apparitione ſingularem & prope incredibilem patris Marcilii fidem, abſtinentiam, modeſtiamque cognovi. *Scribis*] Scriba quondam librarios & poetas ſigni-

significavit, nunc librarios publicarum rationum, ait Festus. Scriba igitur erit graphiarius & secretarius, ut modó loquimur. *Praconibus*] Præco, qui aliqd publico jussu pronũciat, vel in judicio, vel in theatro, vel in alio quovis loco publico. *Architectu*] Architect⁹ hîc intelligatur ex divisorũ agrariorũ munere, qui nõ solúm dividebãt & metiebãtur agros, sed ædificiis areas & urbib⁹ designabãt, ut antea dictum est: vel architectos intellige designatores hospitiorum, quos habent in comitatu principes, quos Mareschalos hospitiorum, & Fourarios vulgó nominamus. *Centuria*] Centuria in bello centum homines significat, in agris ducenta jugera: hic veró significare videtur eam partem comitatus, qualem vocamus in comitatu nostri regis centum nobiles. *Suppeditat á sociis*] Sumptum facit publicum partim ex ærario, partim á sociis. Præpositio autẽ *á* significat hîc *per*. Intellige igitur, suppeditat Rullus Decemviris sumptum á sociis, id est, per socios: ut pro Milone loquitur. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui sæpe spoliantem jam & exultãntem evertit & perculit ab abjecto, id est, per abjectum & prostratũ. *Formã*] Cõcluditur forma tyrãnidis, & transitur ad efficiẽtes ejus caussas ex potestate Decemviris permissa. *Dixerit*] Repetitur idẽ per prolepsin ad augendam invidiam, & disjuncto syllogismo reprehẽsio concluditur:

Qui sine vestris suffragiis hæc obtinet, aut rex non ferendus, aut privatus furiosus:
Non secundum:
Primum igitur.

[c] *Perspicite quanta potestas permittatur: nõ privatorum* [a] *insaniam, sed* [a] *intolerantiam Regum esse dicetis. Primúm permittitur infinita potestas innumerabilis pecuniæ conficiendæ de vestris vectigalibus non fruendis, sed alienandis. deinde* [d] *orbis terrarum, gentiumq; omnium datur cognitio sine consilio, pœna sine provocatione, animadversio sine auxilio.* [e] *Judicare per quinquennium,* [a] *vel de Consulibus, vel de ipsis Tribunis plebis poterunt: de illis*

actionibus:sed ad hunc locum nil hæ leges attinẽt: pro domo sua propria mentio est hujus Liciniæ; Præterquã quód ne id quidem per legem Liciniam, ut ipse tibi curationem ferres, facere potuisti. Et iterum 13 ad Atticum, quãvis nominatim legem non appellat, tamen ad eam alludit: Atque hoc etiam accepi, nõ solitos majores nostros legare in decem, qui essent imperatorum necessarii, ut nos ignari pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potiús, M. Lucullum & L. Muræmam, & cæteros ad L. Lucullum misimus. Videntur autem hæ Tribunitiæ leges ex Solonis lege deductæ. Solon enim cavit, ne is fieret curator, ad quem post pupillorum obitum hæreditas perveniret, ut Laërtius ait in Solonis vita. Quod autem hîc in Rullo Cicero reprehendit, ambo Gracchi fecere, & suæ legis curatores fuere; sed referẽte Scipione per Senatum id tum damnatum est, missusque Turdianus Cos. qui judex divisoribus esset. Vide Appianum 1 lib. *Etenim*] Disputat ex adjunctis:

Si populo consuleres, removeres te á suspicione:
Non te removes á suspicione:
Non igitur populo consulis.

Propositio repugnantibus & dissimilibus exornatur. *Nam hoc*] Sententia assumtionis, *At te non removes á suspicione*: quæ probatur longa superiorum Rulli factorum repetitione. *Comitiis præfuit*] Videtur hoc loco idem esse, habere comitia, & comitiis præesse. Nam superius illud *habebit comitia*, nunc repetitur. *Nullo custode*] Hic locus indicat sortienti tribus custodes adjungi solitos á quibus observaretur: Rullo autem neminem affuturum. *Renunciavit*] Ut facere, designare, creare, deligere, sic renunciare comitiale verbum est, & videtur proprium esse præconis, qui tribus suæ suffragiis hunc vel illum renunciat á tribu sua delectum. Singulæ enim tribus suos præcones habebant, per quos studia sua renunciabant. Neq; singulæ voces præconum, fuit initio. & pro lege Manilia sic Cicero loquitur: Nam cúm propter comitiorum dilationem ter prætor primus renunciatus, &c. *Vix*] Pro complexione (*Quare populo non consulis*) hæc indignatio ex collatione minorum additur. *Optima leges*] Commoratur in assumtionis probatione, commutatis verbis, ut suspicio-

ſpicionis acerbitatem augeat. *Aſcriptores*] Aſcriptor videtur idem eſſe quod ſubſcriptor: id eſt, cauſſidicus, qui adjuvare cauſſam poterat: & hæc à Cicerone conjunguntur? Venalis aſcriptor & ſubſcriptor, pro domo ſua: Defenſor & aſcriptor, poſt reditum: & ibidem, Author & aſcriptor. *Præſcriptione*] Præſcribere interdum idem eſt quod inſcribere, ut apud Virgil. Eclog. 6.

—Nec Phœbo gratior ulla eſt,
Quàm ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen.

Hinc præſcriptio legis; id eſt, inſcriptio, titulus: ut Servilia lex ab authore Servilio diceretur, ſicut Licinia, Æbutia. Hinc apud Cæſarem metaphora pro ſimulatione, Ut honeſta præſcriptione rem turpiſſimam tegerent.

At[c] *videte*[d] *hominis*[b] *diligentiam, ſi aut' Rullum cogitaſſe, aut ſi Rullo potuiſſe in mentem*[c] *venire arbitramini.*[c] *Viderunt ij qui hæc*[c] *machinabantur, ſi vobis ex omni populo deligendi poteſtas eſſet data, quæcunque res eſſet in qua*[a] *fides,*[a] *integritas,*[a] *virtus,*[a] *auctoritas quæreretur, vos eam ſine dubitatione ad Cn. Pompejum principem delaturos. Etenim quem unum ex cunctis delegiſſetis, ut eum' omnibus omnium gentium bellis terra & mari præponeretis, certé in' Decemviris faciendis, 'ſive fides haberetur, ſive honos,*[a] & ″ *& committi 'huic optimé, & ornari hunc juſtiſſimé poſſe intelligebant. Itaq; excipitur hac lege,*[a] *non adoleſcentia, non legitimum aliquod*[c] & ' *impedimẽtum, non poteſtas, nõ magiſtratus ullus, aliis negociis ac legibus*[c] *impeditus: non reus deniq;, quo minús Decemvir fieri poſſit. præſentem eum profiteri jubet: quod nulla alia in lege unquam fuit, ne in his quidẽ magiſtratibus, quorum certus ordo eſt. Timebat enim, Pompejus ne ſi adeſſet, ferri non poſſet; aut ne ſi áccepta lex eſſet, illum ſibi collegã adſcriberetis*[c] *cuſtodem ac vindicem*[a] *cupiditatum.*

AT VIDETE] Additur superioribus gravior suspicio, quód Pompejus Decemviratu excludatur, & ideo libertas populo tollatur. Syllogismus sic est,

Si libertas vobis relinqueretur, Pompejus eligeretur:
Sed eligi non potest:
Propterea vobis libertas nulla relinquitur.

Viderunt] Videtur hoc loco propositio futuræ reprehensionis deesse. Solet enim Cicero proponere, quid cõfirmare vel infirmare velit. *Principem*] Princeps pro primo aliquando sumitur: ut 2 Oratorio, Namq; & Herodotum illum, qui princeps hoc genus ornavit. Et apertiús 7 actione, Ut quisque in fuga postremus, ita periculo princeps. *Etenim*] Ratio propositionis á majori. Delectus est Pompejus omnium gentium bellis imperator: Ergo Decemvir deligeretur. Pompejus autem in Africa contra Domitium, in Hispania contra Sertorium, toto mari Mediterraneo contra Piratas, & in Asia contra Mithridatem imperator delectus fuerat. *Itaq;*] Sententia assumtionis. Sed legis exceptione ejus electio impeditur. Hic exceptionis legitimæ caussas Cicero removet. Ætas enim legibus erat definita, & quædam potestates duæ simul geri non poterãt, & reus, nisi priús absolutus, creari non poterat. *Profiteri*] Profiteri videtur hoc loco esse comitiale verbũ, ut idem sit quod profiteri nomen inter candidatos, & petitores Decemviratus, quomodo Livius sexto belli Punici loquitur: Primó expectaverunt, ut qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. *Quod nulla*] Removet hic talis exceptionis exemplum, ut anté jam caussas removerat. *Quorum certus*] Ordinarius & Ordinarié Nizolius ut non Ciceroniana notavit, & videtur hac periphrasi Cicero nomen hoc refugisse: tamen extraordinarii vocabulo sæpé utitur, extraordinarium munus, imperium, honorem, reum: & pecuniam extraordinariam, petitionem, potestatem, cupiditatem: quod etiam extra ordinem sæpé dicit: ut extra ordinem bella committere, provincias dare. *Timebat*] Exceptionis est finis.

Hic quoniam video vos [d] *hominis dignitate & contumelia* [d] *legis esse commotos,* [c] *renovabo illud, quod*

quod initio dixi, regnum comparari, libertatem vestram hac lege [c] funditus tolli. An vos aliter existimabatis, cúm ad omnia vestra pauci homines cupiditatis [c] oculos adjecissent, non eos inprimis id acturos, ut ex omni custodia vestræ libertatis, ex omni potestate, curatione, [c] patrocinio vestrorum commodorum Cn. Pompejus [c] depelleretur?" & " Viderunt, & vident, si per imprudentiam vestram, negligentiam meam, legem incognitam acceperitis, fore uti postea cognitis [c] insidiis, cúm Decemviros crearetis, tum vitiis omnibus & sceleribus legis Cn. Pompeji [c] præsidium opponendum putetis, & hoc parvum argumentum vobis erit, á certis hominibus dominationem potestatemque omnium rerum quæri? cúm videatis eum, quem [c] custodem vestræ [a] libertatis fore videant, expertem fieri dignitatis?

Hic quoniam] Hic plausu vel clamore aliquo, populi consensio significata est. Itaque jam inflammatum populum Cicero vehementiús incendit, & libertatem, quod jam toties usurpatum est, & quæ hîc etiã propria complexio est, violari concludit. *An vos aliter*] Commoratur in superiore syllogismo, sed ordinem partium invertit. Assumtionis sententia præcedit de exceptione & ejus fine. *Viderunt*] Sententia propositionis, *Si libertas esset, Pompejus eligeretur.* Est autem nonnihil in antecedẽte immutata. *Et hoc*] Pro complexione (*Quare libertas eripitur*) ponitur contrarium; id est, dominationem quæri: & idem argumentum tertio loco repetitur.

Cognoscite nunc, quæ potestas [d] Decemviris, & quanta detur. Primúm lege Curiata [d] Decemviros [c] ornat. Jam hoc inauditum, & plané novo more, " uti Curiata lege magistratus' detur, cui nullis

L. ut is Cur. l. m. detur, qui nul. *al.* ut ei Cur.

comitiis antè sit datus. Eam legem ab eo Pretore, qui sit primus factus, ferri jubet;" At quomodo? ut u Decemviratũ habeant, quos plebs' designaverit. oblitus est nullos à plebe designari. & is [a]&[d] orbem terrarum [c]constringit novis legibus, qui, quod in secũdo capite scriptum est, non meminit in tertio? At hic perspicuum est, quid juris à majoribus acceperitis, quid ab hoc Tribuno plebis vobis relinquatur. Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt." nam Centuriata lex Censoribus ferebatur, cùm Curiata cateris patriciis magistratibus; tum iterũ de eisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populũ beneficii sui pœniteret. nunc quia prima illa comitia tenetis, Centuriata & Tributa: Curiata tãtùm auspiciorum caussa remanserũt. hic autem Tribunus pl. quia [c]videbat potestatem neminem injussu populi aut plebis posse habere," Curiatis ea comitiis, qua vos non finitis, confirmavit: Tributa, qua vestra erant, sustulit. Ita cùm majores binis comitiis voluerint vos de singulis magistratibus judicare, hic homo [b]&' popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit.

L. nam cùm Centuriata lex consulibus fer.

quid. Curiatis ea com. q.v. nõ tenetis, conf.

COGNOSCITE] Attentio ad tertium caput, quo per legem Curiatam Decemviratus crearetur, quod ut novum exemplum, & contra legum authoritatem reprehenditur. Ac quoniã incidimus in gravẽ & obscurum locum, is propterea diligẽtiùs & accuratiùs explicãdus est. Dicamus igitur quæ & quot comitia Romæ fuerũt, qui magistratus his fierent, & quomodo comitia geminata sint. Comitia, ut ex Gellio & hac Ciceronis disputatione diligenter animadvertenti perspicuum esse potest, Calata aut Tributa Romæ fuerunt. Calata verò suspicor esse dicta (nihil enim

nim certi comperi) quód á patricio aliquo magistratu, qui jus haberet universi populi calandi, id est vocandi, indicerentur. Tribuni enim, quorum tributa comitia erant, licet prehensionem haberent, vocationem tamen non habebant, ut Varro & Capito apud Gellium lib.13,cap.12, authores sunt. Calata itaque Centuriata fuerunt aut Curiata. Centuriata fiebant populo per cornicinem convocato, & centuriatim, id est per cētenas turmas, ex censu & ętate diviso, ut Gellius lib.15, cap.27: & Cic.3 Legum indicat, cúm explicat legem illam duodecim tabularum: De capite civis nisi per maximum comitium ollosque quos Censores in partibus populi locassint, ne ferũto. Cúm, inquam, Cicero legem illam explicat, ait, Cúm legis hæc vis sit scitum & jussum in omnes ferri, de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt. Descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus plus adhibet in suffragium consilii, quám fusē in tribus convocatus. De his comitiis Cicero in oratione post reditum de Lētulo, Quo die nos comitiis Centuriatis, quæ maximé majores justa dici haberique voluerunt, arcessunt in patriam, ut eædem Centuriæ, quæ me Cõsulem fecerāt, Consulatum meum comprobarent. Et pro Milone, Illa augusta centuriarum auspicia, dicit. Ergo cēturiata comitia, testimonio Ciceronis, maxima erāt omnium, justissima & augustissima. Hoc idem videtur Livius primo libro post populi classes á Servio descriptas dicere. Deinde (ait) est honos additus; nõ ut ab Romulo traditum cæteri servaverant reges, viritim suffragium eadem vi, eodemque jure promiscué omnibus datum est, sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocabantur primi, octoginta inde primæ classis centuriæ: primúm peditum vocabantur: ibi si variaret, quod raró incidebat, ut secundæ classis vocarentur: nec feré unquam infrá ita descenderent, ut ad infimos pervenirent. Hęc Livius, ubi docet suo tempore duplicato post Servium regem tribuum numero non omnino eandem centuriatorum comitiorum rationem servatam esse. Hæc autem comitia fiebant in campo Martio extra urbem, & ne quid interea civib⁹ occupatis turbaretur, exercit⁹ in armis erat, ut

Gellius eodem illo 27 cap. lib. 15. Primum igitur Calatorum comitiorum genus ejusmodi fuit: secundum sequitur. Curiata comitia fiebant populo per lictorem convocato, & curiatim, id est tributim, diviso, & in his ex generibus omnium suffragia ferebantur, nulla vel censûs, vel ætatis habita ratione, ut ex Gellii & Ciceronis jam propositis locis intelligitur. Gellius enim per lictorem ait populũ convocari, & ex generibus omnium ibi suffragia ferri: & Cicero minus consilii significat hîc esse, populo fusé in tribus convocato: & illud est quod Livius indicat, viritim suffragium eadem vi, eodemque jure promiscué omnibus datum. Hæc itaque duo Calatorum comitiorum genera sunt. Tributa reliqua sunt, quæ ex regionibus & locis fiebãt, ut Gellius lib. 15, cap. 27. quibus plebeji tantúm intererant, non patres patrúmve cliẽtes ac liberti, sicuti Livius 1 Decad. docet in Voleronis Tribuni lege, & attigimus in argumento. Quare sic appellata sint, nullam caussam reperi, nec quomodo indicerentur, & populo significarentur. Satis tamen constat, comitia tributa conventus publicos fuisse, & in comitio celebrari solitos, ut cõstat ex comitiis tribunitiis, quæ tributa erant, ut mox dicetur. Plutarchus enim ait, Cúm Gracchus Tribunus factus est, turbam suffragantium comitio capi non potuisse, & ex tegulis suffragia data esse. Ut autem faciliús intelligamus curiatorum & tributorum differentiam, in curiatis cives secundum curias & tribus triginta quinque dividebantur: neque regionibus & locis, sed alio genere distinguebantur: cúm unius & ejusdem tribus cives in diversis regionibus liceret habitare. In tributis veró secundúm regionem & locum ubi habitarent, distinguebantur, ut si viæ insignes duodecim & regiones Romę fuissent, cives in comitiis in duodecim partes singuli secundúm suam regionem divisi suffragia sua ferrent. Atque hæc comitiorum calatorum & tributorum definitio est. Secundó dicendum est, qui quibus comitiis crearentur. Comitiis centuriatis majores magistratus, Censores, Consules, Prętores; tributis vel potiús curiatis minores fieri solitos Gellius ait lib. 13, cap. 14. Quod perpetuó non esse servatum, Cicero hîc author est, cúm ait, Centuriata lex Censoribus ferebatur,

cúm

cúm Curiata cæteris patriciis magiſtratibꝰ. Attamē poſtea omnes patricios magiſtratus Centuriatis comitiis, ut plebejos Tributis factos eſſe in hac diſputatione demonſtrat, cúm ait, Nunc quia prima illa comitia tenetis, centuriata & tributa, curiata tantúm auſpiciorum cauſſa remanſerunt. Ergo tempore Ciceronis, omnes patricii magiſtratus comitiis centuriatis fiebant, tributis plebeji. Livius autem 5 lib. non idem omnino ſentit. Comitia curiata, quæ rem militarem continent: comitia cēturiata, quibus Coſſ. Tribunoſque militares creatis, ubi auſpicato, niſi ubi adſolet, fieri poſſunt. Ergo rationem comitiorum temporibus variatam intelligimus. Supereſt ut de conjunctione comitiorum dicamus. Magiſtratus omnes Rom. binis fiebant comitiis. Prima comitia centuriata erant, aut tributa, ſecūda curiata. Quod Cicero hîc plané confirmat, cúm ait, Majores de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt. Nam Centuriata lex Cenſoribus ferebatur, cū Curiata cęteris patriciis magiſtratibus: tum iterum de eiſdem judicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficii ſui pœniteret. Nunc quia prima illa comitia tenetis, centuriata & tributa; curiata tantúm auſpiciorum cauſſa remāſerunt. Quod etiam manifeſtiús ſuperiore loco Cicero docet, cúm ait; Jam hoc inauditum, & plané novo more, uti Curiata lege magiſtratus detur, cui nullis anté comitiis ſit datus. Quare ex his Ciceronis teſtimoniis apparet curiata comitia tempore Ciceronis ſecunda comitia fuiſſe primis centuriatis aut tributis probandis vel improbandis adhiberi ſolita, quaſi prima humana fuiſſent, ſecūda hæc divina. Nam curiata auſpiciorum tātúm cauſſa remanſerant, ut hîc ait Cicero; & Pōtificibus arbitris præbebantur, ut Gellius lib. 5, cap. 19. Nec his comitiis tota plebs intererat, ſed ſeptemdecim tātúm tribus, nec ea ſinebat, ut Cicero hic ait. Atque horum conjunctorum comitiorum ſpecies quædam à regio dominatu videtur ad liberum populum perveniſſe. Numa factus eſt una centuriarum omnium voce rex. Regnum tamen non anté ſuſcepit, quám dii captatis auſpiciis addixiſſent. Curiataque lex tempore Ciceronis videtur centuriatæ & tributæ tanquam auſpex & judex fuiſſe. *Curiata lege*] Curiatam legem ſignificat,

curiatis comitiis latam, quomodo pauló póst loquitur: Cēturiata lex Censoribus ferebatur. *Pratore, qui sit*] Octo Prætores urbani tum fuere, ut ex oratione in Pisonem potest intelligi. *Oblitus est*] Repugnantiam quandam hic arguit, quód primo capite per novem tribus Decemviros Rullus faceret, tertio videatur per universam plebem facere. *Constringit*] Talis metaphora in superiore oratione fuit, Omnibus vinculis devinctam & constrictam teneretis. *Atq; hic*] Exaggeratur indignitas hujus creationis per dissimilitudinem: Majores bina comitia populo dederunt, Rullus omnia sustulit. protasis divisione comitiorum declaratur. *Patriciis*] Patricii magistratus fuere Censura, Consulatus, Prætura, Ædilitas. Hos enim magistratus quondam soli Patricii tenuerunt, postea cum plebe fuerūt communes. *Ut esset*] Ratio secundorum comitiorum ad priorum comitiorum correctionem, si quid esset illic offensum. *Auspiciorum*] Auspicia & sacra quædam solennia comitiis, sicut omnibus gerendis rebus adhibebantur, eaque majora erant, & minora: illa majoribus magistratibus, hæc minoribus adhibebantur. *Hic autem*] Antapodosis dissimilitudinis, ubi finis hujus commenti ponitur. *Quæ non finitu*] Nam Pontificibus arbitris ea præbebantur, ut Gellius ait lib. 5, cap. 19. vel quia plebs non universa advocatur, sed ejus pars minor. & *Sinitu* hoc loco notandum est, id est, jubetis. *Ita cúm*] Conclusio dissimilitudinis.

Sed [c]*videte* [d]*hominis* [b]*religionem & diligentiam.* [c]*Vidit & perspexit, sine Curiata lege Decemviros habere potestatem non posse, quoniam per novem* [a]*tribus essent constituti. jubet ferre de his legem Curiatam: Pratori imperat: quám id ipsum* [c]*absurdé, nihil ad me attinet. Jubet enim qui primus sit Prator factus, eum legem Curiatam* [7]*ferre: sin is ferre non posset, qui postremus sit: ut aut lusisse in tantis rebus, aut profectó nescio quid spectasse videatur.* [11]&[11] *Verúm hoc quod est* [2] *aut ita perversum, ut ridi-*

ut ridiculum, aut ita malitiosum, ut obscurum sit, relinquamus: ad [b] *religionē* [d] *hominis* [c] *revertamur.* [c] *Videt sine lege Curiata nihil agi per* [d] *Decēviros posse.* [18] *Quid postea, si ea lata non erit? attendite* [b] *ingeniū.* [19] TUM II DECEMVIRI, *inquit*, EODEM JURE SINT, QUO QUI OPTIMA LEGE. *Si hoc fieri potest, ut in hac* [7] *civitate* ([11] *quæ longé jure libertatis cæteris civitatibus* [c] *antecellit) quisquam nullis comitiis imperium aut potestatē* [c] *assequi possit, quid attinet tertio capite legē Curiatam ferre jubere, quoniā quarto permittas, ut sine lege Curiata idē juris* [7] *habeāt, quod haberent, si optima lege à populo essent creati?* [11] *Reges constituūntur, non Decemviri, Quirites. Hisq; ab iis* [c] *initiis fundamentisque nascuntur, ut non modó cúm gerere cœperint, sed etiam cúm cōstituentur, omne vestrum jus, potestas, libertasq; tollatur.*

SED VIDETE] Locus attentionis ad clariús exponendum commenti Rulliani finem de curiata lege per Prætorem. *Sine Curiata*] Quia Curiata lex (ut jam dictum est) auspicium quoddam erat, & divina quædam approbatio humanæ legis, quę prioribus comitiis esset lata: & mox repetetur idem, Videt sine lege curiata nihil agi per Decemviros posse. Id veró ex Augurum & Pontificum (quibus arbitris hæc secundaria comitia præbebantur) authoritate intelligēdum est, sine qua nil per magistratus gestum poterat probari, ut 2 Legum Cicero author est. *Absurde*] Reprehensio ex circumstantia personarum. Tribunus enim Prætori majori & patricio magistratui, & collegæ Consulis non poterat imperare. *Ut aut lusisse*] Notat ex re tam confusa Rulli stultitiam, aut fraudem hic subesse. *Spectasse*] Spectandi verbum ad finem plerunque pertinet, ut Officiorum secundo: Juvenes magna spectare, & ad ea rectis studiis contendere debent. Itaque hîc spectasse est propositum habuisse.

Verùm] Transitio ad quartum caput, quo decemviri etiã sine Curiata lege creabantur, ex quo tertium caput reprehenditur:

Si nullis comitiis magistratus fieri potest, lege Curiata nil est opus:
At primum constat è quarto capite:
Constat igitur secundum.

Assumtio præcedit. *Perversum*] Id est, præposterum: quomodo pro Cluentio dixit, Itaque ut erat semper præposterus atque perversus. *Attendite*] Locus attentionis per irrisionem illis similem: At videte hominis diligentiam: At videte quàm diligenter. *Si hoc fieri*] Propositio syllogismi aucta repugnantibus, quód liberrima civitas fit sine comitiis. Considerabis autem quoties jam nomen libertatis hic usurpatum sit. *Quoniam quarto*] Ratio propositionis ex præsentis capitis testimonio. *Reges*] Pro cõplexione propria (*Quare curiata lege nil opus est*) generalis universæ dissuasionis complexio ponitur, jam toties iterata.

At [c] videte quàm [b] diligenter retineat jus [a] Tribunitiæ [a] potestatis: Consulibus legem Curiatam ferentibus, á Tribunis plebis sæpe est [a] intercessum: neque tamen nos id querimur, esse hanc Tribunorum plebis potestatem: tantummodo si quis ea potestate temere est usus, existimamus. hic Tribunus plebis legi Curiatæ, quam Prætor ferat, adimit intercedẽdi potestatem. Atq; hoc cúm in eo reprehendendũ est, quód per Tribunum plebis [a] Tribunitia potestas [c] minuitur; tum in eo deridendum, quód Consuli, si legem Curiatam non habet, attingere rem militarẽ non licet: [d] huic, cui vetat [a] intercedendi potestatem, etiam si intercessum sit, tamen eandem constituit, quam, si lata esset lex: ut non intelligam, quare aut hic vetet [a] intercedere, aut quenquam intercessurũ putet, cúm intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem [c] impeditura.

Lex qui vetat intercedere potestatem,

A T

AT VIDETE] Arripitur ex superiore disputatione diminutio Tribunitiæ potestatis, & dissimilium collatione exaggeratur; Tribunitia intercessio Curiatam legem sustulit: Hic Tribunus Curiata lege Tribunitiam intercessionem tollit. *Querimur*] Potestatis Tribunitiæ magna vis fuit: Nulli magistratui alii parere, omnibus intercedere, Senatusconsulta probare vel improbare, prehendere, & in carcerem vel Consules conjicere. Quinquennio ante Tiberii Gracchi Tribunatum, D. Brutum & P. Scipionem Coss. quos & quantos viros homo omnium infimus & sordidissimus Tribunus plebis C. Curiatius in vincula conjecit, quod anté factum non erat, ait Quintus frater 3 Legum. Hanc tantam potestatem Sylla imminuit, Pompejus restituit, & Cicero, licet ab ea vexatus iniquissimé, tamen retinuit in Legibus, cúm ait; Plebes quos pro se contra vim, auxilii ergó, decem creassit, Tribuni ejus sunto: Quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint; ratum esto; sanctiq; sunto: néve plebem orbam Tribunis relinquūto. Hæ Ciceronis sūnt de Tribunatu leges, & in earum interpretatione confitetur in hoc magistratu mala quidem esse, sed bona etiam magna, quia concessa plebi á patribus ista potestate, arma ceciderunt, restincta seditio est. Inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari se putarint, in quo uno fuit civitatis salus, & ideo Tribunus appellatur custos, præses, defensor & propugnator Romanæ libertatis. *Existimamus*] Absoluté sic dicitur in Oratore, Orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus. Existimare igitur pro Considerare, hîc sumitur. *Hic tribunus plebis*] Antapodosis est dissimilitudinis exaggerata cōjugatis & majoribus. *Hunc*] Antapodosis minorum ad illa majora quæ præcesserunt. *Ut non intelligam*] Concluditur reprehensio de imitatione Tribunatus.

16 *Sint igitur Decemviri, [a] neq; veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neq; illis ad speciem atq; ad usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum caussa [c] adumbratis constituti: [c] videte nūc*

eos qui à vobis nihil potestatis acceperint, quanto majoribus[c] ornamentis[9] afficiat, quàm omnes nos affecti sumus, quibus vos[c] amplissimas potestates dedistis. Jubet auspicii coloniarum deducedarum caussa Decemviros habere pullarios. [19] EODEM JURE, *inquit*, QUO HABUERUNT TRES VIRI LEGE SEMPRONIA. [21] *Audes etiam Rulle mentionem facere[v] legis Semproniæ? nec te ea lex ipsa[u] commonet, tres viros illos trigintaquinq; tribuū suffragio esse creatos? &, cùm tu à Tib. Gracchi[a] æquitate ac[a] pudore lōgissimè[c] remotus sis, id quod dissimillima ratione factum sit, eodem jure putas esse oportere?*

al. commovet,

SINT IGITUR] Hactenus disputatum est de fine legis Agrariæ, quód tyrannidem & dominationem decem tyrannorum tantummodo spectarit, idque ex quatuor legis ipsius capitibus accuratè disceptatum, quód per minorem partem populi Decemviri crearentur, in quo libertas populo eripitur: quód more Pontificis maximi: totum verò contrà est. Nam Pontificis electio, quæ per religionē, populi non erat, quodammodo comitiis illis ad populum translata est; hìc verò quod populi semper fuit, populo extorquetur, & Pompejus indignissimé excluditur, & Rullus pro libidine omnia constituit: quód Curiata lege, quæ tamen secūdaria est: quód sine Curiata lege, quod planè perversum aut insidiosum est. his inquam capitibus finis legis agrariæ disceptatus est, libertatem tolli, dominationē constitui: deinceps ad finem eundem confirmandum tyrannidis forma quædam ostenditur, & superiorum invidiosa permissio præponitur. *Usurpationem*] Ut antea dixit ad usurpandum libertatem, ita nunc ad usurpationem vetustatis ait, quasi diceret ad continuādam possessionem juris antiqui & consuetudinis antiquæ. *Per triginta*] Si lectio vera est, suspicio fuerit à Romulo vetustatem hanc profectam esse, qui populum in triginta curias divisit, quibus singulis lictores in comitio adfuerunt. Expulsis autem regibus,

regibus, non tam regnum, quàm regni nomen mutatum est. Consules imperium planè regium legibus & rationibus subjectum & tempore definitum, insigniaque regia, & auspicia, & sacra retinuerunt. *Videte*] Attentionis locus ex collatione majorum: Nos Coss. tot ornamẽtis affecti non sumus. *Jubet*] Argumentum tyrannicæ formæ colligitur ex variis adjunctis, pullariis, apparitoribus, &c. Quod ita reprehenditur,

Quod dissimillima ratione factum est, eodem jure non debet esse:

At Gracchorum & Rulli divisores dissimillima ratione sunt facti:

Eodem itaq; jure non debent esse.

Assumtio præcedit dissimilitudine legis Semproniæ & Serviliæ, quia illa per trigintaquinq; tribus lata sit, hæc per septemdecim feratur. *Pullarios*] Reipublicæ Romanæ pars maxima divinatione continebatur, id est, voluntatis divinæ consideratione & cognitione, quæ videlicet res futuras denunciaret. Itaque divinatio & artificiosa in conjecturis sortium, ominum, in observatione astrorum, fulgurum, extorum, avium, ut pullorum; unde pullarii, qui huic divinationi præerant: & naturalis in furore mentis & insomnii. Notabis autem hìc auspicem pullarium veluti religionis magistrum in comitatu magistratus primo loco esse. *Tres viri*] Notabis hìc tres viros separatim dici, qui conjuncto verbo dicti sunt antea triumviri. *Et cùm tu*] Propositio syllogismi dissimilitudinis maximam, quæ vulgò dicitur in scholis, complexa.

Dat præterea potestatem verbo Prætoriam, re vera regiam: definit in quinquennium: facit sempiternam. tantis enim confirmat opibus & copiis, ut invitis eripi nullo modo possit. deinde ornat apparitoribus, scribis, librariis, præconibus, architectis, præterea mulis, tabernaculis, centuriis, supellectili. sumptum haurit ex ærario, suppeditat à sociis. Janitores ex Equestri loco ductos in annos singulos, stipatores corporis constituit, eosdem ministros &

significavit, nunc librarios publicarum rationum, ait Festus. Scriba igitur erit graphiarius & secretarius, ut modó loquimur. *Praeconibus*] Pręco, qui aliqd publico jussu pronũciat, vel in judicio, vel in theatro, vel in alio quovis loco publico. *Architectis*] Architect⁹ hic intelligatur ex divisorũ agrariorũ munere, qui nõ solúm dividebãt & metiebãtur agros, sed ædificiis areas & urbib⁹ designabãt, ut antea dictum est: vel architectos intellige designatores hospitiorum, quos habent in comitatu principes, quos Mareschalos hospitiorum, & Fourarios vulgó nominamus. *Centuriis*] Centuria in bello centum homines significat, in agris ducenta jugera: hic veró significare videtur eam partem comitatus, qualem vocamus in comitatu nostri regis centum nobiles. *Suppeditat á sociis*] Sumptum facit publicum partim ex ærario, partim á sociis. Præpositio autẽ *á* significat hic *per*. Intellige igitur, suppeditat Rullus Decemviris sumptum á sociis, id est, per socios: ut pro Milone loquitur. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui sępe spoliantem jam & exultantem evertit & perculit ab abjecto, id est, per abjectum & prostratũ. *Formã*] Cõcluditur forma tyrãnidis, & transitur ad efficiẽtes ejus caussas ex potestate Decemviris permissa. *Dixeris*] Repetitur idẽ per prolepsin ad augendam invidiam, & disjuncto syllogismo reprehẽsio concluditur:

Qui sine vestris suffragiis hæc obtinet, aut rex non ferendus, aut privatus furiosus:
Non secundum:
Primum igitur.

ᶜPerspicite quanta potestas permittatur: nõ privatorum ᵃinsaniam, sed ᵃintolerantiam Regum esse dicetis. Primúm permittitur infinita potestas innumerabilis pecuniæ conficiendæ de vestris vectigalibus non fruendis, sed alienandis. deinde ᵈ orbis terrarum, gentiumq; omnium datur cognitio sine consilio, pœna sine provocatione, animadversio sine auxilio.ᵉ Judicare per quinquennium, ᶠvel de Consulibus, vel de ipsis Tribunis plebis poterunt: de illis

interea nemo judicabit. magistratus hisgerere[1] licebit, caussam dicere non licebit: emere agros, á quibus[1] volent, vel quos volent, quám volent magno, poterunt:[a] colonias deducere novas,[c] renovare veteres, totam Italiam suis coloniis ut[c] complere liceat, permittitur: omnes provincias obeundi, liberos populos agris mulctandi,[a] agrorum veldandorum summa potestas datur:[a] cúm velint, Romæ esse: cúm commodum sit, quacunque velint summo cum imperio judicioq; omnium rerum[c] vagari ut liceat, conceditur. interea[c] dissolvant judicia publica: de consiliis abducant quos velint: singuli de maximis rebus judicent: quæstori[10] permittant, finitorem mittant: ratum sit quod finitor uni illi, á quo missus erit, renunciaverit.[11] Verbum mihi deest, Quirites, cúm ego hanc potestatem, regiam appello: sed profectó major est quædam. nullum enim regnum fuit unquam, quod non si minús jure aliquo, at regionibus tamen certis contineretur. hoc veró infinitum est: quo & regna omnia, & vestrum imperium, quod latissimé patet, & ea quæ[a] partim libera á vobis, partim etiam ignorata vobis sunt, permissu[d] legis continentur.

L. regnorũ vendendorũ summa pot.

INTOLERANTIAM] Sic pro Cluêrio: Quis eum cũ illa superbia atque intolerantia ferre potuisset? *Primum*] Adhuc tyrannis ex capitibus legis primúm, deinde ex sua forma probata est: deinceps ex caussis efficientibus approbatur, quarum summa proponitur initio ex venditione agrorum, emtione, deductione coloniarum: primum caput interponitur, infinita judicandi potestas. *Non fruendis*] Id est, non de usu & fructu vectigalium, sed alienatione & venditione. *Cognitio*] Cognitio hîc judiciale est verbum, pro judicio: id est, datur illis ut sine consessu sociorum judicũ possit Decemvir solus judicare. *Caussam dicere*]

dicere] Id est, reos fieri. Est enim rei, caussam dicere. hinc rei indicta caussa damnari dicũtur ii, qui caussam nõ dixerũt, & objecto crimini nõ responderunt: nec indicta caussa aliud est, quàm non dicta, non defensa caussa, ut pro Rabirio latiús exposuimus. *Emere*] Secundum caput potestatis Decemviralis in emtione novorum agrorum. *Colonias*] Tertium caput de coloniarũ deductione, ubi præcipua vis tyrannidis ostenditur, & repetitur infinita judicãdi potestas in primo capite pauló anté posita. *Dissolvãt*] Ita sexta actione judiciorum dissolutiones dixit: publica autem judicia dicuntur, quia cuivis é populo executio eorum plerunque mandetur, ut pro Rabirio ex Justiniano citavimus. *Quæstori*] Quæstor Consuli, Prætori, omnique Imperatori Romano adjungebatur, & militaris pecuniæ rationem habebat, itemque prædæ & manubiarũ, quales feré sunt quos thesaurarios bellicos Franci appellamus. *Finitorem*] Finitor, agrorũ mensor, qui sic à Plauto definitur in Penulo: Ejus nũc regiones, limites, confinia determinabo, ejus rei finitor factus sum. *Verbum*] Correctio est ex adjunctis ad augendam propositionis hujus invidiam;

Regnum finitum est:
Decemviratus hic non est finitus:
Decemviratus igitur hic non est regnum.

Quod latissime patet] Quod Virgil. I Æneid. cecinit,

His ego nec metas rerum, nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi.

Finis tamẽ imperii Romani in Asia Tigris feré & Euphrates fuere, quamvis postea Imperatores quidam, ut Trajanus, longiús trajecerunt.

Datur igitur eis, primùm ut liceat eis vendere omnia, de quibus vendendis Senatusconsulta facta sunt, M. Tullio, Cn. Cornelio Consulibus, aut postea. Cur hoc tam est obscurum, atque cæcum? quid? ista omnia de quibus Senatus censuit, nominatim in lege perscribi nónne potuerunt? Duæ sunt

hujus obscuritatis caussa, Quirites: una' pudoris, si quis[10] *pudor esse potest in tam insigni impudentia: altera sceleris. nam neque ea qua Senatus nominatim vendenda censuit, audet appellare.*[x] *sunt enim loca publica*[d] *urbis, sunt sacella, qua post restitutã Tribunitiam potestatem nemo attigit? qua majores*[''] *in urbe partim*[a] *periculi perfugia esse voluerũt. hac lege Tribunitia*[d] *Decemviri vendent.' &*[c] *Accedet eó mons Gaurus, accedent salicta ad Minturnas, adjungetur etiam illa via vendibilis Herculanea, multarum deliciarum, & magna pecunia: permulta alia, qua*[a] *Senatus propter*[c] *angustias*[a] *ararii' vendenda censuit, Consules propter invidiã non vendiderunt.*

L. in urbe portus periculi, & perfugia es.

D a t u r] Definita & proposita est universæ potestatis Decemviralis summa: Deinceps speciatim singulæ partes explicantur. Primum caput de venditione sic est:

> *De quibus vendendis Senatus cẽsuit Tullio & Cornelio Coss. aut postea, ea vendit Rullus:*
> *Hac autem sunt loca publica, sacella, mons Gaurus, salicta, Herculanea via:*
> *Hac igitur vendit Rullus.*

M. Tullio] M. Tullius Decola, Cn. Cornelius Dolabella Coss. fuere anno Urbis 673. quo anno Cicero pro Quintio oravit, ut Gellius est author. Cicero autem Consul fuit 691. Itaque si primum & postremum annum non comprehendas, decem & octo anni ab illis Coss. erunt ad Cõsulem Ciceronem, & hos annos hoc loco Cicero significat. *Cur hoc*] Reprehenditur jam tertio loco Rulli obscuritas. Primus locus de concione ejus fuit: in qua nemo potuit intelligere quid diceret: hoc ille utrùm insidiarum caussa fecerit, an hoc genere eloquẽtiæ delectetur, nescio. Secũdus fuit: Ut aut lusisse in tantis rebus, aut profectó nescio quid spectasse videatur. Verùm hoc quod aut ita perversum, ut ridiculum; aut ita malitiosum, ut obscurum sit, relinquamus. Ergo hic tertius est locus, quo Rulli ob-

ſcuritas reprehenditur. Cauſſa veró quæ hanc obſcuritatem efficit, eſt omiſſio aſſumtionis & complexionis, quo de genere fraudis Ariſtoteles 8 Topic. nominatim præcipit in capite περὶ τῆς κρύψεως τοῦ συμπεράσματος, de occultatione complexionis, ejusque rei quædam præcepta ponit, ut diſſimulanter & ſenſim ratiocinando, partes anté conſtituantur, quibus ſyllogiſmus fiat, ut concluſio reticeatur: ut tandem quando conficietur, quæratur, quamobrẽ? Præcipuum veró illud eſt τὸ μὴ προτείνειν ὃ δεῖ ληφθῆναι, ἀλλ' ᾧ τοῦτο ἕπεται ἐξ ἀνάγκης, non proponatur quod efficiendũ ſit, ſed antecedens ex quo neceſſe ſit effici quod intenditur: quo modo Socrates adverſus impudentes Sophiſtas aliquando diſputat, ac etiam de mendacio & ſimulatione ejuſmodi in 2 & 3 de Republ. præcipit: Licere politico principi, licere ſapienti medico, ſed ad civium ſubditorum, ſed ad ægrotorum ſalutem fingere aliquid & mentiri. Itaque cúm ſophiſtas velut ægrotos medicus pravis opinionibus ſanare vult, his ſimulationum medicamentis utitur. Flagitioſé autem & ſceleraté (ut hîc Cicero monet) facit, qui ad inſidiandum & fallendum his velamentis utitur. *Nominatim*] Id eſt, κατὰ λεπτόν: ut ad Atticum Cicero, per ſingulas partes. tanquam Cicero Dialecticé diceret, nónne potuit aſſumi, & nominatim dici quænam illa præſcripta eſſent? *Duæ ſunt*] Duæ cauſſæ obſcuritatis, unde flagitioſum Rulli conſilium & ſceleratum ſtatuitur. *Si quis*] Correctio eſt ex privantibus. *Sunt enim*] Aſſumtionis ſententia eſt, quam Rullus reticebat, in qua modó nominatim perſcribuntur ſingula. *Reſtitutam*] Tribunitia poteſtas, arx quædam libertatis fuit adverſus paucorum libidinem potentiamque inventa. Itaque cúm Sylla tyrannidem cogitaret, & cuperet, arcem illam Tribunitiam expugnavit. *Periculi perfugia*] Periphraſis eſt aſyli, quale primum Athenis Miſericordiæ templum,

—Herculeos fama eſt fundaſſe nepotes,

ait Statius: & poſtea Romæ Romulus,

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer aſylum
Retulit,—

ait 8 Æneid. Virgil. *Partim*] Partim hîc semel adhibitũ est: ut in Lælio, Nihil est quod prosequantur suis argutiis, partim fugiendas esse nimias amicitias, &c. sæpissimè geminatur: ut antea partim libera, partim ignorata. Aliquando quadruplicatur: ut pro Cluentio, Partim ruinæ similiora, partim nil contra Habitum, partim pro Habito, partim, &c. *Gaurus*] Gaurus mons Campaniæ, ubi vinũ laudatissimum est, de quo Plinius. *Minturnas*] Minturnæ, oppidum, cui vicinæ sunt paludes, in quibus Marius à Sylla victus delituit. *Herculanea*] Hercules & Virgo, duo fontes aut rivi octavo ab Urbe lapide, de quibus Plin. cap. 3, lib. 31. Hinc Herculanea via.

[b]*Verùm hæc fortasse propter pudorem in lege reticentur: sed illud magis est" credendum & pertimescendum, quòd audaciæ Decemvirali, corrumpendarum tabularum publicarum, fingẽdorumq; Senatusconsultorũ, quæ facta nunquam sunt, cùm ex eo numero qui per eos annos Coss. fuerunt, multi mortui sint, magna potestas permittitur:* [b] *nisi fortè nihil est æquum vos de eorum* [a] *audacia suspicari, quorum* [a] *cupiditati nimiùm angustus* [d] *orbis terrarum esse videatur. Habetis unum venditionis genus, quod magnum videri vobis intelligo: sed attendite animos ad ea quæ* [c] *consequũtur, hunc quasi gradum quendam atq; aditum, ad cætera" jactum intelligetis.* QUI AGRI, QUÆ LOCA, ÆDIFICIA. *Quid est præterea? multa in mãcipiis, in pecore, auro, argento, ebore, veste, supellectili, cæteris rebus.* [20] *Quid dicã? invidiosum putasse hoc fore, si omnia nominasset? non metuit invidiam. quid ergo? longum putavit, & timuit, ne quid præteriret. adscripsit:* ALIUDVE QUID. *qua brevitate rem nullam exceptam esse videtis.*

f. cavendum *aut* horrendum

L. factum

VERÙM] Subjicitur fraudi superiori atrocior suspicio, quòd

quód Senatusconsulta & vera corrumpi & falsa fingi potuerunt, quó plura vendere liceat, qualem de actis Cæsaris Cicero exprobravit Antonio 2 Philip. Cujus, inquit, domus quæstuosissima est, falsorum chirographorum officina, & agrorum vectigaliumque flagitiosissimæ nundinæ. *Per eos annos*] Intellige á Tullio & Cornelio Coss. id est, post annos 20. & cōsydera unde fraudis ista occasio sit, an quia Coss. referentibus, aut tanquam præsidibus Senatusconsulta facta sunt; an quia ab illis asservarentur. *Nisi forte*] Collatio majorum est. Terrarum orbis non sufficit, quomodo S. C. vera sufficient? *Habetis*] Fuit valde vehemēs adhuc oratio in forma tyrannica, in potestatis Decemviralis propositione summa, in proximo venditionis genere: & videtur hîc acclamatio secunda contigisse, idque Ciceronis illis verbis *quod magnum videri vobis intelligo*, modó significari. Ergo cúm in hoc plausu & clamore respirasset orator, transit á primo genere venditiónis ad secūdum de agris extra Italiam, & audientiam sibi renovat ex præcedentium tanquam minorum collatione. *Quasi gradum*] Allegoria est á loco arduo, ad quem gradibus ascenditur: ac quod nunc jacere gradum Cicero dicit, aliás etiā facere gradum ait: ut 4 actione, Imperii gradus ex Sicilia in Africam factus est. *Qui agri*] Verba sunt legis Agrariç, in quibus κρύψις Aristotelica rursus reprehenditur, quód generali propositione tam multa comprehendantur, quæ præterita assumtione non intelligantur. Assumtionis quædam Cicero exprimit, & rerum genera singula nominat. *Quid dicam*] Exaggeratio τῆς κρύψεως ex dissimilibus: Non invidiosa, sed longa illi visa est assumtio. neque hic Cicero impudentiam aut scelus, ut antea, sed arrogantiam reprehendit. *Nominasset*] Id est, nominatim perscripsisset, ut pauló anté.

Quicquid ergo sit extra Italiam, quod publicū populi Romani factū sit, L. Sylla, Q. Pompejo Coss. aut postea, id Decēviros jubet vendere. Hoc capite, Quirites, omneis gentes, nationes, provincias, regna, Decemvirūm ditioni, judicio, potestatique per-

missa & condonata esse dico. [11]Primúm hoc quæro, qui tandem locus usquam sit, quem non possint Decemviri dicere publicum populi Romani esse factum? [1]Nam cúm idem possit judicare [7] qui dixerit, quid est quod non liceat ei dicere, cui liceat idem judicare? Commodum erit Pergamum, Smyrnam, Tralleis, Ephesum, Miletum, Cyzicum, totam denique Asiam, quæ post L. Syllam, Q. Pompejum Coss. recuperata sit, populi Romani factam esse dicere. L. publicam pop. R. *Utrúm oratio ad ejus rei disceptationem deerit? an cúm idem & differet, & [7] judicabit, impelli non poterit ut falsum judicet? an, si condemnare Asiam volet, terrorem damnationis & minas non quanti volet, æstimabit? [2] Quid (quód disputari contrá nullo pacto potest, quoniam statutum [25] á vobis est & judicatum, quam hæreditatem jam crevimus.)*

QUICQUID] Colligitur sententia capitis hujus,

Omnia post Syllam & Pompejum Coss. publica populi Romani facta proscribuntur.

Quæ propositio est, ex qua mox assumtio deducetur. Coss. autem fuére L. Cornelius Sylla, & Q. Pompejus Ruffus, anno Urbis 666, id est, annis ante Ciceronem Consulē 25. *Hoc capite*] Repetitur sententia propositionis pauló secus. quo loco notabis casum *Decemvirûm* contractûm, nec temere usurpatum putes, cúm hac de re in Oratore sic Cicero præcipiat: Plané, inquit, duorum virorum judicium, aut Triumvirorum capitalium, aut Decemvirorum litibus judicandis dico nunquam. Atqui dixit Accius, Video sepulchra duo duorum corporum: Idemque, Mulier una duûm virûm. Quid verum sit, intelligo: sed aliás ita loquor ut concessum est: ut hoc, vel, Proh deûm dico, vel, Proh deorum: aliás, ut necesse est, cúm triumvirûm, non virorum; cúm sestertiûm nummûm, non nummorum; quód in his consue-

consuetudo varia non est. Hæc Cicero. *Condonata*] Ut antea fuit, dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia. *Primum hoc*] Approbatio est proximi loci ex collatione majorum: Licebit judicare, licebit igitur dicere. *Commodum*] Sequitur assumtio, ubi nominatim recensentur secundo venditionis capite comprehensa. Prima pars de minore Asia, quæ Regis Attali testamento populi Romani facta erat, ut Livius lib.58 & 59. Illic enim sunt omnia oppida hæc, Pergamus Galeni, Smyrna Homeri, Tralleis Menodori, Ephesus Heracliti, Miletus Thaletis patria. Cyzicum initio Propontidis situm est, civitas arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis, ut Florus ait in bello Mithridatico. *Recuperata*] Mithridates Ponto suo non contentus, Cappadociam, minorem Asiam, Bithyniam rapuerat. Hic autem primó felicitate Syllæ afflictus est, tum consumtus virtute Luculli, & magnitudine Pompeji, ut jam dictum est. *Utrùm oratio*] Repetitur ad hujus rei facultatem & occasionem infinita illa judicandi potestas. *Volet*] Vide num meliús *nolet* legeretur, ut superioris orationis sententia hic exprimatur: Quo in judicio perspici non potest, utrúm severitas acerbior, an benignitas quæstuosior futura sit. *Crevimus*] Vide nũquid hic quippiam desit. Cernere autem legale verbum est, pro adire. Hinc cretio hæreditatis: Cic ad Atticum lib.11, Galerius hæreditatem crevit. Duco enim cretionem fuisse simplicem.

Regnum Bithyniæ quod certé publicum est populi Rom. factum? num quid caussæ est, quin omnes agros, urbes, stativa, portus, totam deniq; Bithyniã Decemviri vendituri sint? quid Mitylenæ? quæ certé vestra, Quirites, belli lege ac victoriæ jure factæ sunt: urbs [a] & natura, & situ, & descriptione ædificiorum, & pulchritudine in primis nobilis, agri jucundi & fertiles: nempe eodem capite [c] inclusi cõtinentur. Quid Alexandria, cunctaq; Ægyptus? [a] ut [c] occulté latet? ut [c] recondita est? ut [c] furtim tota

d Decemviris traditur? Quis enim vestrûm hoc i-
L. Alexãdri *gnorat dici, illud regnum testamento Regis" Alexandrini populi Romani esse factum? Hic ego d Consul populi Rom. non modò nihil judico, sed ne quid sentiam quidem profero: magna enim mihi res non modò ad statuendum, sed etiam ad dicendum videtur esse. video qui testamentum factum esse confirmet: auctoritatem a Senatus extare hæreditatis aditæ sentio, tum, quando Alexandro mortuo Legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam" nostris recuperarent. Hæc L. Philippum sæpe*
L. nobis *in Senatu confirmasse memoria' teneo: eum qui regnum illud teneat hoc tempore,' neque genere, neque animo regio esse: inter omnes ferè video convenire. Dicitur contrà, nullum esse testamentum, nõ oportere populum Romanum omnium regnorum appetẽtem videri, demigraturos in illa loca nostros homines propter agrorum bonitatem, & omnium rerum copiam.*

Regnum] Secunda pars assumtionis de regno Bithyniæ, quod Nicomedis regis testamento ad populum Romanum pervenerat, ut Livius lib. 93. *Quid Mitylenæ*] Tertia pars assumtionis de Mitylenis, in Lesbo insula. Quę solæ post victum Mithridatem arma retinebãt, expugnatę dirutæque sunt, ut Livius lib. 89. Ergo belli lege ac victoriæ jure populi Romani factæ sunt: sed tamen quòd dirutas ait Livius, de muris aut aliqua parte accipiendum est. Nam pauló póst Pompejus Asiæ victor invisit, eamque Theophanis gratia liberavit, & ad theatri Mitylenei formam, theatrum postea Romę suo nomine ædificavit, ut Plutarchus in Pompejo. *Urbs & natura*] Vitruvius lib. 1, cap. 6, ait hanc urbem magnificé & eleganter ædificatam, sed non prudenter positam, quia flante Austro Mitylenæ ægrotant, Coro tussiunt, Septentrione restituuntur. Horat. 1 Carm.

Carm. hanc urbem laudat:

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen:

& pulchra Mitylene 1 Epist. dicitur ab eodem. *Quid Alexandria*] Quarta pars assumtionis de regno Ægypti, quod testamento Ptolemæi Alexandri Appionis regis Ægypti (de quo superiore oratione) ad populum Rom. pervenerat. Hic veró κρυψις Aristotelica præcipué reprehenditur, quód assumtio reticeretur, & occulté lateret, & recondita esset in propositione, conclusioque venditionis furtim surriperetur. Notabis adhuc disputata in superiore oratione desiderari. *Quid enim*] Instituitur hic formula forensis disceptationis ex petitione & recusatione. Petitio testamenti testimonio nititur. *Hic ego*] Addubitatio ex rei difficultate ad attentionem. *Video*] Repetitur propositum testimonium, & aliis testimoniis approbatur & Senatus & Philippi. *Tyrum*] Insula fuit Tyrus, ante Alexandrum magnum, á quo juncta est continenti. Vide Q. Curtium libro quarto. *Teneat*] Significat Ptolemæum Auletem, qui postea á suis expulsus Romam profugit: de quo vide Cicer. ad Lentulum, & Livium lib. 104. Et idem per Gabinium restitutus, ejecto Archelao, quem Ægyptii sibi asciverant, ut Livius lib. 105. Regnavit annos octo, eique filius Ptolemæus Dionysius successit, postremus rex Ægypti, ex Alexandri monarchia. *Dicetur*] Disceptationis pars altera ad recusationem ex inficiatione testamenti & adjunctis, ne videatur populus Rom. avarus, & deserta Italia in Ægyptum demigret. *Agrorum bonitatem*] Hæc ubertas Ægypto naturalis est ex Nilo, qui irrigat Ægyptum, qui cúm obrutam oppletamque tenuit Ægyptum, tum recedit, mollitosq; & oblimatos agros ad serendum relinquit, ut 2 de Nat. deor. Cic. Ergo agricolæ in Ægypto non cœlum suspiciunt, sed Nilum crescentem vel decrescentem aspiciunt. cujus incrementum cúm est cubitorum duodecim, famem sentit Ægyptus: cúm tredecim, esurit: cúm quatuordecim, hilaritatẽ: cúm quindecim, securitatem concipit: cúm sexdecim, justum incremẽtum est & deliciæ. sub Claudio octodecim cubitorum fuit. Vide Plin. lib. 5, c. 9.

Hac tãta de re P. Rullus cũ cæteris Decemviris

mer] Posterior pars dilemmatis reprehensa collatione minorum. De privatis rebus Centumviri judicant, de regno tanto decem tantúm judicabunt? Centumviri autem Romæ ex trigintaquinque tribubus eligebantur, itaque centum erant & quinque: sed, ut aptior appellatio esset, Centumviri dicti sunt, qui judicabant de usucapionibus, tutelis, gentilitatibus, agnationibus, alluvionibus, & plerisque aliis, de quibus Cicero I de Oratore. *Deinde*] Amplificatio proximæ reprehensionis ex circunstantiis legitimi judicii hac in caussa neglectis. *Gratis*] Gabinius ut Ptolemæum restitueret, decem millia talentorum habuit, id est (ut vulgó loquimur) sex milliones aureorum. Vide Plutarchum in Antonio. *Quodsi*] Comparatio est ad eandẽ amplificationem,

Si Alexandria petenda sit, potiús aperto jure testamenti ex S. C. petenda sit, quám occulte:
At illa via aperta, tamen non processit:
Multó itaq; minus hæc occulta procedet.

CURSUS] Petere, cursus currere. Allegoria videtur esse á nautis portum navigationis cursu recto vel obliquo petẽtibus. *An quietis*] Assumtionis & complexionis sententia hîc confusa est:

Sed rectus ille cursus nil profuit:
Quare hic occultus minús proderit.

Allegoria autem hîc á nautis altera, quibus ad cursum dirigendum serena tempestas opportuna est, caligo contrá noxia. Sic Palinurus 5 Æneid. describitur:

——Clavumq; affixus, & hærens
Nusquam amittebat, oculosq; sub astra tenebat.

Et contrá in caligine,

Olli cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem, hyememq; ferens, & inhorruit unda tenebris.

ATQUE ILLUD] Attentionis locus ad sequentia, quibus intolerantia Decemviratus in provincia futura demõstratur. Quantum autem hîc desit, ex superioris orationis cõparatione poterit intelligi. Illic enim de cõcursatione De-

cemvirûm quædam dicta sunt, unde ad locum de legatis erat perventum.

Legatos nostros, homines auctoritate[c] tenui, qui rerum privatarum caussa legationes liberas obeũt, tamen exteræ[a] nationes ferre vix possunt. [c] Grave est enim [a] nomen[d] imperii, atq; id etiam in [c] levi [c] persona pertimescitur: propterea quód vestro, non suo nomine, cúm hinc egressi sunt, abutuntur. quid censetis, cúm isti Decemviri[2] cum imperio, cum fascibus, cum illa delecta finitorum[a] juventute per[d] orbem terrarum[c] vagabuntur,[2] quo tandem animo, quo metu, quo periculo miseras[a] nationes futuras? Est enim in imperio terror? patientur: est in adventu sumtus? ferent: imperabitur aliquid muneris? non recusabunt. Illud veró quantum est, Quirites, cúm is Decemvir, qui aliquam in urbem[2] aut expectatus[1] ut hospes, aut repenté ut dominus[1] venerit,[2] illum ipsum locum quó venerit, illam ipsam sedem hospitalem, in quam erit deductus, publicam populi Rom. esse dicet?[2] quanta[c] calamitas populi,[2] si dixerit? quantus ipsi quæstus, si negarit? Atq; iidem qui hæc appetunt, queri nonnunquam solent,[2] omnes terras Cn. Pompejo atq; omnia maria esse permissa.[11] Simile veró est multa committi, an condonari omnia:[11] labori & negotio præponi, an prædæ & quæstui? mitti ad socios liberandos, an ad opprimendos? deniq; si quis est honos[c] singularis, nihilne interest utrúm populus Romanus cũ cui velit deferat, an is impudenter populo Romano per[d] legis fraudem[c] surripiatur?

al. at quant.

lib. vulg. vel lab.

LEGATOS] Collatio minorum est ad augendam invidiam Decemviralis potentiæ. De legatione autẽ libera su-

periore oratione dictum est. *Grave est*] Ratio πετάσι-ω: ex adjunctis legatorum & effectis. *Quid censetis*] Amplificatio ex adjunctis, terrore, sumtu, calamitate, quęstu: postrema autē ex infinita judicandi potestate deducta sunt. *Atq; iidem*] Prolepsis de simili potētia Pōpeji, quę multarum partium dissimilitudine refellitur. De potentia Pompeji toto mari Rom. & continente, quæ abesset á mari non longiús qninquaginta millibus passuum, summo cum imperio, jam diximus: de qua vide Dionem primo libro.

Intellexistis quot res & quantas [d] *Decemviri,* [d] *legis permissu venditurі sint. non est satis.*[a] *cúm sese sociorum, cúm exterarum nationum, cúm Regū* [c] *sanguine implerint, incidant nervos populi Rom.* [c] *adhibeant manus vectigalibus vestris,* [c] *irrumpant in ærarium. sequitur enim* [c] *caput, quo capite non permittit quidem, si forté* [c] *desit pecunia, quæ tanta ex superioribus*" *recipi potest, ut deesse nō debeat: sed* [c] *planè quasi ea res nobis salutifutura sit, ita cogit, atq; imperat, ut* [d] *Decemviri vestra vectigalia vendant nominatim.*[a1] *Quam tu mihi ex ordine recita de* [d] *legis scripto pop. Rom. auctionem: quā mehercule ego præconi huic ipsam luctuosam & acerbā*" *prædicationem futurā puto.* AUCTIO. *Ut in suis rebus, ita in Republica luxuriosius est nepos, qui priús sylvas vendat, quám vineas.*[a1] *Italiam percēsuisti:* [c] *perge in Siciliā.* AUCTIONIS PARS EA QUÆ AD SICILIAM PERTINET. *Nihil est in provincia, quod* [a] *aut in oppidis, aut in agris, majores nostri proprium nobis reliquerint, quin id venire jubeat. quod* [c] *partū recenti victoria majores vobis in sociorum urbibus ac finibus, &* [c] *vinculum pacis, & monumentum belli reliquerūt, id vos ab illis acceptum hoc authore vendetis?*

L. refici *al.* redigi

al. recitationem fut.

INTELLEXISTIS] Adhuc capita venditionis duo fuerunt, primum de publicis locis & sacellis, &c. Secundum, de regno Asiæ, Bithyniæ, de Mitylenis, de regno Alexandriæ: Tertium, de vectigalibus populi Romani; ubi transitio est invidiosa ex antecedentium tanquam minorum repetitione, & consequentium tanquam majorum collatione. *Sanguine*] Metaphora pro facultatibus & opibus. Quomodo in Verrem locutus est 5 Actione. Quę cúm de populi Romani victu, de vectigalium nervis, de sanguine detraxisset ærarii, tertiæ minnæ condonavit: ex quo Metaphoræ genere deinde est, *Incidant nervos populi*: quo modo locutus est in Academico, cúm dixit, Incidere nervos virtutis. Sanguis autem vitam, nervi robur & vires in corpore continent: atque antea de vectigalibus, quos nervos nunc dixit, superiore oratione dictum est, esse subsidia belli, pacis ornamenta. *Quo capite*] Dissimilitudo ad amplificãdam propositionem hujus capitis: Non permittit, sed imperat. *Quam tu mihi*] Apostrophe ad præconem, cui legis hoc caput recitandum tradit. Sic veró per præconem testimonia, leges, & similia, Cic. solet in orationibus recitare. *De scripto*] De scripto, & Memoriter, contraria sunt. Recitare de scripto, de præcone nunc usurpatur; dicere autem, de oratore ipso: ut pro Plancio, Oratio quæ propter magnitudinẽ ejus dicta de scripto est. *Prædicationem*] Hic locus videtur indicare prædicandi verbum á præcone deduci, in eoque proprié dici, ut deinde ad alia transferatur, pro aperté & publicé dicere, celebrare. *Ut in suis*] Locus hic valde mutilatus est. Videtur autem superioris orationis habuisse gravem illam contentionem de prodigo nepote, Scantia sylva, deque recenti Põpeji victoria. *Majores*] Amplificatio quædam fuerat ex vectigalium & authoribus & adjunctis, quæ pacis ornamenta, vincula, belli subsidia, monumenta sunt.

Hic mihi parumper mentes vestras, Quirites, commovere videor, dum [c] patefacio vobis quas isti penitus [c] abstrusas [c] insidias se posuisse arbitrantur contra Cn. Pompeji [a] dignitatem.[b] & mihi quæso igno-

so ignoscite, si appello talem virum sæpius. Vos mihi Prætori biennio antè, Quirites, hoc eodem in loco [c] *personam hanc imposuistis, ut quibuscunq; rebus possem, illius absentis* [a] *dignitatem vobiscum unà tuerer. Feci adhuc quæ potui, neq; familiaritate illius adductus, nec spe honoris atq; amplissimæ dignitatis, quam ego etsi libente illo, tamen absente, per vos* [c] *consecutus sum. Quamobrem cùm intelligam hanc totam ferè legem ad illius* [a] *opes* [c] *evertēdas, tanquam machinam comparari: & resistam consiliis* [d] *hominum, & perficiam profectò, quod ego video comparari, ut id vos universi non solùm videre, verùm etiam tenere possitis. Jubet vænire* [c] *quæ Attaleensium, quæ Phaselitûm, quæ Olympenorū fuerint, agrumq; Agerensem, & Orindicum, & Gedusanum. Hæc Publ. Servilii imperio, & victoria* [c] *clarissimi viri vestra facta sunt. Adjungit agros Bithyniæ regios, quibus nunc publicani fruuntur: deinde Attalicos agros* [c] *in Chersoneso: in Macedonia, qui regis Philippi sive Persæ fuerunt: qui item à* [d] *Censoribus locati sunt, & certissimum vectigal. adscribit* [c] *idem auctioni Corinthios agros, opimos* [a] *& fertiles: & Cyrenenses, qui Appionis fuerūt: & agros in Hispania propter Carthaginem novam: & in Africa ipsam veterem Carthaginem vendit, quam videlicet Publ. Africanus non propter religionem sedium illarum ac vetustatis de cōsilii sententia consecravit; sed ut ipse locus, eorū qui cum hac urbe de imperio certarunt,* [c] *vestigia* [c] *calamitatis ostenderet.* L. eidem auct.

HIC MIHI] Tertia est popularis acclamationis significatio. ex quo constat in proxima lacuna vehementius cu-

jusdam contentionis tanquam fulguris ictum fuisse, unde hoc populi tonitru sequeretur. De Pompeji autem dignitate apparet esse disputatum: ideoque quia Pompejanæ petitionis hujus ictus tantum ferit, videmus quoties iteretur ac repetatur. Quartus enim jam est de Pompejo locus: dictum est primùm ut excluderetur, ubi populus valde commotus est: deinde ut ei omnia maria permitterentur, tum proximo loco de recenti victoria: Quartó hîc dicitur de Pompeji habita defensione. *Vos mihi*] Sententia syllogismi est,

Quandocunq; Pompejus oppugnatur, á Cicerone defendendus est:
At hic oppugnatur:
Defendendus igitur.

Propositio authoritate & factis Ciceronis exornatur. Cicero autem Prætor Maniliam legem suasit, & Manilium quendam repetundarum reum in gratiam absentis Pompeji defendit. *Personam*] Metaphora est á scenicis ludis: ut pro Muræna, Ego autē & has partes lenitatis & misericordiæ, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter: illam gravitatis severitatisque personam non appetivi. *Quamobrem*] Sententia assumtionis & complexionis confusa,

At hic oppugnatur Pompejus:
Defendendus igitur á Cicerone.

Tanquam machinam] Brevis est similitudo á bello sumta, ubi mœnia machinis evertuntur: quo de genere est illud Ciceronis pro Domo sua, Iisdem machinis sperant me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerant. *Jubet venire*] Hic locus, ut in superiore oratione, ita hîc parum distinctus fuit, & videtur magis ad vectigalium agris impositorum, quám ad agrorum venditionem spectare. Tota partis hujus invidia ex vectigalium ipsorū, & authoribus & adjunctis sumitur. *Attalcensium*] De Attalia, Phaseli, & Olympo dictum est oratione superiore: Ager autem Agerensis, & Orindicus, & Gedusanus his oppidis vicinus fuit. *P. Servilis*] De quo superiore oratione. *Adjungit*] Nicomedes, Bithyniæ rex, populum Romanum heredem fecerat, ut jam dictum est ex Livii lib. 93.

Publi-

Publicanis fruuntur] Id est, quorum fructus exercent, vectigalia exigunt. Publicani autem Romæ erant equites, qui populi Rom. vectigalia certo precio redimebant: de quibus ita Cicero pro Plancio, Flos equitum Romanorū, ornamentum civitatis, firmamentum Reipub. publicanorum ordine continetur. *Attalicos*] Attalus veró populum Romanum fecerat hęredem, ut jam dictum est ex Livii libro 58, 59. χερρόνησος autem, vel χερσόνησος, peninsula est, cujus cōtinens appellatur Isthmus, qualis est Peloponnesiaca, Cimbrica, Taurica, Thracica, Aurea ad Gangem. Hæc autem, de qua hîc Cicero loquitur, est in procursu minoris Asiæ in Mediterraneum mare. *Philippi*] Philippus rex, & Perseus ejus filius, victi sunt á Flaminio & Paulo, ut oratione superiore jam dictum est. *A censoribus*] Inter cætera censoriæ dignitatis munera, hoc etiam fuit, locare vectigalia populi Rom. Vide Fenestellam de Censoribus. *Corinthios*] Lucius Mummius Achaicus Corinthū, Thebas, Chalcidem evertit. Vide Florum lib. 2, cap. 16. *Cyrenenses*] Ptolemæus Alexander Appion, primúm rex Cyrenarum in Africa, deinde nuptiis sororis Cleopatræ rex Ægypti, de quo jam sæpé dictum est. Cyrenaica autem regio Pentapolitana dicitur á quinque civitatibus, quarum præcipua fuit Cyrenæ. *Carthaginem*] Carthago in Hispania duplex fuit, altera in Bætico littore condita ab Hasdrubale duce Pœnorum: altera non longé disjuncta in eadem provincia. Tertia vetus est in Africa, á qua duæ Hispanienses denominatæ sunt. Veterem tamen hanc Carthaginem C. Gracchus eó deducta colonia restituerat. Sed loci vectigal (ut jam monui) potiús hîc Cicero significat, á Decemviris vendi, quàm locum ipsum. *Africanus*] In superiore oratione dictum est hac de re, sed illic caussæ tres eversæ Carthaginis memorantur, ad notandam calamitatem, sive ad testificandam nostram victoriam, sive ad oblatam aliquam religionem: hîc pauló secús. Ac quod ait, *non propter religionem sedium illarum*, id intelligendum est, quod á Virgilio 1 Æneid. traditur de Carthagine:

Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Carthago, Italiam contra, Tiberinaq; longe

Ostia, dives opum, studiisq; asperrima belli.
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo: hic illius arma,
Hic currus fuit ——

Notandum autem est, quód Cicero ait de consilii sententia consecratam Carthaginem. Lex enim Papiria vetabat, terram injussu populi consecrari, & lex Ciceronis videtur huc spectare, Ne quis agrum consecrato.

[b] *Sed nõ fuit tam diligens, quám est Rullus: aut fortasse emtorem ei loco reperire non potuit.* [f] *Verúm inter hos agros regios, captos veteribus bellis virtute summorum Imperatorum, adjungit regios agros Mithridatis,* [a] *qui in Paphlagonia, qui in Ponto, qui in Cappadocia fuerunt, ut eos* [d] *Decemviri vẽdant. Itáne veró?* [a] *non legibus datis, non auditis verbis Imperatoris, nondum deniq; bello confecto, cúm rex Mithridates amisso exercitu, regno expulsus, tamen in* [d] *ultimis terris aliquid etiam nunc* [c] *moliatur, atque ab invicta Cn. Pompeji manu, Mæotide & illis paludibus & itinerum* [a] *angustiis, atq;* [a] *altitudine montium defendatur: cúm Imperator in bello* [c] *versetur, in locis autem illis etiã nunc belli* [a] *nomen reliquum sit: eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompejum omne judicium & potestas more majorũ debet esse,* [d] *Decemviri vendent? &, credo, Publ. Rullus* [a] *(is enim sic se gerit, ut sibi jam Decemvir designatus esse videatur) ad eam auctionem potissimúm proficiscetur? is videlicet, antequam veniat in Pontum, literas ad Cn. Pompejum mittet: quarum ego jam exemplum ab istis compositum esse arbitror.*

f. Verúm interim ad hos agr.

SED NON FUIT] σαρκασμὸς est ex collatione Scipionis principis providentissimi, Rullo tamen velut inferioris. *Verùm inter*] Transit ad vectigalia recentibus Pompeji victo-

victoriis parta. Has veró tres provincias imperio R. Pompejus adjecerat, ut Asia, quæ imperium antea nostrum terminabat, nunc tribus novis provinciis ipsa cingatur, ait de provinciis Consularibus Cicero. *Itáne vero*] Amplificatio est indignitatis ex adjunctis: Indignum esse provinciarum nōdum pacatarum vectigalia vendi, quod hic fiat. Assumtionis pars per parenthesin in propositione includitur, & repugnantibus approbatur, quód nondum pacatæ sint provinciæ. *Mithridates*] Mithridates quadraginta feré perpetuos annos cum populo Rom. bellum gessit, repulsus Syllæ felicitate, victus Luculli virtute, afflictus magnitudine Pompeji, ut anté jam ex Floro diximus: tamen tum meditabatur, Asia relicta, in Italia bellum transferre, motusq; Hannibalis exemplo, sperabat Romanos in Italia faciliús superari posse: pauló póst tamen á filio captus, seipsum interemit. *Meotide*] Mæotis, palus Scythica, in quam versus Septentrionem Mediterraneum mare desinit. Pompejus veró Mithridatem in Colchos, Iberos, Albanos, Hircanos, Bosporanos, Mæoticos fugiētem persequebatur. Vide Plutarchum in Pompejo. *Judicium & potestas*] Potest ex disputatione superioris & hujus orationis politicum illud Romanæ politiæ exemplum notari: Imperatores & Duces exercituum, licét populi Romani ministri & legibus ac rationibus subjecti essent, multa tamen illorū judicio ac potestati de provinciis á se victis fuisse permissa, ut pro suo judicio leges darent, vectigal vel augerēt, vel minuerent, agros liberos publicarent, publicos liberarent, viris fortibus præmia donarent; Romamque reversi, de manubiis basilicas, porticus, theatra, templa, aut quævis alia monumenta ad memoriam sui nominis ædificarent. *Et credo*] Assumtionis reliqua sententia hic continuatur, quód provincias illas non pacatas Rullus vendat, & invidiæ caussa repræsentatur intolerantia Rulli adversus Pompejum: qui quintus est de Pompejo locus.

P. SERVILIVS RVLLVS TRIBVNUS PLEB. DECEMVIR S. D. Cn. POMPEJO Cn. F.

Non credo ascripturum esse, MAGNO: *non enim videtur id quod imminuere lege conatur, cõcessurus verbo.* TE VOLO CURARE, UT MIHI SINOPE PRÆSTO SIS, AUXILIUMQUE ADDUCAS, DUM EOS AGROS, QUOS TUO LABORE CEPISTI, EGO MEA LEGE VENDAM. *An Pompejum non adhibebit? in ejus provincia vendet manubias Imperatoris?* [c] &c. *Ponite ante oculos vobis Rullum in Ponto inter vestra atq; hostium castra hasta posita cum suis formosis finitoribus auctionantem. Neq; in hoc solùm inest contumelia, quæ vehementer &* [c] *insignis est, & nova, ut ulla res* [c] *parta bello, nondũ legibus datis, etiam tum Imperatore bellum administrante, non modò vaenerit, verùm etiam locata sit. Plus spectant homines certè, quàm contumeliam: sperant, si concessum sit inimicis Cn. Pompeji,* [a] *cum imperio, cum judicio omnium rerum, cum infinita potestate, cum* [d] *innumerabili pecunia, non solùm aliis in locis vagari, verùm etiam ad ipsius exercitum pervenire,* [a] *aliquid illi insidiarum fieri, aliquid de ejus exercitu copiis, gloria detrahi posse. Putant, si quam spem in Cn. Pompejo exercitus habeat,* [a] *aut agrorum, aut aliorum commodorum, hanc non habiturum, cùm viderit earum rerum omnium potestatem ad* [d] *Decemviros esse translatam. Patior non molestè* [a] *tam stultos esse,* [a] *qui hæc sperent: tam impudentes, qui conentur: Illud queror,*

ror, tam me ab iis esse contemtum, ut hæc[c] portenta me Consule potissimùm cogitarent.

P. SERVILIUS] Præscriptio epistolæ omnes honoris titulos Rullo adjungit, detrahit Pompejo ad arrogantiæ argumentum. *Magno*] Pompejus victo in Africa Domitio, Magnus á militibus appellatus est: quod cognomen Sylla, cùm reversum Pompejum magna voce Magnum salutasset, confirmavit. Vide Plutarchum in Pompejo. *Non enim*] Argumentum est á repugnantibus. *Te volo*] Affingit Rullo in epistola prosopopœjam, tanquam domini superbé imperantis. *Sinope*] Sinopa aut Sinope, urbs est in Ponto, ut Cicero actione tertia dicit, & hîc indicat, regia Mithridatis & sepulchrum, patria Diogenis Cynici, gymnasio quondam clarissima. Ptolemæus tamen ponit hanc urbem in Galatia. *An Pompejum*] Concluditur hîc assumtionis ratio, & imagine ficta repræsentatur quod adhuc dictum est. *Manubias*] Manubiæ hoc loco manifesté significant non pecunias ex præda redactas, sed prædam ipsam. *Neque in hoc*] Transitio ad majorum insidiarum suspicionem, veluti Pompejum Decemviri sint eversuri. Reperitur autem sententia superioris propositionis, indignum esse proscribi agros nondum pacatos. *Quam contumeliam*] Contumelia á contumeo, vel (ut Vallæ placet) á contemno, hîc valde exprimitur, quippe sic contemto & despecto Pompejo. Nihil autem interest verbis an rebus id fiat: utrumque autem inest in hoc exemplo. *Sperant*] Ostendit ex efficiendi caussis rationem insidiarum, & ita concludit:

Si beneficii conferendi facultas Pompejo ablata sit, de Pompejo quoque spes militibus auferetur:

Sed vi, imperio, judicio, potestate, pecunia Decemviris permissa, omnis facultas auferetur Pompejo:

Militibus igitur de eodem spes auferetur.

Assumtionis sententia præcedit. *Putant*] Sententia propositionis est. *Pator*] Complexionis loco hæc indignatio ponitur ex adjunctis, stultitia, impudentia, arrogantia, quæ tamen forma dissimilitudinis tractantur. Non conqueror hoc, sed illud. *Portenta me Coss.*] Portenta, ostenta, monstra, prodigia dicuntur, quia portendunt, ostendūt, monstrant, prædicunt. Hac metaphora significat de evertendo Pompejo violenta & furiosa consilia, ut superiore oratione locutus est. eadem in hominibus ipsis metaphora Cicero sæpé utitur: Gabinium & Pisonem, duo Reip. portenta, ac pené funera nominat: in Pisonem, Clodium fatale portentum ac prodigium reipub.

Atq; in omnibus his agris, ædificiisque vendendis permittitur [d] *Decemviris, ut vendant quibuscunque in locis videatur.* [11] *O perturbatam* [a] *rationem! O* [a] *libidinem* [c] *refrænandam!* [a] *O consilia dissoluta atq; perdita! Vectigalia locare nusquam licet, nisi in* [9] *hac urbe, hoc ex loco, hac vestrûm frequentia: vanire* [9] *vestras res proprias, & in perpetuum á vobis alienari, in Paphlagoniæ* [c] *tenebris, atq; in Cappadociæ* [a] *solitudine licebit? L. Sylla cúm bona indemnatorū civium* [a] *funesta illa auctione sua* [9] *venderet, & se prædam suam* [''] *diceret vendere, tamen ex hoc loco vēdidit: nec quorum* [a] *oculos offendebat, eorū ipsorum* [a] *conspectum* [c] *fugere ausus est:* [d] *Decemviri vestra vectigalia non modó ne vobis quidem arbitris, sed ne præcone quidem publico teste vendent? Sequitur omnes agros extra Italiam infinito ex tempore, non, ut antea, ab Sylla & Pompejo Coss. cognitio* [d] *Decemvirum, privatus sit, an publicus: sicq; agro pergrande vectigal imponitur. Hoc quantum judicium,* [a] *quám intolerandum, quám regium sit, quem præterit? posse quibuscunq; locis*

L. vendere dicere;

locis velint,' nulla disceptatione, nullo consilio," privata' publicare, publica liberare.

ATQUE IN OMNIBUS] Reprehenditur in superiore oratione circumstantia venditionis, quód nullus ei locus definiatur. Attentio priús excitatur exclamatione. *Refraenandam*] Metaphora ab equis, in quibus proprié dicitur frænum & frænare.

Tempore lenta pati fræna docentur equi,

ait Ovidius 1 de Arte. *Vectigalia*] Collatio minorum est, quæ fuit eadem in superiore oratione. *Venire*] Redditio majorum est. *L. Sylla*] Altera collatio, quæ item minorum est. Sylla autem cúm apud Collinam portam septuaginta millia Romanorũ, in publica via quatuor millia jugulasset, duo millia Senatorii & Equestris ordinis proscripsisset, eorum bona vendidit: quinque item municipia Italiæ tota, Spoletum, Interamnum, Præneste, Fluentiam, Sulmonem, hasta posita vendidit. vide Flor. lib.3, cap. 21. *Nec quorum*] Dissimilia sunt, offendebat, sed non effugiebat oculos. *DecemViri*] Redditio majorum aucta collatione minorum. *Sequitur*] Locus est mutilatus: sententia tamen ejus ex secundo venditionis capite, & in superiore, & in hac oratione potest intelligi, ut si Decemviri publicos agros vendendos non censerent, vectigal iis imponerent. *Hoc quantum*] Amplificatur ex adjunctis indignitas potestatis hoc capite commissæ.

' Excipitur hoc capite ager in Sicilia Recentoricus: quem ego excipi,' & propter [d] hominum necessitudinem, & propter æquitatem, Quirites," sæpe vehementer gaudeo. Sed quæ hæc impudentia? qui agrum Recentoricum' possident, vetustate possessionis se, non jure; misericordia [a] Senatus, non agri conditione defendunt. Nam illum agrum publicũ esse fatetur," sed moveri possessionibus," amicissimis sedibus, ac [a] diis penatibus negant oportere. " At si est privatus ager Recentoricus, quid eum excipis? sin autem ' publicus, quæ est ista æquitas, cæteros,

L. sané veh.

L. sed se mo.

al. antiquissimis

etiam si privati sint, permittere ut publici judicentur, hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur? Ergo eorum ager excipitur, qui apud Rullum alia ratione valuerunt: cæteri agri omnes, qui ubique sunt, ² sine ullo delectu, sine populi Romani notione, sine judicio ² Senatus, Decemviris addicentur.

Excipitur] Sequuntur duæ exceptiones, prima de agro Recentorico, secunda de agro Numidico; non tam iniquæ, quàm suspiciosæ, ut in prima oratione. Prima commẽdatur ex adjunctis personarum, necessitudine & æquitate. Deinde reprehenditur ex caussis possessionis, vetustate temporis, clementia senatus, quibus sua dissimilia comparata sunt. *Necessitudinem*] Cicero præfectus annonæ in Sicilia fuit, & Quæstor, ut Plutarchus docet in Cicerone: Hinc ista necessitudo Ciceroni cum Siculis, qua inductus etiam Verrem accusavit. *At si est*] Dilemma est ex adversis *privatus, publicus*. Syllogismum sic absolves;

Si privatus, non excipiendus; publicus iniquè excipitur:
Sed hoc, aut illud:
Quare non excipiendus, aut iniquè excipietur.

Esse fateatur] Ex repugnantibus hoc argumentum est. At locus videtur esse mendosus. Sententia veró ejusmodi fuit: Quem qui possident, publicum esse fateantur. *Ergo eorum*] Conclusio primæ exceptionis, ubi quæstus Rullo propositus indicatur.

Atq; etiam est alia superiore capite, quo omnia veneunt, ² quæstuosa exceptio: quæ tegit eos agros, de quibus fœdere cautum est. Audivit hanc rem non à me, sed ab aliis agitari sæpè in Senatu, nõnunquam ex hoc loco, possidere agros in ora maritima Regem Hiempsalem, quos P. Africanus populo Romano adjudicarit: & tamen postea per C. Cottam Consulem cautum esse ² fœdere: hoc quia vos fœdus non

non jusseritis, veretur Hiempsal ut satis firmum sit & ratum. Quid? cujusmodi est illud? tollitur vestrum judicium: fœdus totum excipitur, comprobatur. " *Quód* [c] *minuit auctionem Decemviralem, laudo: quód regi amico cavet, non reprehendo: quód non gratis fit, indico.* [c] *volitat enim ante oculos istorum*" *Juba regis filius, adolescens non minus bene nummatus, quám bene capillatus. Vix jam videtur locus esse, qui tantos* [c] *acervos pecuniæ capiat: auget, addit, accumulat: aurum, argẽtum* [z] *ex præda, ex manubiis,*" *ex coronario, ad quoscunque pervenit,* [z] *neque relatum est in publicum, neque in monumento consumtum, id profiteri apud Decemviros, & ad eos referre jubet. Hoc capite etiã* [d] *quæstionem de* [c] *clarissimis viris, qui populi Romani bella gesserunt, judiciumq; de pecuniis repetundis ad Decemviros translatum videtis.*" *horum erit nullum judicium, quanta cujusque manubiæ fuerint,* [z] *quid relatum, quid residuum sit. In posterum veró lex hæc Imperatoribus vestris constituitur, ut quicunq; de provincia decesserit, apud eosdem Decemviros, quantum habeat prædæ, manubiarum, auri coronarii, profiteatur.*

L. Juba, reg.

fort. ex auro cor.

al. horũ erit illud jud. L. Horum erit jud.

Atque etiam] Secunda exceptio de agro Numidico, ex adjuncto quæstu similiter reprehensa. *Audistis*] Summa est disceptationis forensis, qualis antea de regno Ægypti fuit. Pro populo Romano est authoritas Africani, pro rege authoritas Cottæ Consulis. *Hiempsalem*] Vide nunquid hic sit Hiempsal, de cujus filio postea in Commentariis Cæsaris facta mentio est. *Jusseritis*] Hac de re superiore oratione dictum est, ut fœdera rata non essent, nisi populus ea jussisset, ut Caudinum, Numantinum. *Quid cujusmodi*] Amplificatio ex adjunctis, hac de re populi judicium tollitur. *Quód minuit*]

Videtur hîc quippiam deesse. Conclusio autem est, secundæ exceptionis dissimilibus ornata. *Volitat*] Suspicio quæstus & libidinis ex personæ adjunctis, adolescens nummatus, capillatus. De Juba autem Numidiæ rege, Pompeji partes bellis civilibus secuto, magna mentio est in Commentariis Cæsaris, ut Curionem vicerit, ut multa crudeliter & acerbé fecerit, ut interierit tandem. *Volitat*.] Simili metaphora in Catilinam dictum est; Ducere exercitum hostium, & in armis volitare audiamus: itemque in Pisonem, Valebis apud hominem volitantem gloriæ cupiditate vir moderatus & constans. *Capillatus*] Mollitiem aliquam notat: tum veró cincinni & calamistri in deliciis fuére: atque hac parium collatione exceptionis gratiam significat. *Vix jam*] De tribus venditionum capitibus dictum est: quartum & postremum sequitur de prêda & manubiis imperatorum, qui Decemviris hoc capite subjiciebantur. *Coronario*] Coronarium (ut superiore oratione dictum est) aliquando absoluté dicitur, ut hîc: aliquando additur aurũ, ut superiore oratione. Et pauló póst, Munus est coronarium loco præsidibus provinciæ dari solitũ. *Relatum*] In ærarium rationes rerum in provincia gestarum referebantur, ut superiore oratione significatum est, & hîc rursus significatur. *Profiteri*] Profiteri apud aliquem magistratum, quid sit, Cicero hîc explicat, nempe referre ad eum: ut in agricultura jugera, fruměntum, greges, & cætera generis ejusdem; in hac imperatoria ratione, prędam, manubias, aurum coronarium. *Hoc capite*] Amplificatio est indignitatis ex reb. huic capiti subjectis, de quibus Decemviri sunt judices futuri. Repetundarum autem judicium quas res contineret, actiones in Verrem demonstrant: pecunias vi aut dolo ereptas, frumentum, tabulas, signa, supplicia iniqua etiam Cicero in illo judicio notavit. *Clarissimus viris*] Periphrasis est imperatorum, qualis est superiore oratione; Audite vos qui amplißs. &c.

Hic tamen vir [b] *optimus, eum quem* [b] *amat, excipit Cn. Pompejum. Unde iste amor tam improvisus, ac tam repentinus?* [c] *Qui honore* [d] *Decemviratus excluditur propé nominatim:* [a] *cujus judicium, legum-*

legumque datio, captorum agrorum ipsius virtute cognitio tollitur: cujus nō in provinciam, sed in ipsa castra [d] *Decemviri cum imperio, infinita pecunia, maxima potestate, & judicio rerum omnium, mittuntur: cui jus imperatorium, quod semper omnibus Imperatoribus est conservatum, soli eripitur, is excipitur unus, ne manubias referre debeat. Utrū tandem hoc capite honos haberi* [d] *homini, an invidia quæri videtur? Remittit hoc Rullo Cn. Pompejus: beneficio isto* [d] *legis, benignitate Decemvirali nihil utitur. nam si est æquum prædas ac manubias suas imperatores non in monumenta deorum immortalium, neque in* [d] *urbis* [c] *ornamenta conferre, sed ad* [d] *Decemviros tanquam ad dominos* [c] *reportare:* [c] *nihil sibi appetit præcipué Pompejus, nihil; vult se in communi, atque in eodem, quo cæteri, jure* [c] *versari. sin est iniquum, Quirites,* [z] *si turpe, si intolerandum, hos Decemviros* [c] *portitores* [?] *omnibus omnium pecuniis constitui: qui non modó reges, atque exterarum nationum homines, sed etiam Imperatores nostros* [c] *excutiant: non mihi vidētur honoris caussa excipere Pompejum, sed metuere, ne ille eandem contumeliam, quam cæteri,* [c] *ferre non possit. Pompejus enim cúm hoc animo sit, ut quicquid vobis placeat, sibi* [?] *ferendum putet: quod vos ferre non poteritis, id profectó perficiet, ne diutius inviti ferre cogamini. Veruntamen cavet, ut si qua pecunia post* [d] *nos Consules ex* [?] *novis vectigalibus* [?] *recipiatur, ea Decemviri utantur: nova porró vectigalia videt ea fore, quæ Pompejus* [c] *adjunxerit. Ita remissis manubiis, vectigalib. ejus virtute* [c] *partu se frui putat oportere.* L. reficiatur

HIC TAMEN] Exceptio est Pompeji de proximo capite, tribus modis reprehensa, primúm á repugnantibus: Tam multa Pompejo contra jus imperatorium Rullus eripit; Non igitur amoris caussa manubias excipit. Ironia veró est gemina, & in *optimus*, & in *amat*. *Datio legum*] Eodem nomine Varro sic usus est: Si in farciendo cibo fastidiunt, remittendũ in datione, proportione, &c. *Utrum tandem*] Complexio primæ reprehensionis, cui secunda subjungitur per dilemma ex adversis: Si lex est æqua, Pompejus non est excipiendus: sin iniqua, metus caussa videbitur excipi: pars prior duplici dissimilitudine ornatur. *Tanquam ad*] Brevis similitudo. *Sin est*] Secunda pars dilemmatis majorum collatione exornata. *Portitores*] Portitor proprié qui portat, abusivé qui portatur, ut vector, ajunt grammatici: sed de naviculatoribus feré semper, qui fluvium aut stagnum traducunt, qui á littore ad navem, vel hinc ad littus.

Portitor has horrendus aquas & flumina servat
Terribili squalore Charon, ——

ait 6 Æneid. Virgil. Hunc Græco verbo Juvenalis Porthmea vocavit,

——*Tetrumq; novitius horret*
Porthmea.——

Hic veró sumitur portitor á Cicerone pro eo qui portorium exercet, & exigit: & ideo prætereuntes sæpé excutit, cúm quod vehant aut portent, portorio obnoxium sit. *Non mihi*] Dissimilia sunt: ubi caussa exceptionis præcipué notatur, metus nempe de Pompejo, ne vindex populi Romani sit adversus Decemviralem dominationem. *Veruntamen*] Tertia reprehensio ejusdem exceptionis, quód Rullus Pompeji manubias tantúm excipiat, vectigalia vẽdat. Syllogismus clarior est, quám in superiore oratione: argumentum est á genere. *Nova porro*] Assumtio est, ubi non repetitur antecedẽs, sed species pro genere, de quo in nostris Institutionibus monemus. *Ita remissis*] Complexio syllogismi.

L. prætermissum sit: [c] *Parta sit pecunia, Quirites,* [d] *Decemviris tanta, quãta sit in terris: nihil* [e] *prætermissum, sed omnes urbes,*

urbes, agri, regna denique, postremò etiam vectigalia vestra venierint: accesserint in [c] cumulum manubiæ vestrorum imperatorum: quantæ & quàm [c] immanes divitiæ [d] Decemviris, in tantis auctionibus, tot judiciis, tam infinita potestate rerum omnium quærantur, [c] videtis. Cognoscite nunc alios immensos atque intolerabiles quæstus: ut intelligatis ad certorum hominum [c] importunam [a] avaritiam hoc populare legis Agrariæ nomen esse quæsitum. Hac pecunia jubet agros emi, quò deducamini. Non consuevi homines appellare asperiùs, Quirites, nisi lacessitus. [11] & [14] Velim fieri posset, ut à me sine contumelia nominarentur ii qui se Decemviros sperant futuros: jam [c] videretis quibus hominibus [d] omnium rerum & vendendarum & emēdarum potestatem permitteretis: sed quod ego nōdum statuo mihi esse dicendum, vos tamen id potestis cū animis vestris cogitare. Unum hoc certè videor mihi verissimè posse dicere. Tum cùm haberet hæc Respublica [d] Luscinos, [d] Calatinos, [d] Acidinos, homines non solùm honoribus populi rebusq; gestis, verùm etiam patientia paupertatis [c] ornatos: & tum cùm erant [d] Catones, [d] Philippi, [d] Lælii, quorum [a] sapientiam, [a] temperantiamque in publicis privatisq; forensibus domesticisq; rebus perspexeratis: tamen hujuscemodi res commissa nemini est, ut idem judicaret & vēderet, & hoc faceret per quinquennium toto in [d] orbe terrarum: idemq; agros vectigales populi Romani abalienaret: & cùm summam tantæ pecuniæ nullo teste [9] sibi ipse ex sua voluntate fecisset, tum denique emeret à quibus vellet quod videretur.

PARTA SIT] Transitio est invidiosa à venditione bonorum, agrorum, vectigalium, manubiarum; ad emtionẽ novorum agrorum, quæ primó generaliter agitatur, deinde specialiter. *Immanes*] Immane proprié de re grandi dicitur. sic Immania templa, Immane antrum á Virgilio dicitur: sic Immania pocula, in Antonio Cic. dicit. Et hic Immanes divitias dicit, immensas & intolerabiles. *Cognoscite*] Pars est transitionis altera ad eandem adjuncti quæstus invidiam. *Non consuevi*] Ficta per optionem reticentia est ad eandem invidiam:

Si possem sine contumelia, nominarem:
At non possum:
Non igitur nominabo.

Videtur autem collegam suum C. Antonium intelligere, qui, ut Plutarchus ait in Cicerone, huic promulgationi studuit. *Sed quod ego*] Assumtionis & complexionis sententia hîc confusa est,

At sine contumelia nominare non possum:
Reticebo igitur.

Unum hoc] Comparatio majorum est, ad eandem invidiam. Optimis viris tanta potestas nũquam commissa est, quomodo pessimis cõmittetur? κτόπασις inductione optimorum civium conficitur, & eorum adjunctis ornatur. *Luscinos*] C. Fabricius Luscinus, non solùm triplici Consulatu & Epiroticis spoliis clarus, sed multó magis patientia paupertatis ornatus, qui Pyrrhi opes & aurum contemsit, ut Plutarchus in Pyrrho, qui P. Cornelium Rufinum Consularem virum Senatu movit, quód decem argenti facti pondo haberet: qua laude á Poëta præcipue laudatus est 6 Æneid.

— Parvoq; potentem
Fabricium. —

De quo vide Livium lib. 13 & 14. *Calatinos*] L. Attilius Calatinus Pœnos Sicilia expulit, ut ait Plinius de Viris illustribus, cap. 39. Hic Serranus cognominatus est, quod agros tum sereret, cúm ad Dictaturam vocatus est, quem Virgilius cum Fabricio simili laude conjunxit:

— Parvoq; potentem
Fabricium, vel te sulco Serrane serentem.

Vide

Vide Plin.lib.18,cap.3,ubi de his aratoribus imperatoribus mira scribit,quanta sub eorũ imperiis ubertas terræ,quanta vilitas annonæ fuerit. *Acidinos*] Cognomen est Manliorum, qui & Capitolini & Torquati & Lurcones cognominati sunt. Primus autem qui Torquati nomẽ à torque, quem Gallo victo detraxerat, invenit, severus admodum fuit,filium securi percussit, quód cõtra imperium pugnasset: Consulatum secundum recusavit, quód diceret,neque se populi vitia, neque illum severitatem suam pati posse. Vide Plin.de Viris illustr.cap.28. *Catones*] Intellige Catonem Censorium, qui optimus non solúm Orator,Senator,Imperator,Censor,sed Arator habitus est,de cujus frugalitate & tolerantia mira dicuntur á Plutarcho in ejus vita. *Philippi*] Q.Martii Philippi multi Romæ nobiles fuere. *Lælii*] Hic est Lælius,qui de Amicitia loquitur apud Ciceronem,& de quo aliás sæpé Cicero.Hic Sapiens appellatus est, quód agraria promulgatione destitisset, ut in argumento diximus. *Tamen hujuscemodi*] Similis feré disputatio antea fuit de Licinia & Æbutia lege. *Vectigales*] Vectigalis ager, civitas,equus, provincia dicitur,quæ vectigal pensitat: vectigalis pecunia pauló secus,quæ nẽpe ex vectigalibus coacta est. Igitur immunes seu liberi agri & vectigales contraria sunt in hac oratione.

[16] *Committite vos nunc, Quirites,* [y] *his hominibus hæc omnia, quos* [c] *odorari hunc Decemviratum suspicamini: reperietis* [z] *partem esse eorum quibus ad habendum, partem quibus ad consumendũ nihil satis esse videatur.* [11] *Hìc ego jam illud, quod* [c] *expeditissimum sit, ne disputo quidem, Quirites, nõ esse hanc* [u] *vobis á majoribus relictam consuetudinem, ut emantur agri á* [y] *privatis, quó plebs* [y] *publicé deducatur: omnibus legibus,* [u] *agris publicis privatos esse deductos: hujuscemodi me aliquid ab hoc* [c] *horrido ac truce Tribuno pleb. expectasse: hãc veró emendi & vendendi* [a] *quæstuosissimam ac turpissimam* [c] *mercaturam,* [z] *alienam actione Tribu-*

fort. nobis

al. in agros publicos

nitia, alienam dignitate populi Romani semper putavi.

COMMITTITE] Apodosis est comparationis de cõpetitoribus Decemviratus; eorum item adjũctis ornata: permissio autem est indignationi conjuncta. *Odorari*] Metaphora est á canibus: nam, ut ait Virgil. *Odora canum vis*: qua sæpe aliás Cicero usus: ut est in Pisonem, Non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis & cubilibus persecuti sumus. In superiore fuit illud ex eodem genere: Nunc quisnam tam abstrusus usquam nummus videtur, quem non architecti hujusce legis olfecerint? *Hic ego*] Continuatur emtionis invidia ex dissimili majorum consuetudine, qui publicis agris privatos deducebant, non emebant á privatis, quó publicé deducerent. *Agrũ publicũ*] Nota genus hujus dictionis, & considera nuncubi Cicero sic loquatur. *Hujuscemodi*] Complexio dissimilitudinis, ubi *Horrido* ac *Truce* de procœmio repetuntur. Nam de Rullo sunt illa, Truculentiús se gerebat, quám cæteri, &c. *Alienam*] Hoc nomen syntaxin in eadem significatione variam habet in Cicerone. Qui alienũ putet, ejus esse dignitatis, 1 de Finib. Quod illi caussæ maximé est alienum, pro Cecinna. Nihil esse dicitis á sapiente alienum, in Lucullo. & nunc sine præpositione, Alienum actione.

Jubet agros emi.[11] *Primùm quæro,*[r] *quos agros? & quibus in locis?*[f] *Nolo*[c] *suspensam & incertam plebem Romanam obscura spe &*[2] *cæca expectatione*[c] *pendère.*[10] *Albanus ager est, Setinus, Privernas, Fundanus, Vestinus, Falernus, Linternus, Cumanus, Casinas. Audio. Ab alia porta, Capenas, Faliscus, Sabinus*[//] *ager, Reatinus, Venafranus, Alifanus, Trebulanus. Habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, & cæteros horum similes nõ modò emere, verùm etiam*[c] *coacervare possis: Cur eos non*

ager *al. omittunt.*

nō definis, neq; nominas? ut saltem deliberare plebs Romana possit[a] quid intersit sua, quid[c] expediat, quantum tibi in emendis & in vendendis rebus cō-mittendum putet. [20]Definio, inquit, Italiam. satis [b]certa regio. etenim quantulum interest utrum in Massici radices, an in Italiam, aliove deducamini? Age veró, definis locum.[d] quidnam agri veró, inquit? qui arari, aut coli possit. Qui possit[e] arari, inquit, aut[f] coli, non qui aratus, aut cultus sit. Utrúm hæc lex est, an tabula Veratianæ auctionis? in qua scriptum fuisse ajunt,[a] Jugera ducenta, in quibus olivetum fieri[f] potest: jugera trecenta, ubi institui vineæ possunt. hoc tu emes ista innumerabili pecunia, quod arari aut coli possit? Quod solum tam exile & macrum est, quod aratro perstringi nō possit? aut quod est tam asperum saxetum, in quo agricolarum cultus non elaboret?

L. quidnam agri? agri vero, inquit, qui ar.

JUBET AGROS] Emtio generaliter adhuc reprehensa est, specialiter deinde reprehenditur; & requiritur tum definitio, tum qualitas agrorum. Dialogismus autem est Ciceronis & Rulli. *Albanus*] Rulli responsionem fingit, tanquam definientis hos agros, & é suggesto ad portam Trigeminam orientem & meridiem versus indicantis. *Audio*] Ciceronis persona hic est: deinde Rulli rursus alia porta, Viminali nempe, vel Exquilina, alios agros indicantis. *Habes*] Urgetur definitio ex facultate emendi, & fine ipsius definitionis, ut definitorum agrorum qualitatem populus queat æstimare. Considerabis autem hoc loco quid sit agros pecunia coacervare, an eos simul velut in acervum continuatos adjungere, an potiús eos pecunia velut arena cooperire: quomodo postea dicitur, Ne constipari quidem tantum numerū hominū posse in agrum Cāpanum intelligetis. *Definis*] Subjicitur tandem definitio ex legis quibusdam verbis, quibus Rullus dicebat in Italia

se agros emturum. Reprehenditur definitio, ut communis & proprié nihil complexa, quia in Italia fertiles sunt & steriles agri: ut si rogatus, quid esset homo, respondeas animal esse, etsi verum responderes, attamen proprié nihil definires. Multum enim interest, utrum animal rationis particeps an expers dicatur, quod illa tamen definitione non sit expositum. Hic autem locus Ironiam habet. *Massici*] Massicus mons Campaniæ vini præstantia nobilis,

—Vertunt felicia Baccho
Massica,—

ait Virgil. 7 Æneidos. *Aliòve*] Videtur hic aliquid deesse. *Age verò*] Disputationem definitionis sequitur qualitatis disputatio. Locus veró mutilatus est. Videtur autem sentẽtia fuisse: Quisnam igitur erit ager? ager veró, inquit, &c. Reprehenditur autem responsio qualitatis, similitudine. Aliud siquidem est esse cultum, & coli posse; & esse divitem, & posse ditescere. *Hoc tu emes*] Instituitur hic syllogismus,

Emetur ager qui coli possit:
Quodvis solum coli potest:
Emetur igitur.

"*Idcirco, inquit, agros nominare non possum, quia tangam nullum ab invito. Hoc quoq; multó est quæstuosius, quám si ab invito sumeret.*" *Inietur enim ratio quæstus de vestra pecunia, & tum deniq; ager emetur, cúm idem* [c] *expedierit emtori & venditori. Sed* [c] *videte vim legis Agrariæ: ne ii quidem qui agros publicos possident, decedent de possessione, nisi erunt deducti optima conditione, & pecunia maxima. Conversa ratio. Antea cúm erat á Tribuno pleb. mentio legis Agrariæ facta, continuó qui agros publicos, aut qui possessiones invidiosas tenebant, pertimescebant: hæc lex eos homines fortunis locupletat, invidia liberat. Quám multos enim, Quirites,*

al. inibit.n.
L. inveniet

Quirites, existimatis esse,[a] qui latitudinem possessionum tueri, qui invidiam Syllanorum agrorum ferre non possint? qui vendere cupiant, emtorem non reperiant? perdere jam deniq; illos agros ratione aliqua velint?

IDCIRCO, INQUIT] Transit per prolepsin ad novas emtionis circunstantias ex rapinarum quæstu, quód Rullus agros ab invitis non sit emturus. *Sed videte*] Statuitur hoc capite, publicorum agrorum possessores confirmari ut vendant carissimé, aut retineant, eaque indignitas dissimilium collatione exaggeratur. *Hæc lex*] Antapodosis dissimilitudinis, unde reditur ad protasin, & variis adjunctis metus possessoris ostenditur.

" *Qui paulò ante" diem noctemq; Tribunitium nomen [c]horrebant, vestram vim metuebant, mentionem legis Agrariæ pertimescebant; ii nunc etiã ultrò rogabuntur, atq; orabuntur, ut agros[a] partim publicos, partim[a] plenos invidiæ, plenos periculi, quanti ipsi velint,[d] Decemviris tradant. Atq; hoc [c]carmen hic Tribunus plebis non vobis, sed sibi intus canit. habet socerum virum [b]optimum, qui tantum agri in illis Reipubl.[c] tenebris occupavit, quãtum concupivit. huic subvenire vult" succumbenti, jam [c] oppresso Syllanis [c]oneribus [c]gravi sua lege, "ut liceat illi invidiam [c]deponere, pecuniam condere:" & vos nõ dubitatis, quin vectigalia vestra võdatis plurimo majorum vestrorum [a]sanguine & [a]sudore quæsita, ut Syllanos possessores "divitiis [c]augeatis, periculo liberetis? Nam ad hanc emtionem Decemviralem duo genera agrorum spectãt, Quirites: eorum unum propter invidiam domini [c]fugiunt: alterum propter vastitatem. Syllanus ager á certis hominibus latissimé continuatus tantam ha-*

L. dies noctéisque Trib.

L. succũbenti jam, atque oppresso Syllanis operibus gravibus, suaeg.

L. Et vos dubitatis, qu. vect. vestra nõ vendatis,

bet [a] invidiam, ut veri ac fortis Tribuni plebis [c] stridorem unũ perferre non possit: hic ager omnis, quoquo precio coemtus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur. Alterum genus agrorum [t] propter sterilitatem incultum, propter pestilẽtiam vastum atq; desertum, emetur ab iis, qui eos [c] vident sibi esse, si non vendiderint, relinquendos. Et nimirum istud est, quod ab hoc Tribuno pleb. dictum est in Senatu, urbanam plebem nimium in Repub. posse, [t] exhauriendam esse: hoc enim verbo est usus, quasi de aliqua sentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur.

QUI PAULÓ] Repetitur sententia dissimilitudinis, & concluditur. *Ultro*] Aliquando hoc adverbium qualitatis est, & præterea significat, ut Servius ait illo Virgilii loco,

His lacrymis vitam damus, & miserescimus ultro.

Ita hîc ultro præterea significat, tanquã diceretur, non solúm nõ pertimescent, sed etiam rogabũtur. *Atque hoc carmen*] Notatur Rulli domesticus quæstus, quasi Rullus Valgii soceri gratia caput hoc addiderit. Allegoria est á citharœdis sinistra chordas tam leniter carpentibus, ut ipsi soli, vel qui proximé assistunt, exaudiant: quod intus canere dicitur. Nam cúm dextra plectrum tenent, foris canere dicuntur. Hinc proverbium in furaces, & suis commodis occulté studentes. In hoc autem canendi genere difficillimo quondam Aspendii exercitatissimi fuere: ac cúm Verres Aspendium quendã citharistam egregio signo quodam expressum furatus esset, Cicero 3 action. hominem festivé cavillatus est. Atque etiam (inquit) Aspẽdium illũ citharistam, de quo sæpe audistis, quod est Græcis hominibus in proverbio, quem omnia intus canere dicebant, sustulit, & in intimis suis ædibus posuit, ut etiam illum ipsum artificio suo superasse videatur. *Tenebris*] Significat hac metaphora proscriptiones Syllanę tyrannidis, quibus

quibus totum Irpinum agrum, & amplissimos in agro Cassinati fundos occupaverat, ut erit postea 3 Agraria. *Succumbentis*] Allegoria potest á bajulis accipi gravius onus ferentibus. Metaphoræ veró hæ sunt in Cicerone frequentes, Succumbere dolori, fortunæ, senectuti: aliquando absoluté, ut Succumbere animo: & Succumbere, pro frangi & debilitari, & opprimi officii onere; pro Amerino. *Et vos*] Concluditur Syllanorum confirmatio, invidioséque repetitur, velut ad eam rem vectigalium venditio. *Et* particula non copulat hoc loco sententiam, sed incipit, & quidem aliqua indignatione, ut pauló póst, Et nimirum istud est, &c. Quomodo frequenter apud Ciceronem usurpatur. *Nam ad*] Revocatur agrorum qualitas, & subjecti in adjunctà divisione duplex ostenditur. *Vastitatem*] Vastus, a, um, quod modum amplitudinis excedit, ut mare vastum:

—Vastumq; cava trabe currimus æquor,

3 Æneid. Aliquando pro solo & deserto sumitur, ut apud Sallustium in Jugurtha, Mons vastus á natura & humano cultu. Et pauló póst Cicero: Agrorum genus propter pestilentiam vastum atque desertū. Hinc vastitas pro solitudine. *Syllanus*] Declaratio primæ qualitatis ex quadam parium collatione: Tanta invidia est, quanta stridorem tribunitiū ferre non possit, ubi stridorem notabis pro conciuncula & rogatiuncula per hyperbolicam extenuationem dici. Stridor autem proprié de sono rudentum, ferri, teli, venti dicitur: ut 1 Æneid. *Stridorque rudentum:* & 6, *Tum stridor ferri:* & 11, *Extemplo teli stridorem*: & Cicero 1 Tuscul. Horrifer aquilonis stridor. *Inducetur*] Id est, æstimabitur. quomodo rursus in hac oratione Cicero loquutus est eadem de re, Ut iidem partim invidiosos agros á Syllànis possessoribus, partim desertos ac pestilentes á vestris necessariis, â vobisinet ipsis emtos quanti velletis populo Romano induceretis. *Alterum genus*] Declaratio secundæ qualitatis ex adjunctis loci. *Et nimirum*] Confirmatio utriusque qualitatis ex quodam Rulli dicto, quasi plebem Romanam fastidientis, & sentinæ comparantis. *Sentina*] Sentina, pars navis infima, in quam omnes aquæ defluunt, inibique corruptæ fœtent: á sen-

tio ajunt Grammatici, quód ejus fœtor malé oleat. Juvenal. Satyr. 6.

Si jubeat conjunx, durum est conscendere navem;
Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer.

Sic Cæsar 3 Belli civilis dixit, Conflictari sentinæ vitiis. per metaphoram veró pro infimo loco: Cicero ad Papirium, Sedebamus in puppi, & clavum tenebamus, nunc autē vix est in sentina locus. Pauló aliter etiam pro nequissimorum civium fæce dicitur: ut in Sallustiū Cicero, Nisi fórté in ea te castra rejecisti, quo omnis sentina Reipubl. confluxerat. Allegoria igitur illa Rulliana Exhauriendæ sentinæ, Cicero sceleratos & improbos cives significatos ait, quomodo ipse in Catilinam loquitur: Sin tu (quod te jamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex Urbe tuorum comitum magna & perniciosa sentina Reipub. Et 1 ad Attic. Qua constituta diligenter, & sentinam Urbis exhauriri, & Italiæ solitudinē frequentari posse arbitrabatur.

Vos veró, Quirites, si me [c] *audire vultis, retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, cæterorum omnium commodorum,* [b] *nisi forté mavultis, relictis his rebus, atque hac* [c] *lucē Reipub. in Sipontina siccitate, aut in Salapinorum* [a] *pestilentiæ finibus Rullo duce collocari. At dicat* [a] *quos agros empturus sit: ostendat & quid, & quibus daturus sit. Ut veró cúm omnes urbes, agros, vectigalia, regna vendiderit, tum* [a] *arenam aliquam, aut* [a] *paludes emat, id vos potestis quæso concedere? Quanquam illud est* [b] *egregiū, quód hac lege* [a] *antē omnia veneāt, antē pecunia cogātur & coacervātur, quàm* [d] *gleba una* [a] *ematur: deinde emi jubet, ab invito vetat:* [a] *quæro, si, qui velint vendere, non fuerint, quid pecunia fiet? & referre in ærarium* [d] *lex vetat, exigi prohibet: igitur pecuniam omnem* [d] *Decemvi-*

cemviri tenebunt, vobis ager non emetur, vectigalibus abalienatis, sociis[c] vexatis, regibus atq; omnibus gentibus[c] exinanitis, illi pecunias[b] habebūt, vos agros non habebitis.

VOS VERÓ] Adhortatio brevis interposita, ut plebs Romæ maneat. In ea comparantur ex suis adjunctis & præsens & futurus status. *Nisi forte*] Redditio comparationis de futuro statu. *At dicat*] Urgetur rursus omissa agrorum definitio, & eorum qualitas concluditur, non esse illa vendenda, ut hæc emantur. *Arenam*] Hac hyperbolica metonymia steriles agros designat, quomodo Virgil.2.Georg.

Exiguus sterilem nec deserat humor arenam.

Talis est tropus in verbo *Paludes*, pro agris pestilentibus. *Quanquam*] Disputatur in hoc emtionis capite postremo, Decemviros tantam pecuniam retenturos esse: suspicio ex efficiendi facultate colligitur,

Si venditor defuerit, pecunia retinebitur, quia nec referri, nec exigi potest:
At primum facile est, quia ab invitis emi vetitum est:
Secundum igitur.

Igitur pecuniam] Complexio variis dissimilibus exornata. *Exinanitis*] Oratione superiore idem alia metaphora dictum, Reges denique exhauriant.

[17] *Facilé, inquit, adducentur pecunia magnitudine, ut velint vendere. Ergo ea lex est, qua nostra vendamus, quanti possimus: aliena emamus, quanti possessores velint. Atq; in hos agros, qui hac lege emti sint, [a] colonias ab iis Decemviris deduci jubet. Quid? omnisne locus ejusmodi est, ut nihil intersit Respubl.[a] colonia deducatur in eum locum, necne? An est locus, "qui[a] coloniam postulet? est plané rectius, &c,* Quo in genere, sicut in cæteris Respubl. partibus, est operæprecium diligentiam majorum recordari, qui[a] colonias sic idoneis in locis contra*

L. qui coloniam postulet: est & qui plané recuset? quo in gen.

ſuſpicionem periculi collocarunt, ut eſſe non oppida Italiæ, ſed propugnacula [d] *imperii viderentur. Hi deducent* [a] *colonias in eos agros, quos emerint, etiámne ſi Reipubl. non* [c] *expediat? & in quæ loca præterea videbitur? Quid igitur eſt cauſſa, quin* [a] *coloniam in Janiculum poſſint deducere? & ſuum* [a] *præſidium in* [c] *capite atque* [c] *cervicibus veſtris poſſint*

L. quot col. *collocare?"* [1] *Tu non definias* [9] *quo* [a] *colonias, in quæ loca, quo numero colonorum deduci velis? tu occupes locum, quem idoneum ad vim tuam judicaris?* [c] *compleas numero? confirmes* [a] *præſidio quo velis? populi Romani vectigalibus, atq; omnibus copiis ipſum populum Romanum coerceas? opprimas? redigas in iſtam Decemviralem ditionem ac poteſtatem?*

FACILE] Prolepſis contra aſſumtionem reprehenſa, adjuncti quæſtus ſuſpicione. *Atq; in*] Poſtremum tyrãnicæ poteſtatis caput de coloniarum deductione primum diſputatur ex fine:

Veræ coloniæ deducuntur, ut propugnacula ſint imperii:
Decemvirales non ea cauſſa deducuntur:
Non igitur veræ.

Sententia propoſitionis mutilata: illuſtratur autem majorum authoritate. *Hi deducent*] Sententia aſſumtionis, quód hæ coloniæ non ad propugnandum, ſed oppugnandum potiús inſtituantur: probatio ex efficiendi facultate ſumitur. *Janiculum*] Septimus mons Urbis mœnibus tandem concluſus, qui reliquæ Urbi imminebat, quod ſequentes indicant metaphoræ, *capite, cervicibus.* & Livius ait, Janiculum Urbi adjectum non inopia loci, ſed ne quando ea arx hoſtium eſſet, id non muro ſolúm, ſed etiam ob commoditatem itineris, ponte ſublicio tum primúm in Tyberi facto, Urbi conjungi placuit. Notabis cervices plurali numero, quo modo feré ſemper hoc nomine

Cicero

Cicero usus. Quintil.lib.8,cap.3,dicit ab Hortẽsio primúm singularem nominis hujus numerum usurpatum:& in Cicerone rariús legitur: ut in Verrem, Prætorem accusas, frange cervicem. *Tu non desinis*] Complexionis loco hęc indignatio ex caussis tyrãnicæ potestatis colligitur.

Ut veró totam Italiam suis [a] præsidiis obsidere atq; occupare cogitet, [b] quæso, Quirites, cognoscite. Permittit Decemviris, ut in [9] omnia municipia, in omnes [10] colonias totius Italiæ [e] colonos deducãt, quos velint: iisq; colonis agrum dari jubet. [b] Num [c] obscuré majores opes, quám libertas vestra pati potest, & majora [a] præsidia quæruntur: num obscuré regnum constituitur? num obscuré libertas vestra tollitur? Nam cúm iidem omnem pecuniam, maximam [11] multitudinem, id est, totam [a] Italiam, suis opibus obsidebunt, iidem vestram [a] libertatem suis [a] præsidiis & [a] coloniis [c] interclusam tenebunt: [e] quæ spes tandem, quæ facultas recuperandæ vestræ libertatis relinquetur? [b] At enim ager Campanus hac lege dividetur, [d] orbis terræ pulcherrimus: & Capuam colonia deducetur, urbem amplissimam atq; ornatissimã. Atqui quid ad hæc possumus dicere? De commodo vestro priús dicam, Quirites: deinde ad amplitudinem & dignitatẽ revertar: ut si [e] quis agri aut oppidi bonitate delectetur, ne quid expectet: si quem rei dignitas commovet, ut huic simulatæ largitioni resistat. Ac primúm de oppido dicam, si quis est forté quem Capua magis quám Roma delectat. Quinq; millia colonorum Capuam scribi jubet. ad hunc numerum quingenos sibi singuli sument.

L.multitudinẽ obtinebunt: iidem totam Italiã suis op.

Ut veró] Continuatur ex iisdem caussis approbatio tyrannidis:

Qui suis opibus Italiam obsidere cogitant, regnum quærunt:

Id agunt Decemviri:

Itaq; regnum quærunt.

Assumtio (quód Italiam suis opibus Decemviri obsidere cogitent) præcedit. *Num obscure*] Complexionis sententia secundo loco (Decemviri regnum quærunt) congerie rerum idem significantium exornata. *Nam cùm*] Sententia propositionis specie interpretationis exornata. *Interclusam*] Hac metaphora pro Rabirio perduellionis reo pauló secus usus est: Est etiam bonorum & fortium civium, intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia Reipublicæ. *At enim*] Prolepsis Rulli de agro Campano, quem divisurus est, & Capua quó coloniam deducturus est: ad quam refellendam reliqua oratio pertinebit. Notabis autem hoc loco dictionis genus rarum, Deducetur Capuam, urbem amplissimam: quæ Rulli oratio fortassis fuit, non Ciceronis. Aliquando tamen Cicero ita loquitur, ut Athenis tuis, ad Atticum. Et flectit iter Capuam luxuriantem longa felicitate, apud Livium: & similia á Grammaticis animadversa. *Atqui*] Attentionis locus ad prolepseωs refutationem, in qua partitio adjunctæ utilitatis & dignitatis adhibetur primúm, & partitionis ratio ex fine partium. *Revertar*] Revertar pro accedam dixit, ut in Fato (nisi mendum est) loquutus est: Posidonium dimittamus, ait; ad Chrysippi laqueos revertamur: cúm tamen de Chrysippo nil adhuc esset dictum. *Ac primúm*] Accedit ad primum partitionis membrum, & coloniæ numerum statuit, qui mendosus est hoc loco. Efficit enim numerus hic vicies quinquagies centena millia. Si veró pro *singuli*, *singula* legatur, numerus erit longé minor, nempe septem millium & quingentorum. At postea eundem agrum Cæsar divisit viginti millibus civium Romanorum, quibus essent terni plurésve liberi. Quinque autem millium coloniam fuisse ex sequentibus suspicor, & numerum quingentorum ad fructus, aut ad alias quasdam res esse referendum. Nec enim in colonia hominum tantúm, sed cęterarum rerum numerus habebatur.

Quæso

[n] *Quæso nolite vosmetipsos consolari: veré & diligenter considerate. Num vobis, aut vestri similibus, integris, quietis, ociosis hominibus in hoc numero locum fore putatis? si est omnibus vobis, aut majori vestrûm parti (quanquam me vester* [d] *honos vigilare dies atque noctes, &* [c] *intentis oculis omneis Respubl. parteis* [c] *intueri jubet) tamen paulisper, si ita commodum vestrum feret,* [c] *connivebo. sed si quinque hominum millibus ad vim, facinus, cædemque delectus, locus atque urbs quæ bellum facere atque instruere possit, quæritur: taménne patiemini* [?] *vestro nomine contra vos firmari* [a] *opes, armari* [a] *præsidia, urbes, agros, copias comparari?* [c] *Nam agrũ quidem Campanũ, quem vobis* [c] *ostentant, ipsi concupiverunt: deducent suos, quorum nomine ipsi teneant & fruantur,* [u] *coemant: præterea ista dena jugera continuabunt.* *al.* coëment præterea: ista den. *fort.* coëment alios præterea:

Quæso nolite] Locus attentionis ad quæstionem sequentis disceptationis: Non vobis aut vestri similibus hæc parantur. Videbis autem post verbum *consolari*, num quidpiam desit, *ut inanissime*. *Si est*] Sententia est syllogismi,

Si hæc vobis parantur, patiar:
Non primum:
Non igitur secundum.

Quanquam] Hæc parenthesis dissimile continet, ad illustrationem propositionis; ubi allegoria videtur esse á speculatoribus, qui vigiles ex alta specula in omnes partes intueantur. *Connivebo*] Aldus legit *Commovebor*. Connivere autem proprié est obdormiscentium oculorum: per metaphoram autem dissimulare & pati: ut in Miloniana, Si non adjuvantibus, at conniventibus certé. Et pro Cælio, Multa nobis blandimenta natura dedit, quibus sopita virtus conniveret. Hinc conniventia procuratorum quæ dicitur in Justiniani legibus. *Sed si quinque*] Sententia assum-

tionis suspensa hypothesi, ne populus hic offenderetur. *Tamenne*] Complexionis sententia, offensionis item vitandæ caussa à Cicerone ad populum inflexa. Rectũ enim fuerat, Non patiar. *Nam agrum*] Continuatur assumtionis ratio, quòd hæc populo non parentur, sed ipsis Decemviris: ubi notabis lege hac Servilia dena jugera singulis colonis assignata fuisse.

Nam si dicent per legem id non ’ licere, ne per Corneliam quidem licet. at videmus (ut longinqua mittamus) agrum Prænestinum à paucis possideri: neque istorum pecuniis quicquam aliud deesse video, nisi ejusmodi fundos, quorum subsidio familiarum magnitudines, & Cumanorum ac Puteolanorum prædiorum sumtus [c] sustẽtare possint. Quòd si vestrum commodum [c] spectat, veniat, & coràm mecum de agri Campani divisione disputet. Quæsivi ex eo Calend. Januarii, quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum esset distributurus: " respondit à Romilia tribu se initium esse facturum. Primùm, quæ est ista [a] superbia & [a] contumelia, " ut populi pars [c] amputetur, ordo tribuum negligatur? antè rusticis detur ’ ager, qui habent, quàm urbanis, quibus ista agri spes & jucunditas ostenditur? Aut si hoc ab se dictum negat, & satisfacere omnibus vobis cogitat: proferat, " in jugera dena describat, ab Otriculana usq; ad Narniensem nomina vestra proponat: si non modò dena jugera dari vobis, sed ne [c] constipari quidem tantũ numerum hominum posse in agrum Campanum intelligetis, tamén ne [c] vexari [a] Rempublicam, contemni majestatem populi Romani, [c] deludi vosmetipsos diutius à [d] Tribuno plebis patiemini?

L. in singulos jugera dena describat: à Suburana usq; ad Arniensem nom. *al.* ab Ocriculana usq; ad Arniens.

NAM SI] Prolepsis, quæ pari exemplo refellitur. Cornelius Sylla, ut antea jam dictum est, Præneste & alia munici-

nicipia proscripserat, & veteranis suis diviserat, caveratque ne venderentur. *Neq; quicquam*] Redit ad assumtionis rationem, quód Decemviris hic ager paretur. Ratio sumitur ex fine, ad familiarum nempe & prædiorum sumtus sustentandum: ubi familiarum nomine, servorum multitudinem intelliges, ut Cicero pro Cecinna indicat, cúm interpretatur illa interdicti verba, Unde tu aut familia, &c. Sic pro Sylla, gladiatorum familias dixit. Prædiorum veró Cumanorum & Puteolanorum nomine magnifica & luxuriosa ædificia significat. Deliciæ enim Romanorum in Campania fuere apud Bajarum, Lucrini, Averni tepentes fontes: unde est illud Martialis de Levina casta, & ad Bajas adultera:

Casta nec antiquis cedens Levina Sabinis,
Et quamvis tetrico tristior ipsa viro;
Dum modo Lucrino, modò se permittit Averno,
Et dum Bajanis sæpè fovetur aquis:
Incidit in flammas, juvenemq; secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Ergo ad earum deliciarum sumtus, certorum hominum pecuniis, quæ brevi consumtæ essent, ager Campanus deerat. *Quod si*] Continuatur utilitatis quæstio ex adjunctis:

Si Rullus populo consulit, coràm disputet:
At hoc non audet:
Non igitur populo consulit.

Assumtio quodam Rulli dicto confirmatur. *Romilia*] Triginta quinque tribus Romæ fuerunt, ut antea jam dictum est: quarum una fuit Romilia, á Romulo instituta, ex Vejentibus & Sabinis. Eas Alexander ab Alexandro nominatim sic recenset lib. 1, cap. 17: Romilia seu Quirinalis, Tiriensis seu Titia, Suburana, Palatina, Exquilina, Collina, Claudia, Lemonia, Pontia, Clustumina, Scaptia, Stellatina, Sabatina, Tromētina, Arniensis seu Narniensis, Pollia, Papiria, Pupinia, Pupilla, Melia, Phalerina, Oufentina, Volscinia, Terentina, Faucia, Mētina, Galeria, Pomtina, Pubicia, Anthesis, Velina, Aniensis, Æmilia, Sergia, Cornelia, Veturia: quo capite numerus nō constat, & nominantur á Cicerone quædā, ut Otriculana pauló póst, de qua nil eo capite.

Sed possunt ejusdem tribus varia fuisse nomina. *Aut si*] Continuatur eadem quæstio ex efficientis remotione:

Si Rullus consulere vobis cogitat, describat agros tributim:
At secundum non potest:
Primum igitur non cogitat.

Otriculana tribus, ut apparet ex hoc loco, prima fuit, Narniensis postrema. Otriculanos veró Plinius in sexta Italiæ regione statuit: Narniensis autem, seu Arniensis, ea tribus fuit, in qua Claudius Nero Censor Livium collegam jussit equum vendere. *Si non modò*] Assumtio collatione minorum amplificata. ubi notabis verbum *Conspirari* sic accipi, ut *Coarcervari* antea sumtum est: Habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, & cæteros horum similes non modó emere, verúm etiam coacervare possis. *Tamen ne*] Complexionis loco *(Quare Rullus vobis non consulit)* hæc indignatio additur ad dignitatem promiscué & utilitatem spectans.

Quódsi posset ager iste ad vos [c] *pervenire, nónne eum tamen in* [c] *patrimonio vestro remanere malletis? unúmve fundum pulcherrimum populi Romani,* [c] *caput vestræ pecuniæ, pacis* [c] *ornamentum,* [c] *subsidium belli,* [c] *fundamentum vectigalium,* [c] *horreũ legionũ, solatium annonæ, disperire patiemini?* [1] *An obliti estis, Italico bello amissis cæteris vectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis? An ignoratis cætera illa* [b] *magnifica populi Romani vectigalia,* [c] *per levi sæpé momẽto fortunæ,* [c] *inclinatione temporis* [c] *pendere?* [1] *Quid nos Asiæ portus, quid Syriæ rura, quid omnia transmarina vectigalia juvabunt,* [c] *tenuissima suspicione prædonũ aut hostium* [c] *injecta? At veró hoc agri Campani vectigal cúm ejusmodi est, ut domi sit, & omnibus* [a] *præsidiis oppidorum* [c] *tegatur:* [u] *tum neq; belli infestum,* [1] *nec fructibus varium, nec* [a] *cælo ac* [c] *loco cala-*

calamitosum esse solet." Majores nostri non solùm id quod à Campanis ceperant, non imminuerunt, verùm etiam[a] quod & tenebant, quibus adimi jure non poterat, coëmerunt. Qua de caussa[1] nec duo Gracchi, qui de plebis Romanæ commodis plurimum cogitaverunt; nec L. Sylla, qui omnia sine ulla religione quibus voluit, est dilargitus; agrũ Campanum[c] attingere ausus est. Rullus extitit, qui ex ea possessione[a] Rempublicam[c] dimoveret, ex qua[1] nec Gracchorum[a] benignitas[1] eam, nec Syllæ[a] dominatio[c] dejecisset.

L. quod ei teneb.

Qvod si] Transitio quædam est à quæstione utilitatis ad dignitatis quæstionem, quæ tamen utraque conjunctè tractatur. Syllogismus est:

Ager optimus non est alienandus:
Talis est Campanus:
Non igitur alienandus.

Propositio variis adjunctis exornatur, quæ ferè laudes & commoditates fortunarum & opum cõtinent. Sic Aristoteles facit instrumenta virtutis. Socrates in Gorgia coquorum, cauponum, fartorum instrumenta nominat. Legio autem (ait Varro) à legendo, decem cohortes continebat, cohors quinquaginta manipulos, manipulus vigintiquinque milites. Ex Vegetii sententia, legio sex millia, aliquando plus paulò vel minus continebat. *An obliti*] Vis assumtionis sequitur ex eventis rerum confirmata, & dissimilium varia collatione. De bello Italico vide Florum lib. 3, cap. 18. *An ignoratis*] Protasis primæ dissimilitudinis per species inducta. *Momento*] Sic 5 Philippica, Minimis momentis, Patres Conscripti, maximæ inclinationes temporum fiunt. *Asia*] Pro lege Manilia de Asiæ vectigalibus sic ait: Cæterarum provinciarum vectigalia tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus: Asia verò tã opima est & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facilé omnibus terris antecellat. *Syria*] Syria plerunq; & Assyria pro

eodem dicuntur, quæ provincia fuit populi Romani, usque ad Euphratem & Tigrim, cui Gabinius pauló póst præfuit, & Ciceronis oratione de provinciis Consularibus illinc revocatus. *Suspicione*] Sic pro lege Manilia, Cæteris in rebus cúm venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus non solúm adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem: pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. *At vero*] Antapodosis collatione majorum exornata, ubi quod domi esse Campanum vectigal dicitur, antea fuit in superiore oratione, Sub signo claustrisque Reipublicæ positum. *Calamitosum*] Calamitas proprié in agris dicitur grando, qua segetum calami affliguntur: hinc ager proprié calamitosus, calamitati subjectus. Sic Plinius ait lib.18, cap.7, ex omni frumento hordeum minimé calamitosum esse. *Majores*] Secunda dissimilitudo, cujus πρότασις duobus adjunctis exemplis illustratur, de quibus tamen superiore oratione fuerat illud: Qui ager ipse per sese & Syllanæ dominationi, & Gracchorum largitioni restitisset. *Rullus*] Antapodosis dissimilitudinis aucta repetitione proximorum exemplorum.

Quem agrum nunc prætereuntes[s] *vestrum esse dicitis, & quem pariter qui iter faciunt externi homines, vestrum esse audiunt, is cúm erit divisus,*[a] *neque*[v] *erit, neque vester esse dicetur.*[18] *At qui homines possidebunt? Primó quidē acres,*[a] *ad vim promti, ad seditionem parati: qui simul ac*[d] *Decemviri*[c] *concrepuerint, armati in cives, &*[c] *expediti ad cædem esse possint: deinde ad paucos opibus & copiis affluenteis totum agrum Campanum perferri videbitis. vobis interea qui illas á majoribus pulcherrimas vectigalium sedes*[a] *" armis captas accepistis,*[d] *gleba nulla de paternis atque avitis possessionibus relinquetur: ac tantum intererit inter vestram & privatorum*[a] *diligentiam, quód cúm á majoribus vestris Publ. Lentulus," Princeps Senatus, in ea loca mis-*

L. armis partas ac.

L. is qui princ.

ea missus esset, ut & privatos agros, qui in publicum Campanum[c] incurrebant, pecunia publica coëmeret, dicitur renũciasse, nulla se pecunia fundum cujusdam emere potuisse, eumq́; qui nollet[d] vendere, ideo negasse se adduci posse uti venderet: quód cum plures fundos haberet, ex illo solo fundo nunquam malum nuncium audisset. Itáne veró?[e] privatum hec caussa[f] commovit: Populum Rom. ne agrum Campanũ privatis, gratis Rullo rogante tradat, nõ cõmovebit? Atqui idem populus R. de hoc vectigali potest dicere, quod ille de suo fundo[g] dixisse dicitur.

QUEM] Tertia dissimilitudo breviús conclusa. *Atqui homines*] Repetitur superius illud, ꝙ non populo, sed certis paretur hic ager. Forma rursus dissimilitudinis est. *Concrepuerint*] Hyperbolica extenuatio est pro significatione minima. Digitorũ autem crepitu significationes á Romanis fieri solebãt. Cic. 3. Offic. Si vir bonus hanc habeat vim, ut si digitis concrepuerit, possit in locupletũ testamẽta nomẽ ejus irrepere, hac vi nõ utetur. Et Martialis de Matella,

Dum poscor crepitu digitorũ, & verna moratur,
O quoties pellex culcitra facta mea est.

Vobis interea] Antapodosis quartæ dissimilitudinis. *Ac tantum intererit*] Quinta dissimilitudo: Privatus quidẽ nulla pecunia adduci potuit, ut fundũ suum venderet; populus R. privatis agrum publicum gratis tradit. *Princeps Senatus*] Qui á Censore lectus primus sententiam in senatu rogabatur. Gellius lib. 4, cap. 10. *Eumq́;*] Ratio προτάσεως ex adjunctis, ꝙ fundus semper fructuosus esset: ubi notabis *Nunciũ* substantivũ esse masculini generis, sicut aliás apud Cic. pro re nunciata: ut pauló póst, Nunquam malus nuncius auditus est. Nocte intempesta gravis affertur hujusce mali nuncius, 7. act. Duo nuncii afferuntur, unus, &c. ad Atticũ. *Itáne*] Antapodosis dissimilitudinis, quæ tamẽ majorum formam potiús habet. *Atqui idem*] Apodosis est ad exemplum rustici Campani per speciem similitudinis.

[h] *Asia multos annos vobis fructum Mithridatico bello non tulit, Hispaniarum vectigal tempo-*

ribus Sertorianis nullum fuit, Siciliæ civitatibus bello fugitivorum" M. Aquilius etiam mutuum frumentum dedit: at ex hoc vectigali nunquã malus nuncius auditus est. " Cætera vectigalia belli "facultatibus[c] affliguntur, hoc vectigali etiam belli facultates[c] sustentantur. Deinde in hac assignatione agrorum ne illud quidem dici potest, quod in cæteris, agros desertos á plebe, atque á cultura hominum" liberorum esse non oportere. Sic enim dico, si Campanus ager dividatur,[c] exturbari &[c] expelli plebem ex agris, non constitui & collocari. Totus enim ager Campanus colitur & possidetur á plebe, & á plebe optima & modestissima: quod genus hominum' optimé moratum, optimorum[x] & aratorum & militum, ab hoc[b] plebicola Tribuno funditus[c] ejicitur: atq; illi miseri nati in illis agris & educati, glebis subigendis exercitati, quó se subitó conferant, non habebunt: his[c] robustis & valentibus & audacibus[d] Decemvirûm satellitibus agri Cãpani possessio tota tradetur. Et ut vos nunc de vestris majoribus prædicatis," &[x] & " *hunc agrum nobis majores nostri reliquerunt: sic vestri posteri de vobis prædicabunt," hunc agrum' patres nostri acceptum á patribus suis perdiderunt.*

al. M. Attilius

fort. difficultatibus

al. liberos

ASIA] Sexta dissimilitudo repetita feré de superioribus. Asia veró Mithridatico bello quadraginta per annos variis motibus agitata fuit. Sertorius Hispaniam octo annos tenuit, octavo sui ducatus anno, ut Florus libro 96 ait, á suis interfectus est. De Sertorio vide Plutarchum in ejus vita: vir fuit bellicis artibus magnus, Marianarum partiũ, proscriptus á Sylla. *Siciliæ* Sicilia bellis servorum duobus vexata vehementer est. Primo Eunus Syrus cõcitavit quadraginta millia servorum, vicitque Manilium, Lentulum, Pisonem, Hipsæum Prætores: victus est tandem á Perpenna: se-

na: secundo Athenio pastor non minores copias conflavit, vicitque Servilium Lucullum: victus est tandem ab M. Aquilio. Vide Florum lib. 3, cap. 19, & considera nunquid pro *Attilius*, legendum sit *Aquilius*, aut Perpennæ cognomentum hoc etiam fuerit. *At ex*] Antapodosis dissimilitudinis, ubi & πρότασις summa repetitur. *Deinde*] Septima dissimilitudo: Cæteri agri cùm assignantur, deserti sunt: at Campanus colitur, & plebs expelletur, si dividatur. Antapodosis dissimilibus & adjunctis illustratur. *Plebicola*] Plebicola, politicum nomen est, id est popularis, quo tam sæpè Cicero usus est in hac contentione. Plebicolæ nomen sic usurpat pro Sestio: Qui non libidinis caussa, sed ut plebicola videretur, libertinā duxit uxorem. Sic item Livius lib. 3, Adeò, inquit, novum sibi ingenium induerat, ut plebicola repentè, atque omnis auræ captator evaderet, pro truci insectatore plebis. Hic plebicolam captatorem auræ Livius definit. Eadem ratione L. Valerius cùm venisset in quandam suspicionem affectati regni, domumq; suam diruisset, & fasces in cōcione populo summisisset, legemq; de provocatione ab omnibus magistratibus ad populum tulisset, Poplicola dictus est. Vide Plinium de Viris illustribus, cap. 15. *Atq; illi*] Octava dissimilitudo ad commiserationem leviter inflexa: Miseri expellentur, improbi constituentur. *Et ut Vos*] Similitudo ad eandem quæstionem, ubi ficta prosopopœia est. *Sic Vestri*] Apodosis similitudinis.

Equidem existimo, si jam campus Martius dividatur, & unicuique vestrûm, ubi consistat, bini [a]pedes assignētur: tamen promiscuè toto, quàm propriè parva frui parte malletis. Quare etiamsi ad vos esset singulos aliquid ex hoc agro [c]pervēturum, qui vobis ostenditur, aliis comparatur: tamen honestiùs eum vos universi, quàm singuli possideretis. Nunc verò cùm ad vos nihil pertineat, sed paretur aliis, eripiatur vobis, nónne acerrimè, tanquam armato hosti, sic huic legi pro vestris agris resistetis?

Adjungit Stellatem campum agro Campano, & in eo duodena describit in singulos homines jugera. [b] *Quasi veró paulúm differat ager* [7] *Campanus ac Stellatis:& multitudo, Quirites, quæritur, quæ illa omnia oppida* [c] *compleantur. Nam dixi antea, lege permitti, ut* [9] *quæ velint municipia, quas velint veteres* [10] *colonias, colonis suis occupent. Calenum municipium* [c] *complebunt, Theanum* [c] *opprimunt: Attellam, Cumas, Neapolin, Pompejos, Nuceriam suis* [a] *præsidiis* [c] *devincient: Puteolos veró, qui nunc in sua potestate sunt, suo jure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventitiis copiis occupabunt.* [a] *Tunc illud* [a] [7] *exilium Campanæ coloniæ vehementer huic imperio timendum Capuam á* [d] *Decemviris inferetur: tunc contra hanc* [9] *Romam communem patriam omnium nostrûm, illa altera Roma quæretur.*

L. Cãpanus á Stellati. Scilicet multitudo, Qu.

L. vexillum

EQUIDEM EXISTIMO] Continuatur alia similitudine eadem quæstio. *Quare*] Apodosis similitudinis, ex qua syllogismus sic instituitur:

Si ad vos singulos ager esset perventurus, præstaret tamen ab universis possideri:
At eripitur hac divisionis specie:
Quanto fuerit honestius publice possideri?

Nunc] Assumtio, in qua quod majus & pejus est assumitur, unde concluditur resistendum huic divisioni: simile interpositum est. *Adjungit*] Secunda distributio agraria leviter & breviter ex dissimilitudine reprehensa. Livius autem libro 9, Stellatem campũ videtur agri Campani partem facere, cúm ait, Eodem anno in campum Stellatem agri Campani Samnitium incursiones factæ. Cicero tamẽ in superiore oratione divisit, & Suetonius in Cæsare, ut antea jam citavimus. *Et multitudo*] Deinceps finis legis Agrariæ vehementer agitatur, quód hæc colonia dominationis caussa deducitur. Res explicatur inductione partium,

tium, quæ facultatem novi imperii sustinere videantur. Omnia autem oppida, quæ hic recensentur, Capuæ vicina & propinqua sunt. *Exilium*] Metonymia est, pro exulum multitudine, ut scelus pro scelerato, quasi Romani cives cô deducantur in exilium.

In id[a] oppidum homines nefarii[a] Rempublicam nostram transferre conantur, quo in oppido majores vestri nullam omnino Rempublicam esse voluerũt: qui tres solùm urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam, statuerunt posse [d] imperii [c] gravitatem ac [a] nomen [c] sustinere. [c] Deleta Carthago est, quòd cùm hominum copiis, tum ipsa natura ac loco [c] succincta portibus, [c] armata muris, [c] excurrere ex Africa, [c] imminere ita fructuosissimis insulis populi Romani videbatur. Corinthi [c] vestigium vix relictum est: erat enim posita in angustiis atq; in [c] faucibus Græciæ, sic ut terra claustra locorũ teneret, & duo maria maximè navigationi diversa penè conjungeret, cùm [c] pertenui discrimine separarentur. Hæc quæ procul erant à conspectu [d] imperii, non solùm [c] afflixerũt, sed etiam nequando recreata exurgere atq; erigere se possent, funditùs, ut dixi, sustulerunt. L. imminere Italiæ, & fructuos.

In id oppidum] Sequitur indignatio vehemens ex dissimilitudine majorum & Rulli. Protasis longior est de caussis afflictarum urbium. *Carthago*] Caussæ Carthaginis evertendæ tres in superiore oratione descriptæ sunt: nota calamitatis, testificatio victoriæ, oblata religio: prima etiam in hac oratione repetita: Carthaginem P. Africanus de consilii sententia consecravit, ut locus eorum qui cum hac urbe de imperio certarunt, vestigia calamitatis ostenderet. Nunc tandem quarta & verissima caussa ponitur, quam Cato contra Scipionem Nasicam in deliberatione hujus eversionis secutus est. Vide hac de re Livium lib. 49 & 51. *Portibus*] Grammatici portubus inflectunt

hunc casum,& talis in Verrem casus legitur,Insula duobus portubus cincta: per u,quintam vocalem. sæpe etiam aliis apud Ciceronem locis per i, tertiã vocalem,legitur: ut pro lege Manilia, Familias in portibus & custodiis habent. Et pro Flacco,Regio portibus distincta. *Corinthi*] Corinthus Achajæ caput,Græciæ decus inter duo maria,Jonium & Ægæum,quasi spectaculo exposita,ait Florus.Quód autem Cicero ait in angustiis atque in faucibus Græciæ positam esse, Isthmum Corinthiacum significat, & ex circumstantiis oppidum ipsum definit. De hujus urbis eversione dictum est in superiori oratione, & in hac iterum. Primo autem Officiorum ita hac de re scribitur, Parta autem victoria conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt: ut majores nostri Tusculanos,Æquos, Volscos,Sabinos,Hernicos, in civitatem etiam acceperũt; at Carthaginem & Numãtiam funditus sustulerunt. Nollem Corinthum: sed credo illos secutos opportunitatẽ loci, maximé ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. Mea quidem sententia paci, quæ nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. Belli veró Corinthiaci caussam præbuere Romanorum legati, á Corinthiis superbiús appellati, ut Cicero indicat in lege Manilia: vel sordibus effusis commaculati, ut Strabo author est. Vide Livium libro 51 & 52. *Claustra*] Superiore oratione diximus, quid hoc verbo significaretur. *Hac quæ procul*] Concluduntur caussæ evertendæ Carthaginis & Corinthi, ubi collatio majorum est, & allegoria in verbis affligere, exurgere, se erigere. Proprié siquidem affligere, est in terram prosternere: ut in Pisonem, Istius statuam deturbant,affligunt, comminuunt, dissipãt. unde metaphoræ illæ tam frequenter in Cicerone, Afflictos recreare, confirmare, excitare, afflicto & jacenti dextram porrigere.

De Capua multúm est & diu consultatum. extant literæ, Quirites, publicæ, sunt Senatusconsulta complura. [a] *Statuerunt* [d] *homines sapientes, si agrũ Campanis ademissent: magistratus,* [2] *Senatum, publicum ex illa urbe consilium sustulissent,* [c] *imaginem*

nem [a] Reipublicæ nullã reliquissent: nihil fore quód Capuam timeremus. Itaq; hoc perscriptum in monumentis veteribus reperietis: [b] ut esset urbs quæ res eas, quibus ager Campanus coleretur, [c] suppeditare posset: ut esset locus [d] comparandis condendisq; fructibus: ut aratores cultu agrorum defessi, [d] urbis domiciliis uterentur: idcirco illa ædificia non esse [c] deleta. [c] Videte quantum [c] intervallum sit [c] interjectum inter majorum nostrorum consilia, & inter istorum hominum dementiam. Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas rusticorum, cellam atque horreum Campani agri esse voluerunt: hi expulsis aratoribus, [c] effusis ac [c] dissipatis fructibus vestris, eandem Capuam sedem novæ Reipublicæ cõstituunt, [c] molem contra veterem [a] Rempublicam [c] comparant. L. comportandis

De Capua] Finis fuit affligendæ Campanæ Reipub. securitas Romanorum: finis urbis conservandæ corũdem utilitas. utraque ex tabularum publicarum testimonio declaratur. His de rebus vide Livium lib. 6, Decad. 3, ubi eadem dicit, quæ hic Cicero: locum etiam hunc oratione superiore Cicero attigit. *Videte*] Antapodosis est, cujus initio summa superioris προτάσεως repetitur. *Intervallum*] Sic pro Rabirio perduellionis reo loquitur: Cúm veró iis omnibus rebus C. Gracchus omnes viceris, quantum intervallum tandem inter te atque illum interjectum putas? Hoc autem compositionis genus á Quintiliano & authore ad Herennium reprehenditur, cúm eadem litera aut syllaba sæpius iteratur; ut,

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

Est tamen interdum persuave, & (si nõ importuné fiat) laudabile, quia in Virgilio exẽpla multa Erythræus, ejus poëtæ observantissimus, collegit: ut,

Et sola in sicca secum spaciatur arena:
—Sale saxa sonabant.

Molem]Molem tanquam machinam vel aggerem hîc Cicero videtur dixisse: ut 4 ad Atticũ, Aditus insulæ esse munitos mirificis molibus, cúm de Britannia loqueretur.

Quódsi majores nostri existimassent, quẽquam in tam [c] *illustri* [d] *imperio, & tam præclara populi Romani disciplina, Bruti aut P. Rulli similem futurum (hos enim nos duos adhuc vidimus, qui hanc* [a] *Rempublicam, Capuam totam trãsferre vellent) profectó nomen illius urbis non reliquissent.* " *Verúm arbitrabantur Corintho & Carthagini, etiãsi Senatum & magistratum sustulissent, agrumq; civibus ademissent, tamen nõ defore qui illa restituerent,*" *atq; qui anté omnia commutarent, quám nos audire possemus: hîc veró in* [a] *oculis S.P.Q.R. nihil posse existere, quod non anté* [c] *extingui atq;* [c] *opprimi posset, quám plané* [c] *exortũ ac* [c] *natum esset. Neque veró ea res fefellit homines* [c] *divina mente & cõsilio præditos. nam*" *post Q. Fulvium, Q. Fabium* [?] *Consules, quibus Consulibus Capua devicta atque capta est, nihil est in ea urbe cõtra hanc Rempublicam non dico factum, sed nihil omnino excogitatũ.* [a] *Multa postea bella gesta cum regibus, Philippo, Antiocho, Persa, Pseudophilippo, Aristonico, Mithridate & cæteris:* [?] *multa præterea bella* [c] *gravia,*" *Carthaginensium, Corinthium, Numantinũ: multa in hac Republica seditiones domesticæ, quas prætermitto: bella cum sociis, Fregellanum, Marsicum: quibus omnibus domesticis externisq; bellis* [a] *Capua non modó nõ obfuit, sed* [c] *opportunissimam se nobis præbuit, & ad bellum* [c] *instruendum, & ad exercitus* [c] *ornandos, &* [d] *tectis ac* [d] *sedibus suis recipiendos.*

L. atq; anté omn.

L. post Cn. Fulvium, Cn. Sulp.

L. Karthaginiense III. Corinth.

QUOD SI] Commoratur in illo dissimili majorum facto,

facto, & adjunctis amplificat:

Si putassent Rullum aliquem futurum, Capuam sustulissent:

At non putabant.

Verùm arbitrabantur] Assumtio est, in qua dissimilitudinis specie repetuntur exẽpla Carthaginis & Corinthi. *Hic vero*] Antapodosis proximæ dissimilitudinis. *Neq; vero*] Versatur adhuc in eodem majorum facto, & eventis illustrat, quód Capua sic afflicta, postea nil nocuerit. *Quibus Consulibus*] Livius ab hac Chronologia paululúm dissidet. Facit enim Q. Fulvium Flaccum, & Appium Claudiũ Pulchrum Coss. anno Urbis 542, eoque captam Capuam scribit. At Q. Fabium Maximum Verrucosum, & Q. Fulvium Flaccum facit Coss. anno 545. *Multa postea*] Declaratio eventorum ex variorum bellorum exemplis, de quibus jam antea dictum, uno excepto. Aristonicus autem patris Eumenis regnum occupavit, Crassumque Consulem vicit & cepit: sed victus postea est á Perpenna, & in deditionem acceptus. Vide Livium lib. 59, & Florum lib. 2, cap. 20.

Homines non inerant in urbe, " *qui malis cõcionibus,*[c] *turbulentis Senatusconsultis, iniquis imperiis*[a] *Rempublicam*[c] *miscerent, & rerũ novarum caussam aliquã quærerent. Neq; enim concionandi potestas erat cuiquam, nec consilii capiundi publici: non gloriæ cupiditate efferebantur: propterea q; ubi honos publicé non est, ibi gloriæ cupiditas esse nõ potest:*[a] *non cõtentione, non ambitione discordes:*[a] " *nihil n. supererat de quo certarent, nihil quod contrá peterẽt, nihil ubi dissiderent.* " *Itaq; illã Campanam*[a] *arrogantiã, atq; intolerãdam*[a] *ferociã, ratione & cõsilio majores nostri ad*[a] *inertissimũ &*[a] *desidiosissimũ*[a] *ocium*[c] *perduxerunt: sic & crudelitatis infamiam*[c] *effugerunt, q; urbem ex Italia pulcherrimã non sustulerunt: & multum in posterum providerunt, quód*[c] *nervis urbis omnibus*[c] *exectis, urbem*

*ipsam [c]solutam ac [c]debilitatam reliquerunt. Hæc consilia majorum, M. Bruto, ut antea dixi, reprehendenda, & Publ. Rullo visa sunt.[u] Neq; te Publ. Rulle, omnia illa M. Bruti, atq; auspicia à simili furore deterrent. nã[x] & ipse qui [c]deduxit, & [u]qui magistratum Capuæ & * Leocreanti ceperunt, & qui aliquam partẽ illius deductionis, honoris, muneris [c] attigerunt, omnes [c] acerbissimas impiorum pœnas pertulerunt.*

*fort. Tarẽti cep.

Homines] Illustratur idem majorũ factum ex caussis & subjectis, quibus sublatis & effecta & adjuncta remota sint: Caussa turbarum remota est, itaque etiam turbæ. Subjectum contentionis & ambitionis sublatum est: ergo & contentio ambitioq; remotæ. *Itaq; illam*] Continuatur eadem quæstio ex aliis eventis, quód sublatis illis caussis arrogantia sublata sit. Afflictionis Campanæ consilium concluditur. *Exectis*] Allegoria est ab animalis corpore, cujus sensus & motus & vis omnis nervis continetur. Simile fuit illud antea, cúm sese regum sanguine impleriint, incidant nervos populi Romani, &c. *Hæc consilia*] Antapodosis primæ dissimilitudinis de majorum & Rulli facto, ubi similis exempli collatione Rullum deterret ab hac promulgatione. Sic in Antonium Philippica 2. Te autem miror Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere. Quis autem Bruti exitus fuerit, locus hic exponit. *Omina*] Neque solúm deorum voces Pythagorei observaverunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina: quæ majores nostri quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit, semper præfabantur. Hæc Cicero 1 de Divinat. Est igitur omen, futuræ rei pronunciatio ex hominis ore, atque ad ejusmodi omina spectat illud Ovidii,

Prospera lux oritur, linguisq; animisq; favete:
Nam dicenda bono sunt bona verba die.

Et quoniam Bruti atq; illius temporis feci mentionem, commemorabo id quod egomet vidi, cúm venis-

venissem Capuam,[a] coloniam deductam L. Considio & Sex. Solatio (quemadmodum ipsi loquebantur) Praetoribus: ut intelligatis quantam locus ipse afferat superbiam,[?] quae paucis diebus, quibus illò colonia deducta fuit, perspici atque intelligi potuit. Nam primùm, idquod dixi, cùm caeteris in coloniis Duumviri appellentur, hi se Praetores appellari volebant. Quibus primus[?] annus hanc[a] cupiditatem attulisset, nonne arbitramini paucis annis fuisse Consulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores non cum bacillis, sed ut hìc Praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus. Erant hostiae majores in[d] foro constitutae, quae ab his Praetoribus de tribunali, sicut à nobis Consulibus de consilii sententia[m] probatis, ad praeconem & ad tibicinem immolabantur: deinde Patres Conscripti vocabantur. Jam verò vultum Considii[?] videre ferendum vix erat. quem hominem[m] ut grandi macie torridum, Romae contemtum, abjectum[?] videbamus, hunc Capuae Campano[a] praesidio ac regio[a] spiritu cum[?] videremus,[d] Magios,[d] Blossios mihi videbar illos videre ac Jubellios. Jam verò qui metus erat[a] tunicatorum illorum? & in Albana & Seplasia quae concursatio[u] percontantium quid[d] Praetor edixisset? ubi coenaret? quid enunciasset? Nos autem hinc Romae qui veneramus, jam non hospites, sed peregrini atque advenae nominabamur.

L. tribunalis,
L. probatae,
L. vaegrandi mac.

Et quoniam] Disputatur ex adjuncta loci copia, Campanos superbos effici: idque primùm probatur eventis: quòd illuc deducti Romani, protinùs superba & nomina & insignia sumserint. *Quibus primus*] Collatio parium est, Primo anno Praetores appellati sunt, paucis pòst annis igitur Consules essent appellati. *Deinde*] Dictum

jam est antea de potestate Prætoris, & ejus insignibus. Dissimile autem hic interpositũ significat in colonus Duumviros bacillis usos, non fascibus. *Hostia majores*] Lectæ hostiæ dicuntur majores & uberiús depastæ, quæ claudæ, morbosæ, aut vitiosæ non sunt, quæ flexam aurem, vel caudam aculeatam, aut linguam nigram non habent. Hæ cornibus auratis, infulaque lanea & candida vitta circundatæ ante aras, nullo vinculo sistebantur. Vide Alexandrum ab Alexandro lib.3, cap.12: & lib.4, cap.17. *Patres conscripti*] De hac appellatione ita Livius lib. 2. Deinde quó plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regiis diminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis ad trecentorum summam explevit, traditumque inde fertur, ut in Senatum vocarentur, qui Patres, quique Conscripti essent: Conscriptos videlicet in novum Senatum appellabant lectos. *Jam vero*] Continuatur arrogantia proposita ex adjunctis personæ & collatione similium. *Præsidio*] Aldus sic legit, aliàs tamen *supercilio* legitur: quæ lectio convenientior est ad hanc arrogantiam. Sic Martialis,

Contigeris nostros Cæsar si fortè libellos,
Terrarum dominum pone supercilium.

Et *spiritus* verbum idem confirmat, quo Cicero pro Sylla similiter usus est: Res meæ gestæ me nimis extulerunt, & mihi nescio quos spiritus attulerunt. *Magios*] Decius Magius solus é Campanis Hannibalis societatem non probavit, & propterea captus, & navi impositus, ut Carthaginem duceretur. Vide Livium 3 Decad. lib. 3. Ibidem etiam de Mario Blossio, qui Prætor Capuæ fuit, cúm fœdus illud ictũ est. At de Jubelio Taurea 6 lib. Decadis ejusdẽ agitur, quomodo se ante pedes Flacci Cõsulis interfecit: historiam variam illic videbis. *Jam vero*] Argumentum est ex adjunctis, quód coloni de suo Prætore tam soliciti essent, ut illis etiam Romani peregrini viderentur. Tunicatos autem vocat inopes, egentes: quomodo loquitur Horatius,

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Albana & Seplasia] Nomina fororum Capuæ, quorum meminit Valerius Maximus lib.9, cap.1. Tum demum fa-

cta & contusa Punica veritas est, cúm Seplasia ei & Albana, castra esse cœperunt.

Hæc qui prospexerint (majores nostros dico, Quirites) non eos in deorum immortalium numero venerandos á nobis & colendos putatis? Quid enim [c] viderunt? hoc, quod nunc vos, [11] quæso, perspicite atq; cognoscite. Non ingenerantur hominibus mores tam á [c] stirpe generis ac seminis, quám ex iis rebus, quæ ab ipsa natura loci, & á vitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur & vivimus. Carthaginenses, fraudulenti & mendaces, non genere, sed natura loci, quód propter portus suos multis & variis mercatorũ & advenarum sermonibus ad [e] studium fallendi studio quæstus vocabantur. Ligures, montani, duri atque agrestes. docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multa cultura & magno labore quæsitum. Campani, semper superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia atq; omniũ rerum [c] affluentia primúm illa nata sunt: [a] arrogantia, qua á majoribus nostris alterũ Capua Consulem postulavit: deinde ea [a] luxuries, quæ ipsum Annibalem, [a] armis etiam tum [10] invictum, voluptate vicit. Huc isti Decemviri [11] cúm numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum Decuriones, decem Augures, sex Pontifices constituerint, [a] quos illorum [a] animos, quos [c] impetus, quam [a] ferociam fore putatis? L. cúm 133 colon.

Hæc qui] Repetitur adhuc protasis de dissimili facto majorum & Rulli, & arrogantiæ Campanæ caussa efficiens generaliter explicatur, inprimis ex natura loci & cõsuetudine victus. Physic[e] est locus, quẽ Galenus ex authoritate Hippocratis, Platonis, Aristotelis disputavit in libello,

quód animi mores temperaturam corporis sequantur. *Carthaginenses*] Explicatio generalis propositionis per tres species, in quibus ex sua caussa cócluditur effectus morum. *Ex hac*] Deducitur ex eadem caussa duplex effectus, arrogantia & luxuria, & utriq; ex eventis exemplum subjicitur. De Consule autem á Campanis postulato, Livius lib.3, Decad.3, meminit, magna quidem indignatione á Senatu repulsam esse, quia nimis compar Latinorũ quondam postulationi erat: at quia Cælius & alii historici omiserunt, pro certo non habet, & ea de re addubitat. De Campanis deliciis, quibus Hannibal victus est, ibidem Livium videbis. *Huc isti*] Colliguntur Campanæ Reipub. partes reliquæ. Antea Duumviri tanquam Prætores fuere: nunc Decuriones quasi Senatores. Sic enim Senatores in coloniis & municipiis dicebantur, tum religionis caussa augures in auspiciis & effatis interpretandis, & Pontifices in sacris peragendis.

Romam in montibus positã & convallibus, cœnaculis sublatam atque [c] *suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, præ sua Capua planissimo in loco* [c] *explicata,*" *ac præ illis semitis irridebunt atq; contemnent. Agros veró, Vaticanum & Pupiniam, cum suis*" *optimis atq; uberibus campis cõferendos scilicet non putabunt. Oppidorum autem finitimorũ illam copiam cum hac per risum ac per jocum contemnent. Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum hercle Lanuvium, Ariciam, Tusculum, cũ Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompejis, Nuceria comparabunt. Quibus illi rebus* [c] *elati &* [c] *inflati, fortasse non cõtinuó, sed certé si paulúm assumserint vetustatis ac* [c] *roboris, non* [c] *continebuntur,* [c] *progredientur longiús,* [c] *efferentur. Singularis homo privatus, nisi magna sapientia præditus, vix facilé sese* [c] *regionibus officii magnis in fortunis & copiis* [c] *continet: nedum isti ab* ' *Rullo & Ruli*

fort. ac semitas præmiis illis suis irrid.
L. opimis

Rulli similibus conquisiti atque electi coloni, Capua, in domicilio[a] superbiæ, atque in sedibus[a] luxuriæ collocati, non statim conquisituri sint aliquid sceleris & flagitii: imó veró etiam hoc magis quám illi veteres[c] germanique Campani, quód in vetere[a] fortuna illos natos & educatos, nimia tamen rerum omnium copia depravabant: hi ex summa egestate in eandem rerum abundantiam traducti, non solúm copia, verúm etiam insolentia commovebuntur.

ROMAM] Persequitur arrogantiam Campanam, quód hi coloni Romam, & Romanorum agros oppidaq; despecturi sint; ad eamq; rem Capua Romæ, agri Campanorum & oppida agris oppidisq; Romanorum, ut majora comparantur. *In montibus*] Capitolino, Quirinali, Aventino, Cælio, Viminali, Exquilino, Janiculari. *Non optimis viis*] Roma á Gallis recuperata formam urbis magis occupatæ, quám divisæ similem habuit. Vide Livium in fine lib. 5. *Vaticanum*] Vaticanus mons & ager, seu campus Romæ fuit: de cujus etymologia Gellius permulta lib. 16, cap. 17: vel á vaticinus, vel á vagiendo. De hoc Cicero 13 ad Atticum, Illum Vaticanũ campum fieri, quasi Martium campum. *Quibus illis*] Concluditur ex superioribus caussis futura superbia, & duplici majorum collatione rursus amplificatur. *Inflati*] Sic 3 Tuscul. Sic igitur inflatus & tumens animus in vitio: sapientis autem animus semper vácat vitio: nunquam turgescit, nunquam tumet. *Singularis*] Singularis hic proprium verbum est. Quomodo interdum Cicero loquitur, cúm singulare opponit communi, ut 5 actione, Sunt quædam in te singularia, quæ in nullum alium neque dici, neque convenire possunt: quædam tibi cum multis communia. & in libro de Universitate apertius. Singularem deus hunc mundum atq; unigenam procreavit. *Nedum*] Nedum, Valla docet collationis particulam significare Nõ solúm: at secus est plerunque. Potiús enim per Non solúm non, vel Tantum abest ut, explicanda est hæc particula: ut, Vir sapiens vix facilé in magnis

fortunis sese continet: nedum Rulli coloni non statim sceleris aliquid sint conquisituri: per Non solùm si explicabis, contrarium quám Cicero velit, sensum facies. Si per Non solùm non, aut Tantum abest ut, explices; sententiam Ciceronis exprimes. Sic in Epistolis Cicero, Vix in ipsis tectis frigus vitatur, nedum in mari. Item, Nihil istorum me juvenem movit unquam, nedum senem. Sic Sallustius in Catilinario bello, Quippe secundæ res sapientum animos fatigant, nedum illi corruptis moribus victoriæ temperarẽt. Sic Horatius,

—Mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos & gratia vivax:

Id est, tantum abest ut stet, &c. Cōsiderabit diligens lector, num quæ exempla sint, quæ per Non solùm possint explicari. Nulla enim adhuc in Cicerone vidi, quæ non possint per Non solùm non, aut Tantum abest ut, &c. *Imò verò*] Secunda collatio est ejusdem generis, ubi *germani* notabis pro veri & legitimi, velut ex eodem germine semineq; nati. Metaphoricōs autẽ sumitur germanus, pro simili: ut in Oratore, Germanos se putant esse Thucydidis. Et in Lucullo, alia syntaxi: Si pauca mutasses, germanissimus Stoicis. *Hi ex summa*] Redditio collationis secundæ, in qua insolentiæ nomen sic accipitur, ut in Agraria 1. In ea urbe isti vestri satellites modestè insolentiam suam continebunt?

[c] & [21] *Hæc tu, P. Rulle, M. Bruti sceleris [c] vestigia quám monumenta majorum [a] sapientiæ [c] sequi maluisti: Hæc tu cum istis tuis [c] actoribus excogitasti, ut vetera vectigalia venderetis, & [c] expleretis nova:* [d] *Urbi Capuam ad certamen dignitatis opponere vis: ut sub vestrum jus, jurisdictionem, potestatem, urbes, nationes, provincias, liberos populos, reges,* [a] & [d] *terrarum denique orbem subjungeretis:* [11] *ut cùm omnem pecuniam ex ærario [c] exhausissetis, ex vectigalibus redegissetis, ab omnibus regibus, gentibus, Imperatoribus nostris coëgissetis, tamen omnes vobis pecunias ad [c] nutum vestrum [c] penderent;*

rent: [11] ut iidem[1] partim[2] invidiosos agros á Syllanis possessoribus, partim desertos ac pestilentes á vestris necessariis, á vobismetipsis emtos, quanti velletis pop. Rom. induceretis: ut omnia municipia coloniasq; Italiæ novis colonis occuparetis: ut quibuscũque in locis vobis[1] videretur, ac quám multis videretur, [2] colonias collocaretis: [1] ut omnem Rempub.[1] vestris militibus, vestris urbibus, vestris[2] præsidiis cingeretis, atq; [c] oppressam teneretis: ut ipsum Cn. Pompejum, cujus [c] præsidio sæpissimé populus Romanus contra [c] acerrimos hostes, & contra improbissimos cives victor extitit, proscribere, atque horum conspectu privare possetis: [11] ut [1] nihil[2] auro & [2] argento [c] violari, nihil numero & suffragiis declarari, [11] nihil elata manu [c] perfringi posset, quod non vos [c] oppressum atque [c] ereptum teneretis: ut [c] volitaretis interea [1] per gentes, per regna omnia, [1] cum imperio summo, cum judicio infinito, cum omni pecunia: ut veniretis in castra Cn. Pompeji, atque ipsa castra, si commodum vobis esset, venderetis: ut interea magistratus reliquos legibus omnibus [c] soluti, [1] sine metu judiciorum, sine periculo petere possetis, [11] ut [1] nemo ad populum Romanum vos [10] adducere, nemo producere, [1] non [2] Senatus cogere, non Consul [c] coërcere, non Tribunus plebis retinere possit.

[*fort.* nihil vi, aut facta manu, *aut* vi, & dilecta manu]

Haec tu] Complexio est longissimæ dissimilitudinis de dissimili facto majorum & Rulli, ubi peroratio incipit, primúm confuso quodam aliquot capitum epilogo: deinde amplificatione tyrannorum contexta. Capita veró quæ confusé repetuntur, nulla sunt ex creatione Decemvirum, neq; ex forma tyrannorum, sed omnia ex potestate,

venditione, emtione, deductione. Primum itaque est de vendendis & imponendis vectigalibus, ubi actoris nomen villicum significat, & servorum in magna familia principem, qui gubernandæ villæ præsit. Quomodo Columella loquitur lib. 1, cap. 7. Ita fit ut & actor & familia peccent. Metaphoricῶs igitur agrarios divisores, actores dicit, tanquam villicos populi. *Urbi Capuam*] Secundum epilogi caput de Campana colonia, cui finis legis annectitur de potestate tyrannica. *Ut cùm omnem*] Tertium hoc caput, primi sententiam complectitur, & venditionem pauló fusiús repetit. *Ut iidem*] Quartum caput de novorũ agrorum emtione, ubi notabis *inducere* verbum pro æstimare accipi, sicut anté notavimus: Hic ager omnis, quoquo precio coëmtus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur. *Ut omnia*] Quintum caput de coloniarum deductione, secundi sententiam continet, & latiús exponit. *Ut ipsum Pompejum*] Sextum caput de Pompejo exaggeratum personæ adjunctis, de quibus antea. *Ut nihil*] Octavum caput de facultatibus tyrannicæ potestatis, quæ variarum rerum congerie amplificantur. *Volitaretis*] Metaphora hæc eadem antea fuit: Volitat ante oculos istorum. *Legibus soluti*] Solvi legibus, vulgus nunc ait dispensari: quomodo Philippica 11. Qui ex ædilitate Consulatum petit, solvatur legibus, quanquam leges eum non tenent. Ergo tanquam leges vincula sint civitatis, cives legibus solvi dicuntur, quando contra leges aliquid eis condonatur.

[11] *Hæc ego vos concupiisse pro vestra stultitia atque intemperantia, non [10] miror: sperasse me Consule [c] assequi posse, demiror. Nam cúm omnium Consulum [c] gravis, in Repub. custodienda, cura ac diligentia debet esse: tum eorũ maximé, qui non in [a] cunabulis, sed in [d a] campo sunt Consules facti. Nulli populo Rom. pro me majores mei [c] spoponderunt: [9] mihi creditum est: á me petere quod debeo, me ipsum appellare debetis. Quemadmodum cúm petebam, nulli me vobis authores generis mei cõmendarunt:*

darunt: ſic ſi quid deliquero, nullæ ſunt [a]imagines, quæ me á vobis deprecentur. Quare, modó ut vita ſuppetat: [27]quanquam ego ſum is, qui eam poſſim ab iſtorum [a]ſcelere [a]inſidiiſq; defendere: polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide, [11]Rempublicam vigilanti homini, non timido; diligenti, non ignavo commiſiſtis. [11] Ego is Conſul, [2]qui concionem metuam? qui Tribunos plebis [c]perhorreſcã? qui ſæpe & ſine cauſſa tumultuer? qui timeam, ne mihi in carcere habitandum ſit, ſi Tribunus plebis duci juſſiſſet? Ego nondum veſtris [3] [10]armis armatus, [c]inſignibuſque [c]ampliſſimis [c]ornatus, imperio, authoritate, nõ [c]horrui in hunc locum progredi [11]poſſe, vobiſq; authoribus [a] improbitati hominis reſiſtere: nunc verear ne [a]Reſpublica tantis munita [a]præſidiis ab iſtis vinci aut [c]opprimi poſſit? Si antea timuiſſem, [3]hac concione, hoc populo, certé non vererer. Quis enim unquã tam ſecunda concione legem Agrariam [10]ſuaſit, quam ego [3]diſſuaſi? ſi hoc diſſuadere eſt, ac non [c]diſturbare ac pervertere. *quid. omittunt* poſſe.

HAEC EGO VOS] Epilogus adhuc fuit: amplificatio ſequitur: quanquam & antea amplificatio fuit, ſed rhetores perorationis hanc alterã partem ſic appellãt. Amplificatio igitur ſequitur partim ad terrorem Tribuni, partim ad gratiam Conſulis. Argumentum feré de prooemio repetitur ex adjunctis. Syllogiſmus primus ita concluditur:

Conſules virtutis commendatione facti Rempubl. maxime tueri debent:

Cicero talis eſt:

Maxime itaque tueri debet.

Hæc ego] Sic in eadem oratione, Patior non moleſté tam ſtultos eſſe, qui hæc ſperent: tam impudẽtes, qui conentur: illud queror, tam me ab iis eſſe contemtum, ut hæc portẽta me Coſ. potiſſimúm cogitarent. *Nam cúm*] Propoſitio

ſyllogiſmi diſſimilibus illuſtrata, ubi metonymiæ *Cunabula* & *Campus* claritatem generis & virtutis commendationē ſignificāt. *Nulli populo*] Aſſumtio ſuis itē diſſimilibus exornata, ubi allegoria eſt á prædibus rei pecuniariæ, & altera ex ſimilibus illuſtratio. *Quare modo*] Complexionis ſententia, ubi item diſſimilia ſunt. Notabis autem hic eandem libertatem, quæ in ſuperioris orationis peroratione fuit: Omnes qui ſe incolumes volent, ſequētur authoritatem Conſulis ſoluti á cupiditatibus, liberi á delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus. De ſua autem in Rempubl. diligentia duobus itidem locis in hac oratione fuit: Verſantur in animo meo multæ & graves cogitationes, quæ mihi nullam partem neque diurnæ neque nocturnæ quietis impertiunt, &c. Item, Quanquam me veſter honos vigilare dies atque noctes, & intētis oculis omnes Reipublicæ partes intueri jubet. *Ego is conſul*] Cōplexionis exornatio per collationem minorum, qua ſe minimé timidum oſtendit. Propoſitio & redditio habent allegoriam á bello. Tale illud eſt Philip. 2. Defendi Rempubl. adoleſcens, non deſeram ſenex: contemſi Catilinæ gladios, non pertimeſcam tuos. Quinetiam corpus libenter obtulerim, ſi repræſentari morte mea libertas civitatis poſſit. *Hunc locum*] Significat ſuaſionem legis Maniliæ, quam prætor pro dignitate Pompeji adverſus paucorum potentiam & libidinem ſtudio populi obtinuit, quod antea ſignificatum eſt apertiús: Vos mihi prætori, &c. *Hominis*] Vide num mendum ſubſit, & *hominum* potiús legendum ſit. *Si antea*] Amplificat inſtitutam animi ſignificationem ex adjuncto præſentis concionis ſtudio. Diſſuaſio autem ex acclamationibus ſuperioribus potuit intelligi: Hic quoniam video vos hominis dignitate & contumelia legis eſſe commotos: Habetis unum venditionis genus, quod magnum videri vobis intelligo: Hic mihi parumper mentes veſtras, Quirites, commovere videor. & multæ aliæ ſignificationes populi fortaſſis extiterunt, quæ tamen in hac oratione indicatæ non ſunt.

Ex quo intelligi, Quirites, poteſt, nihil eſſe tam popu-

*ᵉpopulare, quàm id quod ego vobis in hunc annum Consul popularis affero, pacem, tranquillitatem, ocium. Quæ nobis designatis timebatis, ea ne accidere possent, consilio meo ac ratione ᶜprovisa sunt. Non modò vos eritis in ocio, qui semper esse volueratis: verùm etiam istos, quibus ¹⁰ ociosi negocium ″fecissemus, ociosissimos reddam. Etenim illis honores, potestates, divitiæ, ex ᶜ tumultu atque ex dissensionibus ᵈ civium comparari solent. Vos quorũ ᵃgratia in suffragiis cõsistit, ᵃ libertas in legibus, ᵃhonos in judiciis & æquitate, ᵃ magistratus & resfamiliaris in pace, omni ratione ocium tenere debetis. ″Nam et si ii qui propter desidiã in ocio vivũt, tamẽ in sua ᵃ turpi inertia capiũt voluptatẽ: ″sub ipso ocio, quo vos ᵃ fortunã regitis, si hunc statũ quem habetis, esse meliorẽ * nõ ignoratis, non ut quæsitũ, sed vita ᶜ partum ocium tenueritis.″ Quòd ego & cõcordia, quam mihi constitui cum collega, invitissimis iis hominibus, quos in consulatu inimicos esse & animis & corporis ᶜ″ actibus providi omnibus, ᶜprospexi sané & ″ revocavi: idem Tribunis plebis denunciavi, ne quid ᶜ turbulẽti me consule ᶜconflarẽt. Summum & firmissimum est illud communibus ᵃfortunis ᶜ præsidium, Quirites, ut quales vos hodierna die maxima concione mihi pro salute vestra ᵉpræbuistis, tales reliquis ᵃ ″ temporibus populo Romano præbeatis. Pro certo polliceor hoc vobis, atque confirmo, me esse perfecturum, ut jam tandem illi, qui ᵈ honori inviderunt meo, tamen vos universos in ᵈ Consule deligendo plurimúm vidisse fateantur.*

L. facessimus,

L. Nam, si ii

L. si ipso ot.

L. acie

L. prçcavi.

L. temporibus reipubl. præb.

Ex quo] Syllogismus alter amplificationis:

Qui pacem tuetur, popularis est:

Cicero pacem tuetur;
Popularis igitur.

Sententia propositionis & assumtionis primo loco confunditur: Assumtio deinde factis Ciceronis approbatur, & majorum collatione. *Etenim illis*] Adhortatio interposita ad ocium per dissimilitudinem agrariorum & bonorũ civium: utraque pars suis adjunctis exponitur. *Nam &* *si*] Collatio minorum ad eandem adhortationem. *Quod ego*] Alia est assumtionis ratio item ex effectis, quód collegam Antonium sibi pacaverit. Antonio autem Macedoniã concessit, ait Plutarchus, & Galliam simulatione Antonii petitam confestim dimisit. Notabis autem gradum *Invitissimus*, & observabis an ut Invité & Invitiús & Invitissimé á Cicerone dicitur, sic etiam Invitior in nomine dicatur. *Summum*] Complexionis loco (*Quare sum popularis*) hęc adhortatio ad ocium ex similibus adhibetur, & officii promissione peroratio clauditur, qualis primæ agrariæ exitus fuit.

ANALYSEOS RHETORICæ & Logicæ in Agrariam secundam summa.

CUM scire aliquid & intelligere volumus, via duplex est, ut jam ex Aristotele dictum est, ὅτι καὶ διότι, quia & propter quid: ut illo verum esse cognoscamus, hoc etiam quamobrem verum: quod utrunque pro subjecti generis conditione licet sic assequamur. Quæris igitur an Agrarios Cicero concione ista superarit? Plinius id & Plutarchus (ut antea jam patuit) affirmant: & secundæ quatuor acclamationes persuasi populi indices, id abunde in hac ipsa oratione testificantur: *Hic quoniam video vos hominis dignitate & contumelia legis esse commotos*, &c. Itẽ, *Habetis unum venditionis genus, quod magnum videri vobis intelligo*, &c. Item, *Hic mihi parumper mentes vestras, Quirites, commovere videor*, &c. Tandemque orator ipse perorando quasi victor exultavit. *Si antea timuissem* (ait) *hac concione, hoc populo certe non vererer. Quis*

enim unquam tam secunda concione legem agrariam suasit, quàm ego dissuasi? si hoc dissuadere est, ac non disturbare ac pervertere? Vides quàm liberé, quámque magnificé de concionis eventu propé glorietur Orator? Ergo contra Agrarios obtinuit, & ὅτι jam tenemus. Quæris *διότι*, persuasionis caussas & rhetoricas in elocutione (Ciceronis enim pronunciationem, quæ princeps tamen fuerat, nullam in scriptis ejus & monimentis habemus) & logicas in topica invẽtione & analytica dispositione universas retexe & resolve, quas singulares retexuisti & resolvisti, habebis *διότι*. De tropis Metaphora plusquam trecentis locis adhibetur. Metonymia vix Metaphoræ, Synecdoche vix Metonymiæ, Ironia ne vix quidem Synecdoches dimidiũ numerum complebit. Ita de tropis Metaphoram constat usu frequentissimam esse. Sed enim consyderato geminatos tropos simplicibus gratiores esse, & geminationem hâc inprimis esse Ciceronianam: ut, *Ne forté mea sedulitas aut insidiosa, aut impudens*, &c. *Nolo plebem obscura spe & cæca expectatione pendere*, &c. secundi modi Metonymiæ sunt. Tertii multó sunt frequentiores: *Extrema tribus suffragiorum & illi vestri cócursus*, &c. *Plurimo sanguine & sudore*, &c. *Sipontina siccitate & pestilentia finibus*, &c. Ironia quoque geminatur: *Homo non cupidus, nec appetens*. Metaphora veró hîc allegoria dicitur: & multiplicata gratia per placet: *Eum locum quẽ nobilitas præsidiis firmatum, atq; omni ratione obvallatum tenebat, me duce rescidistis, virtutique in posterum patere voluistis. Ne quando recreata exurgere atq; erigere se possent, funditus sustulerũt. Cúm se Regum sanguine impleruint, incidant nervos popul. Rom. adhibeant manus vectigalibus vestris*. Itẽ, *Nervis Urbis omnibus exectis, Urbẽ ipsam solutam ac debilitatam reliquerunt*. Synecdoche etiam geminatur: ut, *Tectis & sedibus suis*. Sed in eo genere gratia major est: *Cúm haberet hæc Respublica Luscinos, Calatinos, Acidinos*. Item *Magios, Blossios mihi videbar illos videre, & Jubellios*. In figuris verborum ἐπίζευξις nulla est, Anaphora plus quám centum locis adhibetur, Epistrophe sex, Symploce duobus, Epanodos quinque, Epanalepsis septem, Anadiplosis & Gradatio nullo: Polyptoton feré par

anaphoræ, Adnominatio viginti. Numerus plurimis locis jucundé resonat: in quo sit operæpreciurn considerare omnes verborum figuras & in repetitione & in commutatione quasdam numeri species esse, & sola numeri compositionisque gratia placere: ut numerus sit duplex, alter in ejusdem dictionis repetitione & commutatione, alter in soni tantúm, non etiā dictionis varietate. Etenim soni esse potest ἐπίζευξις: *Vigilanti homini, non timido; diligenti, non ignavo*, &c. Et soni anaphora atque epistrophe lōgé notabilior, ut superiori oratione: *Solicitā mihi civitatē suspicione, suspensam metu, perturbatā vestris legibus & concionibus & seditionibus tradidistis: spem improbis ostendistis: timorem bonis injecistis: fidem de foro, dignitatem de Republica sustulistis.* Solicitam, suspensam, perturbatam, soni anaphora est: Tradidistis, ostendistis, injecistis, sustulistis, soni epistrophe est. Tale est in hac oratione, *Oblētari populo Romano agros, eripi etiā libertatem privatorum pecunias augeri, publicas exhauriri.* Soni symploce aliquādo manifestior: ut, *Quód minuit auctionē Decemviralem, laudo: quód regi amico cavet, non reprehendo: quód non gratis fit, indico.* Interdum epanodos soni miscetur epistrophæ: ut, *Ut vester honos ad mei temporis diem petitus, nō ad alienæ petitionis occasionem interceptus; nec diuturnis precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus esse videatur.* Plenissimus autem numerus est ille, totoq; orbe concinnitatis expletus, cúm primis mediisque & extremis locis soni similitudō sentitur, ut oratione superiore: *Utrúm cōsilia siccorū, an vinolentorū somnia: Utrúm cogitata sapiētū, an optata furiosorū?* Atq; in cæteris figuris licebit numeri voluptatē consimilem observare, & quod appellat Plato, ῥητορικὴν, κομμωτικὴν, καὶ ὀψοποιητικὴν, quasi figurarū suarū fucis & condimentis oblectātem, id in his numerosis verborū figuris est præcipué verum. E figuris sententiarū Optatio uno loco est, Deprecatio quatuor, Addubitatio duobus, ut Communicatio, & Permissio, & Cōcessio, & Exclamatio: Prolepsis octo, ut Apostrophe: Prosopopœja sex, ut Dialogismus: Præteritio tribus, ut Licētia: Digressio uno, ut Reticentia: Sustētatio nullo. Atque omnes hæ sententiarū figuræ in hac oratione nō

admo-

admodum eminent. Ergo in elocutione est hæc Aristotelica ἐπαγωγὴ καὶ ἱστορία, inductio & animadversio. Eadem Aristotelis principia in logicis Topicæ inventionis & analyticæ dispositionis partibus retexendis assumantur, longé majorem fructum afferent. Finis decem locis est, imó totius orationis argumentum principale est. Forma uno, Efficiens sex, Materia nullo notatur. Facta Rulli, Ciceronis, Pompeji, majorũ quám plurima. Subjectum uno, Adjũcta feré perpetua. Contraria privantia uno: Repugnantia duobus, Paria tribus, Majora sex præcipué: sed species illa Majorũ *Non modó, sed etiã*, tredecim: ubi ipsum argumẽtum interdũ exprimitur: *Neq; solúm in hoc contumelia est, plus spectant.* Majorum etiam forma per *Cum* & *Tum* tribus locis legitur: Minora decem locis, sed & specie illa *Non modo, sed ne*, tribus: Similia breviter indicata notis *quasi* & *tanquam* quatuor locis: pleniùs veró septem. Dissimilia omnium comparatorum sunt frequentissima: atque illa forma *Non hoc, sed illud*, vigintiquinque locis. Quo in genere redditio *sed* locis præterea tredecim omittitur: negatioque modó præcedit, ut *Non defuit consilium, fides defuit*: modó sequitur, *Vetustate possessionis se, non jure; misericordia Senatus, non agri conditione defendunt.* Collatio hæc notis *quanquam, tamen*, quinque locis est. Aliquando *quanquam* omittitur: *Quod per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum: in eo tamẽ propter amplitudinẽ sacerdotii voluerint populo supplicari.* Aliquando nota dissimilitudinis indicatur: ut, *Non eadem lege: Alio vultu: Vide quantum intervallum*, &c. Quod novem est locis. Aliquando nulla harum notarum ponitur. Conjugata sex locis. Divisionis argumentũ septẽdecim. Ex caussis primũ: ut, *Duæ sunt caussæ obscuritatis*, &c. *Multa in mancipiis pecore*, &c. Ex genere: ut, *Cúm omnes potestates, imperia*, &c. Ex effectis, *Partim magnopere fugerũt, partim nõ vehemẽter secuti sunt. Partim iniri, partim inita*, &c. Ex specie, *Nõ ingenerãtur hominibus mores tã à stirpe generis ac seminis, quã natura loci. Carthaginenses fraudulẽti, Ligures duri, Campani superbi.* Item cûm oppida Cãpana & Romana, cúm bella, cúm vectigalia enumerãtur. Ex subjectis, *Primúm infinita pote-*

stas, deinde orbis terrarum, &c. Ex adjunctis, *Duo genera agrorũ spectant*, &c. *De vestro cõmodo prius dicã, deinde*, &c. *Partim publicos, partim invidia plenos. Partim libera, partim ignorata. Partẽ eorũ*, &c. *Partẽ quibus*, &c. *Nõnulli digni majorum loco, plerique*, &c. Definitio sex locis est. Quinetiam definitionis tum qualitas, ut propria sit & perspicua, tractatur: *Cur eos non definis*? &c. tum lex & axioma, *Sed mihi ad hujusce verbi vim*, &c. Testimonium septem locis notabile est: atque hæc logica topicæ inventionis exempla sunt. Analytica dispositio & singulorum & universorum argumentorum pauciora nobis exempla, sed non minore fructu suppeditabit. Analysis & judicatio singulorum plerunque est ποιητική, nec syllogismo conficitur: etsi fiat, sæpe tamen imperfecto est contenta. In primæ figuræ primo modo tres sunt perfectæ conclusiones: sex in tertio: duæ in quarto secundæ figuræ: In primo connexorum modo tres: in secundo quinque: in disjuncto secundo una. quibus exemplis & consimilibus commentum illud in Aristotelis & Zenonis libris valde deridẽdum proponitur: quód enthymematis rhetores, syllogismis utantur logici: cúm tam frequentes in Oratore syllogismi sint, quám in quovis philosopho. Sed analyseos prioris hæc sunto. Universorum veró argumẽtorum, ac totius orationis dispositio, seu analysin doctrinæ, seu prudentiæ κρύψιν spectes, summa est. Propositum est initio summum dissuasionis argumentum, hac lege tyrannidem institui: ad quod probandum reliqua spectaret oratio. Transitiones apertæ sunt. *Sunt igitur Decemviri, neque veris comitiis, neque ad speciem vetustatis usurpandam adumbratis*, &c. *Videte nunc quanto majoribus ornamentis afficiat*, &c. *Formam adhuc habetis, Quirites, & speciem tyrãnorum perspicite, quanta potestas permittatur*. &c. deinceps ferẽ capita potestatis proponuntur, & transitiones interserũtur singulis partibus: *Habetis unum genus seditionis*, &c. *Intellexistis quot & quantas res*, &c. *Vix jam videtur locus esse*, &c. *Parta sit pecunia* &c. Atque hæc doctrinæ Analysis, quæ progreditur ab universis ad partes. Prudentiæ κρύψις major est: Nam contra doctrinæ analysin insinuatio & narratio ad popularitatis fidem longa præponitur, antequam

antequam quæstio dissuasionis poneretur. Summa legis partitio omissa: partes ad invidiam opportuniores arreptę, de creatione Decemvirûm contra leges, de forma, deque potestate tyrannica. Quin etiam hanc artem prudentiæ (qua ipse tamẽ utitur) in Rullo obscuritatis nomine cavillatur orator. *Unum erat, quod mihi vitiosum videbatur*, &c. Et, *Cur hoc est tam obscurum atq; caecum?* &c. *Ut occulte latet*, &c. *Nolo suspensam & incertã*, &c. *At dicat quos agros empturus sit*, &c. Ergo dispositionis perpetuę seu doctrinã, seu prudentiam cõsideres, exempla hic magna sunt. Requiris igitur quamobrem Cicero hac oratione vicerit agrarios? de pronunciatione & authoritate (qua tum usus est) nihil hic respondeo, sed quod hic possum, persuasisse & pervicisse respondeo: quia rebus omnibus ad quæstionis fidem acuté inventis, & sapienter collocatis, & ornaté compositis populum docuit & movit. Hæc secunda est ἀπόδειξις, ex qua præterea & Rhetoricæ & Logicæ nõ solúm sensum, sed usum faciliorem habebis. Nam si nullam unquã Rhetoricam & Logicam artem anté didicisses, tamen hęc Aristotelis ἐπαγωγὴ καὶ ἱστορία, ita retextis & rhetoricæ elocutionis, & topicæ inventionis, & analyticæ dispositionis partibus, magnam tibi utriusque artis informationem afferrent, cúm in nobili præstantique exemplo omnium feré & rhetoricarum & logicarum virtutum tantam frequentiam, tamque gratam videres. Cicero ait orationem Crassi in legem Cæpionis sibi á pueritia magistram fuisse. Credo. in qua nempe omnes has rhetoricas & logicas laudes studiosé contemplatus esset: imó meditatus & æmulatus esset. Quid igitur prohibet, quin unam Ciceronis orationem magistram habeamus, & dum Ciceronis studium imitamur, fructum quoque consequamur?

M. T. CICERONIS DE LEGE AGRARIA CONTRA P. SERVILIUM Rullum Trib. pl. ad populum, Oratio tertia; P. Rami prælectionibus illuſtrata.

* *
*

ARGVMENTVM.



Icero duabus primis Agrariis duo Agrariæ legis ἀποσπασμάτια, ut jam dictum eſt, addiderat. Ex illis igitur reliquiis hæc conciuncula ſupereſt, quæ magis eſt in cõcionem provocatio, quàm legitima concio. Tota autem concionis ſumma eſt, Ciceronem Syllanæ tyrannidis fautorem non eſſe, ut accuſatus erat à Rullo: ſed ipſum Rullum: & uno ſyllogiſmo continetur,

Si Tullius Syllanæ tyrannidis fautor eſſet, Rullus eſſet oppugnator:
Sed ſecundum falſum:
Primum igitur.

Proœmio autem leviùs reprehẽditur factum Rulli, quòd abſentem Ciceronem calumnietur:

Si Tribuni potiùs præſentem Ciceronẽ accuſaſſent, commodiùs feciſſent:
Abſentem, non præſentem, accuſarũt:
Non igitur commodè fecerunt.

Ubi Tribunorum nomine per ſynecdochen Rullum intellige.

ORATIO

ORATIO III.

COmmodiús fecissent[d] *Tribuni plebis, Quirites, si quæ apud vos de me* [e] *deferunt, ea corám potiús me præsente dixissent: nam & æquitatē vestræ*[a] *disceptationis, & consuetudinem superiorem, & jus suæ potestatis retinuissent. Sed quoniam adhuc præsens*[c] *certamen* [c] *contentionemq;* [c] *fugerunt, nunc, si videtur eis, in meam cōcionem prodeant: &, quó*[10] *provocati á me, venire noluerunt, revocati saltem revertantur.* al. detulerunt,

NAM ET AEQUITATEM] Ratio propositionis ex adjunctis, quód hæc disceptatio æqua, usitata, congrua fuisset. *Sed quoniam*] Sententia assumtionis hic concluditur (*Sed præsentem non accusarunt,*) & complexionis loco (*Quare commode non egerunt*) provocatio ad concionem adhibetur, ubi dissimile est. *Certamen contentionemq;*] Allegoria est militaris quasi certaminis, quó Rullum Cicero provocat. Duo veró dicendi genera sunt, alterum perpetuum, alterum, concisum, de quibus undecima primi ad Atticum: Clodium præsentem fregi in Senatu cúm oratione perpetua, plenissima gravitatis, tum altercatione ejusmodi, ex qua licet pauca degustes. Nam cętera non possunt habere eandem neque vim, neque venustatem, remoto illo studio contentionis, quem ἀγῶνα vos appellatis. Hic igitur Cicero videtur certamen & contentionem dicere altercationem, & ἀγῶνα, ut videlicet Cicero Rullusque de singulis capitibus interrogando & respondendo agerent.

Video quosdā, Quirites, strepitu significare nescio quid: & non eosdē[a] *vultus, quos proxima mea* [a]*concione præbuerūt, in hanc concione mihi retulisse.*[11] *Quare á vobis, qui nihil de me credidistis, ut eā*

voluntatem, quam semper habuistis erga me, retineatis, peto. A vobis autem, quos leviter immutatos esse sentio, parvam exigui temporis usuram bonæ de me opinionis postulo: "ut eam, si quæ dixero vobis probabo, perpetuó retineatis: sin aliter, hoc ipso in loco [c] *depositam atq;* [c] *abjectam relinquatis.*

VIDEO QUOSDAM] Adversa quædam acclamatio hîc accidit, cui resistitur partim confirmandis benevolis, á quibus eadem voluntas postulatur: partim placandis malevolis, quibus rei probatio promittitur. De acclamationibus adversis sic Antonius Oratorio 2. Et cúm sint populares multi variiq; lapsus, vitanda est acclamatio adversa populi, quæ aut orationis peccato aliquo excitatur, si asperé, si arroganter, si turpiter, si sordidé, si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videatur: aut hominum offensione, vel invidia, quæ aut justa est, aut ex criminatione atque fama, aut res si displicet, aut si est in aliquo motu suæ cupiditatis aut metus multitudo: hisque quatuor caussis totidem medicinæ opponuntur: cúm objurgatio, si est authoritas: tum admonitio, quasi levior objurgatio: tum promissio, si audierint probaturos: tum deprecatio, quod est infimum, sed nõnunquam utile. Nullo autem loco plus facetiæ prosunt, & celeritas, & breve aliquod dictum, nec sine dignitate, & cum lepôre. Nihil enim tam facile, quám multitudo á tristitia & sæpe acerbitate commodé ac breviter & acuté & hilaré dicto deducitur. Quatuor caussæ sunt acclamationis adversę, oratio, orator, caussa, auditor: quatuor remedia, objurgatio, qua usus pro Rabirio, Nihil me clamor iste commovet, &c. admonitio, promissio, deprecatio. Deprecatione quadam hîc & promissione utitur. *Strepitu*] Hîc tibi strepitus, fremitus, clamor tonitruũ, rudentum sibilus, ait in Epistolis. *Usura*] Usura hîc idem est, quod usus. Usuram corporis ejus cepit sibi, ait Plautus: & Usuram gaudii, lucis, Cicero dicit. *Ut eam*] Dilemma est ex factis cõtradicentibus, qualis æquitatis postulatio fuit illa secunda Agraria, Quæ cúm exposuero, si falsa, &c.

[c] *Com-*

[c]*Completi sunt animi, auresq; vestræ, Quirites, me gratificantem septem tyrannis, cæterisque Syllanarum* [a]*assignationum possessoribus, Agrariæ legi & commodis vestris obsistere. Hæc si qui*[c] *crediderunt, illud prius crediderint necesse est, hac lege Agraria, quæ promulgata sit, adimi Syllanos agros, vobisque dividi: aut denique minui privatorum possessiones, ut in eas vos deducamini.*[z] *Si ostendo, non modò non adimi cuiquam* [d]*glebam de Syllanis*[a] *agris, sed etiam genus id agrorum certo capite legis impudentissimé confirmari atque sanciri: si doceo agris his qui á Sylla sunt dati, sic diligenter Rullum sua*[a] *lege consulere, ut facilé appareat eam legem non á vestrorum commodorum patrono, sed á Valgii genero esse conscriptam: num quid est caussæ, Quirites, quin illa criminatione qua in me absentem usus est, non solúm meam, sed etiam vestram*[a] *diligentiam prudentiamque*[c] *despexerit?*

COMPLETI] Quæstio est totius concionis, quód Cicero Syllanæ tyrannidi studeat, & populum oppugnet. In his autem tyrannis septem, vide nunquid Faustus, Crassus, Metellus intelligantur de proscriptione & tyrannide Syllana: ut 76000 millia civium Rom. necaverat; Spoletum, Interamnum, Præneste, Fluentiam, Sulmonem proscripserat; antea dictum est. & quod Livius ait 89 libro, hic ignorandum non est, 47 legionibus agros á Sylla assignatos esse: tot videlicet expelli necesse fuit, ut hi inducerentur. De tanto igitur numero Syllanorum nunc agitur. *Hæc si qui*] Sequitur quæstionis explicatio ex repugnantibus,

Si Tullius defensor est Syllanæ tyrannidis, Rullus est oppugnator:
Secundum falsum:
Primum igitur.

Si ostendo) Assumtio, suspensa tamen hypothesi ad populi conciliationem & attentionem. *Valgii*] Hic Valgius definitus est duabus superioribus orationibus. Prima: Quantum tibi agri (ut alios omittam) vendet socer tuus. Secunda: Habet socerum virum optimum, qui tantum agri in illis Reipubl. tenebris occupavit, quantum concupivit. *Numquid*] Pro complexione (*Quare Cicero non est defensor Syllanæ tyrannidis*) hęc Rullo invidia ex ejus facto creatur.

[26] & [21] *Caput est legis XL. de quo ego consultó, Quirites, neque apud vos anté feci mentionem, ne* [b]*aut* [c]*refricare* [c]*obductam jam* [a]*Reip.* [c]*cicatricem viderer; aut aliquid alienissimo tempore novæ dissensionis commovere. Neq; veró nunc ideo disputabo, quód hunc* [c]*statum* [a]*Reip. nō magnopere defendendam putem: præsertim qui otii & cōcordiæ patronum me in hunc annum* [u]*Reip. confessus sim: sed ut doceam Rullum posthac in his saltem* [y]*tacere rebus, in quibus de se & suis factis taceri velit. Omnium* [y]*legum iniquissimam, dissimilimamq; legis esse arbitror eam, quā L. Flaccus interrex de Sylla tulit, ut omnia quæcunq; ille fecisset, essent rata. Nam cúm cæteris in civitatibus* [y]*Tyrānis institutis,* [y]*leges omnes* [c]*extinguantur atq; tollantur: hic Reip, Tyrannum lege constituit. Est invidiosa lex, sicut dixi: veruntamen habet excusationem. non enim videtur hominis lex esse, sed* [a]*temporis. Quid si est hæc multó impudentior? Nam Valeria* [y]*lege, Corneliisq; legibus* [u]*cúm eripitur, datur: cōjungitur impudens gratificatio cum* [c]*acerba injuria. sed tamē habet illis legib. spem nōnullam ille cui ademtus est: aliquem* [c]*scrupulum, cui datus est. Rulli cautio est hæc:* QUÆ POST C. MARIUM, CN. PAPIRIUM

fort. pop. R.

al. eripitur, cúm datur:

um Coss.[21] *Quám procul á suspicione [c] fugit, quód eos Consules, qui adversarii Syllæ maximé fuerunt, potissimúm nominavit! Si enim Syllam Dictatorē nominasset,[c] perspicuum fore & invidiosum arbitratus est.*

CAPUT EST] Assumtionis confirmatio ex testimonio legis Serviliæ. Testimonium ipsum longa sustentatione suspenditur. Primúm excusatio præcedit ex adjunctis, quód hac de re tacuerit, ne quis civilis motus renovaretur: & prolepsis additur ex fine, quód dicturus sit, ut Rullus erubescat. *Refricare*] Hac allegoria significat civilium bellorum calamitates utcunque jam sublevatas. Sic ad Atticum lib. 5, Appii vulnera non refrico, sed apparent, nec occuli possunt. Generis hujus allegoriæ fuerunt oratione superiore, Implere sanguine, Nervos incidere. *Neque vero*] Dissimile est, cujus πρότασις repugnantibus affirmatur. *Omnium legum*] Collatio majorum est ad exaggerādam propositi capitis invidiam: Lex Valeria est iniquissima, Servilia tamen iniquior. L. autē Valerius Flaccus Interrex creatus, ut in locū Carbonis & Marii interfectorū Coss. novi Coss. eligerentur, tulit ut Sylla perpetuus Dictator ad componendum Reip. statum crearetur, cū post annos 400 hic magistratus Romæ non fuisset, ut ait Appianus. Hujus autem legis meminit Cic. 1 Leg. Jam veró (ait) stultissimum illud, existimare omnia justa esse, quæ scita sint in populorum institutis aut legibus. Etiamne si quæ leges sint tyrannorū, si triginta illi Athenis leges imponere voluissent? aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, nū idcirco hæ leges justę haberentur? nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut Dictator, quem vellet civiū, indicta caussa impune posset occidere. *Interrex*] Interrex dicitur, qui demortui regis locū tenet, dum alius creetur, quales mortuo Romulo patres singuli per quinque dies fuere. Postea comitiorum caussa Interrex interdum creabatur imperio quinque dierum (ut ait Asconius in Miloniana) ut nūc Carbone & Mario Coss. cæsis Valerius interrex factus ad novos Coss. creandum. *Nam cum*]

προτάσεως: amplificatio ex dissimilibus. *Est invidiosa*] Excusatur Valeria lex ex adjuncto temporis, ut acriùs Servilia reprehendatur. *Quid si*] Apodosis collationis, cui προτάσεως extenuatio rursus adjungitur ex variis adjunctis. Ad verba autem *ademtus, datus*, videtur verbum *ager, aut fundus*, deesse. *Quæ post*] Principium propositi capitis, in quo ex circunstantia temporis reprehenditur Rullus, quód occultandæ fraudis caussa hos Coss. adversarios Syllæ nominet, qui uno duntaxat anno Syllæ dictaturam præcedunt. κρύψις est Aristotelica de qua jam in superiore oratione: μὴ προτείνειν ὃ δεῖ λαμβάνεσθαι, ἀλλ' ὧ τοῦτο ἕπεται ἐξ ἀνάγκης. Dialogismus autẽ est Rulli & Ciceronis in hac tota legis disceptatione.

Sed quem vestrûm tam[c] tardo ingenio fore putavit, cui post eos Consules Syllam Dictatorem fuisse in[a] mentem[c] venire non posset? Quid ergo ait [b]Marianus Trib. pl. qui nos[b] Syllanos in invidiam[c] rapit? QUÆ POST MARIUM ET CARBONEM COSS. *Agros, ædificia, lacus, stagna, loca, possessiones: cælum & mare prætermisit, cætera complexus est.* PUBLICE DATA, ASSIGNATA, VENDITA, CONCESSA SUNT. *A quo Rulle?* POST MARIUM ET CARBONEM COSS. [a]"*quis assignavit? quis dedit? quis concessit præter Syllam?* EA OMNIA EO JURE SINT. *quo jure?* [c]*labefactat videlicet nescio quid.* [a]*Nimiúm*[c] *acer, nimiúm vehemens Trib. plebis Syllana* [b]*rescindit.* "UT QUÆ OPTIMO JURE PRIVATA SINT. [20]*Etiamne*[c] *meliore, quàm paterna & avita? meliore. At hoc Valeria*[a] *lex non dicit, Corneliæ leges non sanciunt: Sylla ipse non postulat. Si isti agri partem*[a] *aliquam juris, aliquam similitudinem propriæ possessionis, aliquam" spem diuturnitatis*[c] *attingunt, nemo est tã impudens istorũ, quin*

L. quis dedit? quis assignavit? quis vendidit? qs cõc.

L. QUO, QUÆ O. I. PR. SUNT.

al. speciem

quin agi secum praclare arbitretur.[11] & [11] Tu veró Rulle quid quaris? quod habēt, ut habeāt? quis vetat: ut privatum: Sed ita latū est, ut melior tui soceri fundus Irpinus sit, siue ager [10] Irpinus (totū enim possidet) quám meus paternus avitusq; fundus Arpinas. id enim caves: optimo enim jure ea sunt profectó prædia, quæ optima conditione sunt. Libera meliore jure sunt, quám serva. Capite hoc, omnia quæ serviebāt, nō servient. Soluta meliore in caussa sunt, quám obligata. eodem capite obligata omnia, si modó Syllana sunt, liberantur. Immunia cōmodiore conditione sunt, quám illa quæ pensitāt. Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pēdam, quia á municipio fundum accepi: si á Sylla mihi datus esset, Rulli lege non penderem.

SED QUEM] Ad detegendam Rulli κρύψιν assumtio syllogismi additur, sicut antea factum est, & mox rursus fiet. *Quid ergo*] Attentionis caussa locus é dissentaneis interponitur. Verba autem legis videntur hîc mendo aliquo vitiata esse: vel *agros, ædificia*, &c. ad verbum *complexus* referenda: quod tamē valde non placet, sed *agros, ædificia, lacus, stagna, loca, possessiones*, potiús Rulli verba fecerim. *Cœlum*] Locus est, velut ex imperfecta enumeratione, quia vulgó tres mundi partes nominantur, terra, aër, cœlum: totam terram complectebatur Rullus; mare, cœlum omittebat. *Publice*] Verba legis confirmantur, & assumtione rursus addita κρύψις Servilia detegitur. *Ea omnia*] Sic oratione superiore, Decemviri eodem jure sint, quo qui optima lege. Additur autem huic etiam divisæ legis parti ex effectis ironica illusio. *Ut qua*] Hîc capitis sententia adhuc sustentatione suspensa concluditur, & duplici collatione exaggeratur, minorū & dissimilium. *Si isti*] Revocatur comparatio legis Valeriæ. Multū est Syllanis, si lege Valeria Syllanæ assignationes justæ & privatę possessiones breve tempus aliquod habeant. *Tu veró*]

Apodosis per apostrophen & dialogismum, ubi repetitur collatio minorum pauló antè posita. Hirpini autē, vel Irpini, populi sunt Italiæ in Samnio sic dicti, quasi lupini, quód more luporum rapto viverent. Samnites enim Irpum lupum nominant, ut Servius tradit 11 Æneid. *Arpinas*] Arpinum, oppidum est Volscorum, patria Ciceronis, in cujus honorem hodie tres literas M. T. C. municipes pro signo publico conscribunt. *Optimo enim*] Verbi definitio quædam est, ad institutam amplificationem. Forma minus aperta est, sic apertior erit:

Prædia optimo jure sunt libera, soluta, immunia:
Syllanæ assignationes sunt optimo jure:
Sunt igitur libera, soluta, immunes.

Propositio & complexio ad augendam rem partibus dividuntur. *Ego Tusculanis*] Dissimilitudine continuatur amplificatio. Crebram autem, seu Crabram aquam, ut est apud Julium Frontinum, omnes villæ Tusculanæ per vicem in dies modulosque certos dispensatam accipiebant.

Video vos, Quirites, sicuti res ipsa cogat, commoveri vel[d 2] *legis, vel*[d 2] *orationis impudentia: Legis, quæ jus melius Syllanis prædiis constituat, quám paternis: Orationis, quæ ejusmodi caussa insimulare quenquam audeat, rationes Syllæ nimiúm vehementer defendere. At si illa solúm sanciret, quæ á*[10] *Sylla essent data, tacerem, modó ipse se Syllanúm esse confiteretur: sed non modó illis cavet, verúm etiam aliud quoddam donationis genus inducit: & is qui á me Syllanas possessiones defendi criminatur, non eas solúm sancit, verúm ipse novas assignationes instituit, &*[c] *repentinus*[c] *Sylla nobis exoritur. Nam attendite quantas concessiones agrorū hic noster objurgator uno verbo facere conetur.*

VIDEO] Hic mutatis plebis animis secunda acclamatio con

tio contigit, & velut erroris & pœnitētiæ confessio expressa: ubi notabis impudentiæ partitionem ex subjectis, & principis quæstionis conclusionem. *At silla*] Comparatio majorum, quód Rullus hoc capite plura sanciat, quám Sylla. Syllogismi propositio præcedit. *Sed non*] Assumtio, ubi majus assumitur, & primæ quæstionis complexio. *Nam attendite*] Attentionis locus est ad assumtionis superioris approbationem, ad quam repetuntur verba legis antecedentia, & eorum sententia breviter exponitur, & ita concluditur:

Possessa post Marium & Carbonem Coss. optimo jure sunto:

Plurima prædia quæ possessa sunt, vi, clám, precarió possessa sunt á Syllanis post illos Consules:

Erunt igitur hæc optimo jure.

Complexio malis adjunctis amplificatur.

QUÆ DATA, DONATA, CONCESSA, VENDITA. *Patior: audio. Quid deinde?* POSSESSA. *hoc Tribunus plebis promulgare ausus est, ut quod quisq; post Marium & Carbonem Coss. possidet, id eo jure teneret, "quo optimo privatum?" Etiámne si vi ejecit? etiámne si clám? si precarió venit in possessionem? Ergo hac lege jus civile, caussa possessionum, prætorum interdicta tollentur. Non mediocris res, neq; paruũ sub hoc verbo furtum, Quirites, latet. Sunt enim multi agri lege Cornelia publicati, nec cuiquam assignati, neque venditi, qui á paucis hominibus impudentissimé possidentur. "His cavet," hos defendit, hos privatos facit: hos inquam agros, quos Sylla nemini dedit, Rullus non vobis assignare vult, sed eis condonare, qui possident. Caussam quæro, cur ea quæ majores vobis in Italia, Sicilia, duabus Hispaniis, Macedonia, Asia quæsiverunt, "vanire patiamini:* L. vęnire hac lege patiam. *cúm ea quæ vestra sunt, condonari possessoribus*

L. quo quod optimo jure priv.

eadem lege videatis. Jam totam [d] *legem intelligetis, cúm ad paucorum dominationem scripta sit,* [a] *ad Syllanæ assignationis rationes esse accommodatissimam. Nam socer hujus,* [b] *vir multúm* [10] *bonus est: neq; ego nunc de illius bonitate, sed de generi impudentia disputo. Ille enim quod habet, retinere vult, neque se Syllanum esse dissimulat. Hic, ut ipse* [9] *habeat quod non habet, quæ dubia sunt, per vos sancire vult: & cúm plus appetat, quám ipse Sylla,*
...e,quib. *"quibus ego rebus resisto, Syllanas res defendere criminor.* [19] & [a] *Habet agros nonnullos, inquit, socer meus desertos atque longinquos: vendet eos mea lege quanti volet. Habet incertos ac nullo jure possessos: confirmabuntur optimo jure. Habet publicos, reddam privatos: deniq; eos fundos, quos in in agro Cas*
L.opimos & fructuosos cont. *sinati" optimos, fructuosissimos continuavit, cúm usq; eó vicinos proscriberet, quoad* [a] *oculos continuando, ex multis prædiis unam eandem regionẽ formamq; perfecerit, quos nunc cum aliquo metu tenet, sine ulla cura possidebit.*

Etiamne si vi] Hîc notabis tria genera non propriæ possessionis, violentæ, clandestinæ, precariæ. Quæ tria Terentius occupavit in Eunucho, Hanc tu mihi vel vi, vel clám, vel precarió fac tradas. Precarió veró possidemus, quod precibus petenti utendum conceditur tandiu, quandiu is qui concessit, patitur, ut Ulpianus. *Interdicta*] Interdicta Prętorum esse propria locus hic indicat: quomodo etiam pro Cecinna Cicero loquitur, Prætor interdixit, ut unde dejectus esset, restitueretur. Generaliter aliquando de omni potestate dicitur. *Non mediocris*] Attentionis locus ex adjuncta fraudis magnitudine, quæ deinde exponitur. *Caussam*] Digressiuncula est in totam legem: Hoc capite vestra vobis Rullus eripit, cætera igitur eri-

pi

pi vobis ne patiamini. *Hispaniis*] Ut Gallia quondam, sic Hispania á Romanis in duas partes divisa est, ulteriorem & citeriorem. Alpes duas Gallias, Iberus duas Hispanias dividebat. *Jam totam*] Regreditur per collationem minorum, & assumit á Valgio plurima iniqué possessa. Valgii autem improbitatem veluti notam εἰρωνικῶς perstringit. *Ut ipse*] Videtur hîc quippiam deesse, ut certum, firmum, aut simile aliquid. *Syllam*] Mendum item hîc est. *Habet*] Fingitur Rulli prosopopœja ad iniquitatem Valgii, & Rulli fraudem manifestiús explicandam. *Denique eos fundos*] Conclusio est prosopopœjæ, ubi crudelis & importuna harum possessionum rapina declaratur. Cassinum autem oppidum est in Samnio. *Proscriberet*] Sylla non tantúm proscripsit, quos voluit, sed satellitibus tyrannidis suæ idem feré permisit, ut quos vellent in tabulas proscriptorum referrent: ut Catilina de fratre.

Et quoniam' qua de caussa, & quorum caussa ille hoc promulgavit, ostendi; doceat ipse, num ego quem possessorem defendam, cúm Agrariæ legi resisto.[12] & [11] *sylvam Scantiam vendis.* [a] *Respubl. possidet: defendo. Campanum agrum dividis: vos estis in possessione: non cedo. Deinde Italiæ, Siciliæ, cæterarumq; provinciarum possessiones venaleis ac proscriptas hac lege video: 'vestra sunt prædia, vestræ possessiones. resistam atque repugnabo, neque patiar á quoquam populum Romanum de suis possessionibus me Consule* [c] *dimoveri: præsertim cúm vobis nihil quæratur: hoc enim vos in* [c] *errore* [c] *versari diutius non oportet.* [11] [20] *Num quis vestrûm ad vim, ad facinus, ad cædem accommodatus est? Nemo. Atqui ei generi hominum, mihi credite, Campanus ager, & præclara illa Capua servatur. Exercitus contra vos,* [a] *contra* [a] *libertatem vestram, contra Cn. Pompejum constituitur:*

L. Populus R. poss.

contra hanc urbem Capua, contra vos manus hominum audacissimorum, cōtra Cn. Pompejum decem duces comparantur. Veniant corám, & quoniam me in vestram concionem, vobis[c] flagitantibus, convocaverunt, differant.

ET QUONIAM] Confirmata adhuc princeps assumtio est, quód Rullus sua lege Syllanas assignationes defendat. Concluditur igitur deinceps prima quæstio (*Quare Cicero non est Syllanæ tyrannidis patronus,*) & illustratur brevi superioris concionis epilogo, ubi dialogismus & orbis concinnitas est. *Præsertim*] Repetitur de superiore oratione ad finem legis hic syllogismus:

Romani non sunt facinorosi:
Capua facinorosis paratur:
Capua igitur non paratur Romanis.

Complexio præcedit. Propositionis sentētia illa fuit in superiore oratione, Quinque hominum millibus ad vim, facinus, cædemque delectis, &c. *Exercitus*] Illustratio assumtionis, ubi finis legis ad tyrannidem manifestiús refertur, & Pompeji nomen ter antea repetitum bis etiam hic ad extremum repetitur. *Veniant*] Concluditur ad extremum provocatio Tribunorum initio proposita.

ANALYSEOS RHETORICæ & Logicæ in Agrariam tertiam summa.


DE duplici Aristotelicæ explicationis & demonstrationis genere superioribus orationibus satis est dictū. Quamvis igitur brevis hæc sit oratio; spiritus tamen suos ostēdit, & acclamatione duplici expromit. Acclamatio populi adversa initio contigit, *Video quosdā, Quirites, strepitu significare nescio quid,* &c. Quæ tamen oratoris eloquentia non solúm sedata est, sed cōversis plebis animis cōtraria est expressa: *Video vos, Quirites, sicuti res ipsa cogat,*

gat, commoveri vel legis, vel orationis impudentia. Denique militaris illa provocatio, *Veniant coràm, & quoniam me in vestrā concionē, vobis flagitātibus, cōvocavērūt, disserāt;* quid aliud quàm in caussa superiorem oratorē ostēdit? Sed illud est ὅτι, quód persuasus sit populus: διότι veró & quamobrē persuasus sit, ex caussis, ut antea, cognosce. Rhetoricā elocutionē excute: Metonymiam & Metaphorā denis aut cōpluribus locis, Ironiā & Synecdochē paucioribus invenies. E figuris verborum, Anaphorā septē, Epanodō tribus, Polyptoton duodecim, Paronomasiam uno, Numerū insigniorē quatuor, reliquas nusquā. Ita jam potes inductione triū Agrariarum concludere de figuris verborū Anaphorā & Polyptoton frequētissimé adhiberi. E figuris sententiarum Prosopopœjam quandam quatuor, Digressionem uno, ut Apostrophen, & Exclamationem, & Sustentationem, & Licentiā. Sed Sustentatio hic excellit, & ut rara est, sic spectabilis & suspicienda, & in octo consularibus uno tantúm hoc loco adhibita. Retexe logicam & topicæ inventionis exempla locis suis compara, finem duobus locis leges, facta & adjuncta & repugnantia minora ternis locis, majora quinque, dissimilia undecim. observabis formam illam Non hoc, sed illud, quinquies: observabis item (quod jam antea monui) *quanquam* frequenter omitti, ut: *Est invidiosa lex, veruntamen habet excusationem.* Conjugata duobus locis: Partitionis vim quandā quinque; Definitionis duobus; Testimonium autem uno, cætera non reperies. Ut autem finis in secunda Agraria, sic testimonium in tertia principale argumentum est. Dispositio analytica suam hîc etiam laudem habet. Nam & syllogismus in primæ figuræ primo modo ter concluditur, in secundæ tertio semel: in connexis etiam modis aliquoties. Posterioris analyseos & methodi nil admodū hîc esse potuit: quæstio tamen initio ponitur, & uno feré summo argumento ex testimonio legis continuatur. quin κρύψις Aristotelica hic rursus in Rullo carpitur, *Quàm procul à suspicione fugit,* &c. Quamobrē cùm has rhetoricas & logicas persuasionis caussas retexueris, intelligēs διότι, quamobrem Cicero populū Rom. (quem irritatum & infensum invenerat) placaverit, & in suas partes immutatum pertra-

xerit. Cúmque Aristotelis his vestigiis ἐπαγωγῆς, ἱστορίας, ἐμπειρίας, tres Agrarias perlustraris, fructum illum duplicem capies, ut artium (quibus usus est Cicero) virtutes uberiús percipias, & promtiús expeditiúsque exerceas: hominumque eloquentiæ professorum miseram inscitiam miserabere, logicam in oratoribus esse negantium: cúm topicæ inventionis exempla in his orationibus, non dico crebra, sed perpetua & continua; cúm syllogismos plenos tam frequentes, quám in Platonis vel Aristotelis disputationibus agnosces.

FINIS PRÆLECTIONUM
IN TRES AGRARIAS.

M. T.



M. T. CICERONIS IN L. CATILINAM ORATIONES IIII. PETRI RAMI PRÆLECTIONIBUS illuſtratę.

PETRUS RAMUS Lectori S.

TRES Agrariæ Ciceronis orationes, Lector, noſtrum commentationis hujus rhetoricæ & logicæ cõſilium declararunt, quemadmodũ principiis Ariſtotelis & exemplis Ciceronis rhetoricã & logicam artem probãdam & experiendam, & utriuſq; artis probatæ & expertæ uſum exercendum & aſſequendum putarem: idem quatuor his Catilinariis ſtudium perſequimur: & graviſſimæ adverſariæ (quã ſolam adhuc calumniatricẽ habuimus) ignorantiæ perſuadere pergimus, logicæ artis uſum longé præſtantiorem eſſe, quám multis ſcholis adhuc ea perſuaſerit: argumentorũm, ſyllogiſmorum, methodorum, id eſt omnium logicarum virtutum, perpetua in his orationibus exempla tam ſolicité demonſtramus, ut valde verear, ne in re manifeſtiſſima comprobanda nimium ſtudium

alicui ponere videamur. At Regius eloquentiæ professor Lutetiæ inventus est, qui libro multis contra nos barbaris maledictis referto clamaret, nullum logicæ vel inventionis, vel dispositionis usum in foro, in curia, in rostris versari; nullũ deniq; in oratoribus inveniri. Incredibilis quidem, de eloquẽtiæ præsertim professore, ista vox esset, nisi liber editus esset: at publicatus est. Cujus libri caussam si quis putat de artis institutis esse dissensionem aliquam, fallitur: longé alia ratio fuit. Sapiens professor (qui professionis suæ partes non solúm elocutionem & actionem, sed inventioné & dispositionem putaret) regiis stipẽdiis ditatus, repetũdarum actionem aliquam metuebat, cúm per annos decem aureorum duo millia, & opima sacerdotia professionis ejus nomine cepisset: cujus nec artem, nec usum ullum unquam didicisset; nec per naturam, in præstantissima certé facultatis ejus parte, discere unquá potuisset, cúm corpore tam sit aptus ad agendum, quám cæcus ad pingendum. Ergo nemo demonstrationis & inductionis per tot orationes institutæ studium nostrum miretur, sed magnam tantæ contradictionis oppositæ caussam cogitet. Huic enim venusto & sapienti eloquentiæ professori Logicam in eloquentibus hominibus ostendere, & (quia veris necessariisque rationibus in Academiæ defensione id ei non persuasi) jam productis ejus authoris (cujus professione tam fortunatus est) testimoniis & exemplis persuadere cupio: quin etiam, ut discipulis, omninoq; studiis nostris molestus esse desinat, moneo; ut nostris vestigiis Aristo-

ristotelica illa principia, ἱστορίαν, ἐμπειρίαν secutus, eundem Logicę usum in poëtis, in philosophis, in omnib. deniq; logicis animalibus, id est hominibus, perpetuũ experiatur, & animadvertat: á nobisq; pro mille calumniis (quibus ab eo vexati sumus, & quotidie novis vexamur) professionis suę & artem & usum condiscat, tãtumq; bonũ gratis accipiat. De rhetoricis tropis ac figuris eandẽ inductionem, sed leviús, literis & notis confeci: ut a significaret Metonymiã, b Ironiam, c Metaphoram, d Synecdochen; 1 Epizeuxin, 2 Anaphoram, 3 Epistrophen, 4 Symplocen, 5 Epanodum, 6 Epanalepsin, 7 Anadiplosin, 8 Climacem, 9 Polyptotũ, 10 Paronomasiam, 11 Orbem numerosum, 12 Optationem, 13 Deprecationem, 14 Addubitationem, 15 Cõmunicationem, 16 Permissionem, 17 Concessionem, 18 Prolepsin, 19 Prosopopœjam, 20 Dialogismum, 21 Apophasin, 22 Digressionẽ, 23 Apostrophen, 24 Aposiopœsin, 25 Exclamationem, 26 Sustentationem, 27 Parrhesiam. Quibus rhetoricis logicisq; meditationibus, si doctores excitati, quod in grãmaticis orationis partibus, & singulis & conjunctis, antea fecerint; id in rhetoricæ elocutionis, logicæq; inventionis ac dispositionis partib. efficiant, sibiq; persuadeant, ut pingendi, ut ædificandi; sic dicendi, disserendi opifices egregios, artium quidem præceptis adjuvari, sed exemplis, sed opere, sed assidua meditatione, imitatione, exercitatione, diligẽtiæ deniq; omnis ac laboris cõtentione effici: id erit divinis auspiciis persuasum, tandem & impetratũ, quod tantopere persuadere & impetrare cupio.

PETRI RAMI IN CATILINArias Ciceronis orationes Præfatio.



QUO *facilius quatuor orationum in Catilinam habitarum argumentum cognoscatur, Catilinæ mores, quibus præcipua conjurationis caussa continetur, prius explicandi sunt: deinde proponendus conjurationis eventus. Atque in moribus illud est animadvertendum, quod á Platone sexto de Repub. scriptum est, si philosophi, id est, præstantis & excellentis viri natura* ἀρτιμελὴς τε καὶ ἀρτίφρων, *corporeque & animo perfecta, in proprio & naturali germana disciplina solo sata sit & exculta, hominem hominum optimum, regemq; futurum: sin autem in alieno contrarioq; prava disciplina solo plantetur atque alatur, hominem hominum pessimum, & tyrannum futurum: summaq; prorsus & naturæ & fortunæ bona, summorum malorum instrumenta fore, si pravam disciplinam, pravam scholam, pravum magistrum nacta sint: quæ omnia Catilinæ ad improbitatem singularem summa contigerunt. Nam claro & patricio genere, vi corporis animiq; maxima cúm natus esset, in omnium vitiorum & scholam & magistrum incidit. Romani quippe mores Marianis quidem discordijs primúm vehementer labefactati, Syllana veró dominatione prorsus corrupti sunt. Veteres enim Curij, Fabricij, Cincinnati, Calatini, cæteriq; similes, Romani imperij authores cúm laude & gloria superiores, fortunis & voluptatibus inferiores esse, pulchrum putarent: sapientiam in pace, fortitudinem in bello, justitiam, temperantiam in utroque tempore, sed in pace præsertim adhibebant. Sylla primus exercitum luxuriosé & indulgenter habere cæpit: ibiq; primúm Romanus miles amare, scortari, potare, signa tabulasq; vasa mirari, rapere sacra profanaq; spoliare cæpit: perinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti. Atque hæc vitia cúm suis Sylla permitteret, inprimis sibi uni permisit, Dictatorque, non potiús populi magister, quám trium pestiferorum vitiorum, avaritiæ, libidinis, crudelitatis*

litatis fuit, ut ait Cicero. Igitur tam corruptam Romanorum morum scholam, tam perditum scholæ magistrum Syllam cùm nactus esset Catilina, facilè omnia naturæ fortunæque bona in contraria vitia convertit: inediæ, vigiliæ, algoris, suprà quàm cuiquam credibile sit, patiens erat: illa videlicet naturalia fortitudinis & temperantiæ semina fuerant: quæ vide quo pacto sub illo magistro exercuerit. Fortitudo servandis civibus excellere debuit: at (ut nihil de cædibus obscurorum hominum dicam) L. Cæcilium, M. Volumnium, L. Tantasium, Marium Gratidianum populo charissimum & Ciceroni pernecessarium contrucidavit, Mariique cruentum caput, & adhuc animæ spiritusque plenum, ad Syllam usq; ab Janiculo ad ædem Apollinis manibus suis detulit: fratrem (ait Plutarchus) interemit, & judicium metuens, Syllæ permissu in proscriptos retulit: uxoris etiam prioris cædem videtur ei Cicero objicere: & (quod Cicero non audet dicere) ut Orestillam duceret, quæ privignum adulta jam ætate metuebat, filium crudelissimè necavit. Hæc ad Syllanæ scholæ disciplinam, fortitudinis exempla Catilina discipulus edidit. Quid temperantiæ? Nefanda stupra fecit, non solùm cum plerisque ignotis, sed cum nobili virgine, cum sacerdote Vestæ, aliaque hujuscemodi contra jus fasq;. Quin ad hujus generis flagitia in Catilinam Cicero togatus ait: Cúm deprehendebare in adulteriis, cúm deprehendebas adulteros ipse, tum ex eodem stupro tibi & uxorem & filiam invenisti. *Quo loco Asconius ait filiam ex stupro conceptam, Catilinæ uxorem fuisse. Nec verò justitiæ minora exempla sunt ab homine (ut ab eodem togato dictum est) Verris familiarissimo expectanda, rapere undecunq; libuit ac potuit: sed Prætor in Africam ita venit, tanquam ad diripiendam, non regendam provinciam mitteretur: indeq; reversus cùm repetūdarum accusaretur, P. Clodium prævaricatorem adhibuit, summaque fraude leges, quæstiones, judicia violavit: atque hac de re in eum Cicero togatus exclamat,* O miser, qui non sentias illo judicio te non absolu-

tum, verùm ad aliud severius judicium, ac majus supplicium esse reservatum! *Quid ingenii? quid sapientiæ? quæ vis fuit? loquentiæ satis, sapientiæ parum, vastus animus, immoderata, incredibilia semper appetens, color exanguis, fœdi oculi, citus modò, modò tardus incessus, prorsus in facie vultuque vecordia inerat, animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat, ita conscientia mentem excitam vastabat. Hi mores Catilinæ, hoc ingenium fuit: sic in scholis Romanæ sub magistro Sylla formatus & institutus (ut pares cum paribus facile congregantur) omnium flagitiosorum atque facinorosorum, præsertim Syllanorum, circum se tanquam stipatorum catervas habebat: impudicorum, adulterorum, ganeonum, decoctorum, obæratorum, parricidarum, sacrilegorum, judiciis convictorum, aut pro factis judicium metuentium, perjurorum, sicariorum. imò etiam quam disciplinam didicerat, tanquam magister artis factus esset, sic alios edocuit, inprimisque adolescentium molles & fluxos animos, quos in familiaritatem suam pellexerat, moribus suis imbuebat: aliis scorta præbere, aliis canes & equos mercari, denique neque sumtui, neque modestiæ suæ parcere, dum illos suis illis artibus obligaret, eorumque opera falsa testimonia, signa subjiciebat, circumveniebat, jugulabat: denique, ut Ciceronis pro Cælio verbis, Catilinæ optimam naturam pessimis moribus corruptā concludam:* Habuit Catilina permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum: utebatur hominibus improbis multis: & quidem optimis se viris deditum esse simulabat. erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam industriæ quidam stimuli ac laboris: flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam studia rei militaris. neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturæ studiis cupiditatibusq; conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando?

do? quis tetrior hostis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? Illa veró, Judices, in illo homine mirabilia fuerunt: comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat, servire temporibus suorum omnium, pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, & audacia: versare suam naturam & regere ad tempus, atque huc & illuc torquere & flectere: cum tristibus severé, cum remissis jucundé, cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriosé vivere. Hac ille tam varia multiplicique natura, cúm omnes omnibus ex terris homines improbos, audacesque collegerat, tum etiam multos fortes viros & bonos specie quadam virtutis assimulatæ tenebat: neque unquam ex illo delendi hujus imperii tam sceleratus impetus extitisset, nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis & patientiæ radicibus niteretur. *Hæc Cicero: quibus concludit, quod concludere volumus, conjurationis caussas in illius moribus fuisse. Tyrannum magistrum Catilina tyrannicæ disciplinæ habuerat, æmulatione magistri tyrannidem affectabat, finis conjurationis fuit: cædibus & artibus nequissimis Sylla sibi tyrannidem quæsierat: Catilina vestigiis iisdem insistebat. Ergo hæ conjurationem caussæ præcesserunt. Conjuratio autem duplex fuit. Prior L. Tullo, M. Lepido Coss. P. Antronius & P. Sylla designati Consules, legibus ambitus interrogati, pœnas dederant. Post paulò Catilina, repetundarum reus, prohibitus erat petere Consulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piso adolescens nobilis, summa audacia, egens, factiosus, quem ad perturbandam Rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina & Autronius circiter Nonas Decembris communicato consilio parabant in Capitolio Calendis Januarii L. Torquatum & L. Cottam Consules interficere: ipsi fascibus correptis Pisonem*

cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita, rursus in Nonas Februarias consilium cædis transtulerant. Jam tum non Consulibus modò, sed plerisque Senatoribus perniciem machinabantur: quòd ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessimum facinus patratum foret: quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit. Postea Piso in citeriorem Hispaniam Quæstor pro Prætore missus est, adnitente Crasso, quòd eum infestum inimicum Cn. Pompejo cognoverat. neque tamen Senatus provinciam invitus dederat: quippe fœdum hominem à Republ. procul esse volebat; simul quia boni complures præsidium in eo putabant: & jam tum potentia Cn. Pompeji formidolosa erat. Sed is Piso in provinciam ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt qui ita dicunt, imperia ejus injusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati. Alii autem equites illos Cn. Pompeji veteres, fidosque clientes, voluntate ejus Pisonem aggressos; nunquam Hispanos præterea tale facinus fecisse, sed imperia sæva multa antea perpessos. Posterior conjuratio triennio postea agitari cœpta est, cum nullus in Italia exercitus esset, & Mithridaticis bellis Pompejus procul impediretur, & Catilina consulem se cum Autronio futurum speraret. Atque ubi Catilina omnia satis explorata perspexit, in unum omnes convocat. Eò convenere senatorii ordinis, Publ. Lentulus Sura, Publ. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, Publius & Servius Sylla Servii filii, L. Varguntejus, Q. Annius, M. Porcius Lecca, L. Bestia, Q. Curius: præterea ex equestri ordine M. Fulvius nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius: multi præterea è coloniis & municipiis domi nobiles: præterea hujusce consilii participes, ac pleraque juventus nobilium Catilinæ cœptis favebat. Quidam M. Crassum hujusce consilii non ignarum existimant fuisse. Hos igitur universos Catilina cohortatur, & præmia bellis,

belli, novas tabulas, proscriptiones locupletum proponit, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia quæ bellum ac victorum libido fert: & iis petitionem suam commendat: atque etiam vulgatum est, ad impii sceleris confirmandam pactionem, singulos humanum sanguinem vino permistum bibisse. Omnia Catilinæ consilia interea Qu. Curius Fulviæ, cum qua vetus ei fuerat stupri consuetudo, aperuit: per quam deinde multis communicata: eaque res Ciceroni ad consulatum nobiles, cæterosque, qui novitati hominis adhuc invidebant, metu conciliavit. Ergo cùm præposito Cicerone repulsus esset Catilina, furere vehementiùs cœpit, arma, pecunias, omnis generis homines sibi comparare, per mulieres etiam impudicas viros earum & urbana servitia solicitare, in annum sequentem Consulatum petere, Ciceroni insidias parare, quin eum ipsis comitiis consularibus confodere statuit. sed Cicero per Fulviam omnia rescivit, & Catilinam ipsum ea de re interrogavit in Senatu. Sed Catilina existimans plerosque esse rerum novarum cupidos, simul ut audaciam suam amentiæ suæ sociis ostentaret, Consulem ænigmate illo, quod apud Plutarchum est in Cicerone, derisit. Cùm duo corpora sint, ait, quorum alterum tenue & ægrum sit, caput tamen habeat; alterum validum & magnum, sed sine capite: quid mali facio, si ipse me huic caput superimpono? Hoc ænigmate Cicero territus, lata (ut ait in Murenæ defensione) & insigni lorica, quam modicè scissa toga ad significationem periculi civibus ostendebat, armatus, & magna civium manu stipatus, in campum descendit, Catilinaque repulsus iterum est factis Murena & Syllano Consulibus. Quare quod adhuc occultè tentaverat, bello persequi statuit: Hetruriam, Apuliam, Agrum Picenum solicitare, Romæ omnia movere: quæ cùm nihil procederent, per M. Porcium Leccam socios convocat. Ibi Cornelius & Varguntejus interficiendum Ciceronem suscipiunt: sed Cicero per Fulviam monitus, advenien-

tes domo prohibuit: cùmque per Manlium exercitum Catilinæ in Hetruria pararet, & Cicero privato consilio urbem ampliùs tueri non posset, rem ad Senatum retulit. Senatus decrevit ut darent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti caperet. Martius in Hetruriam, Metellus Creticus in Apuliam, Metellus Celer in agrum Picenum mittuntur, iisque permittitur, ut exercitum comparent. ad hoc, si quis indicasset de conjuratione, quæ contra Rempublicam facta erat, præmium servo libertatem, & sestertia centum; libero impunitatem ejus rei, & sestertiorum ducenta millia. Item, uti gladiatoriæ familiæ Capuam & in cætera municipia distribuerentur, pro cujusque opibus; Romæ per totam urbem vigiliæ haberentur, hisque minores magistratus præessent: quibus rebus civitas vehementer permota & immutata urbis facies erat. Tum igitur Cicero in ædem Jovis Statoris Senatum vocat, ad quem Catilina publicis præsidiis nihil territus, licet etiam Plotia lege de vi interrogatus, tamen venit dissimulandi caussa, aut sui expurgandi, sicubi jurgio lacessitus foret: sed eum Senatus sic aversatus est, ut subsellia, ad quæ venerat, ejus adventu vacua facta sint. Historia conjurationis adhuc in Cicerone & Sallustio & Plutarcho ejusmodi est: Reliqua, quod opus erit, suis postea locis dicentur. In Senatu sententiæ duæ fuerunt: altera severior, interimendum; altera mitior, emittendum esse Catilinam. Cicero utranque disputat, mitiorem tamen sequitur: prior sententia tractatur in proœmio, & prosopopœja contra Ciceronem: Catilina interimendus est, quia perniciosus civis: at refellitur, quia id crudele videretur, conjuratione omnibus nondum patefacta, quia reliquiæ conjurationis residerent: altera quæ speciem consilii magis, quàm imperii prætexit, reliqua oratione tractatur. Abeat Catilina ex urbe, vel in exilium; quia conjuratio ejus patet; quia civibus suspectus & infensus est; quia senatorum, equitum, bonorumque omnium, imò etiam suo judicio

judicio damnatus est; quia id Ciceroni inVidiosum est: Vel ad bellum contra patriam, quia id Ciceroni gloriosum, Catilina meditatum, & jucundum, patriæ commodum, ut conjuratio penitus extinguatur.

M. T. CICERONIS IN L. CATILINAM ORATIO PRIMA IN SENATU habita; P.Rami prælectionibus illustrata.



[25] VOUSQUE *tandem abutêre Catilina[a] patientia nostra? quám diu nos etiam[a] furor iste tuus[c] eludet? quem ad finem sese[c] effrenata[c] jactabit[a] audacia?* [2] *Nihilne te nocturnum[a] præsidium palatii, nihil[d] urbis[a] vigiliæ, nihil[a] timor populi, nihil[a] consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum[a] ora vultusque moverunt?* [c] *Patêre tua consilia non[c] sentis?* [c] *constrictam jam omnium horum conscientia[c] teneri[a] conjurationem tuam non[c] vides?* [2, 9, 11] *Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?* [25] *O[a] tempora! O[a] mores!* [a] *Senatus" hoc intelligit,* [d] *Consul videt: hic tamen[7] vivit: vivit? imó veró" etiam in Senatum venit: fit publici consilii particeps:* [c] *notat & designat oculis ad cædem unumquemq; nostrum: nos autem viri fortes satisfacere Reipublicæ videmur, si istius[a] furorem ac tela vitemus.* [21] *Ad mortem te Catilina duci jussu[d] Consulis jampridem oportebat, in te[c] conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jam diu[c] machinaris.*

L. hæc etiam *L. nō legit.*

PRIN-

PRINCIPIO disputatur caput deliberationis de morte Catilinæ, quæ sententia Catonis est, Luculli, & quorundam aliorum optimatum, quorum judicium postea tanquam judicium patriæ describetur. Summa procœmii in hunc ex adjunctis personæ syllogismum inclusa, sententiam hanc continet:

Perniciosi cives sunt morte multandi:
Catilina perniciosus est civis:
Catilina igitur morte multandus.

Partes varié exaggerantur. Assumtionis sententia præcedit, quód Catilina sit perniciosus, quia impudens, furiosus, audax, conjuratus; sed postremum secundo loco. Hic syllogismus repetetur in prosopopœja hujus orationis cōtra Ciceronem. *Quousque*] Apostrophe est initio in adversarium (ut recté Quintilianus docet) ubi notabis *περίφρασιν* impudentis, qui aliena patientia diutius abutatur. *Eludere*] Est ludo finem imponere, quod victores gladiatores victis scilicet insultantes facerent: unde nunc ista metaphora, *quandiu nos furor iste tuus eludet?* pro, quandiu furiosus nobis tanquam victis insultabis? Hac metaphora Terentius in Eunucho dixit, Periisti, eludet, ubi te victum senserit. *Effrænata*] Metaphora est ab equis, qui fræno cohiberi non possunt; quæ rursus postea: Quó te jampridem tua ista effrænata ac furiosa cupiditas rapiebat? *Jactabit*] Ostentare pro eodem póst erit: Habes ubi ostentes præclaram illam tuam patientiam, &c. *Nihilne*] Approbatio est audaciæ & furoris ex subjectis rebus, quibus Catilina nihil moveatur. Ut enim prodigus & effusus in pecuniis, sic furiosus & audax in periculis cernitur. Audacia in malam partem á Cicerone usurpatur, pro vitiosa fortitudinis exuperantia. Tum veró exercitus erant per Italiam armati, Romæ præsidium & vigiliæ dispositæ, indicibus præmium propositum (ut in argumento dictum est:) Catilina tamen nihil his periculis movebatur. *Consensus*] Aldus legit *Concursus*. Quintilianus tamen *Consensus* legit, pro quo *Consensio* póst erit. *Senatus*] Senatus tum in templo Jovis Statoris habitus est, ut duobus in hac oratione locis significatur: Atque huic ipsi

Jovi Statori,&c. Quem Statorem hujus urbis,&c. *Ora, vultusq;*] Advenientem Catilinam nemo salutavit, quin omnes ea subsellia deseruerunt, ad quæ Catilina accessisset, ut póst erit. Ergo hos commotos vultus Cicero significat. *Patere*] Altera & præcipua assumtionis ratio est ex Catilinæ facto & facti adjuncto, quód conjuraverit, & conjuratio ipsa manifesta sit: ubi notabis criminis & loci circumstantias. *Constrictam*] Metaphora est á deprehensis, & in vincula conjectis. Sic enim proprié Terentius ait, Constringe quadrupedem: & simili tropo Agraria prima Cicero, Ut Italiam omnibus vinculis devinctam & constrictam teneretis. *O tempora*] Complexionis sententia est (*Quare Catilina morte multandus:*) sed involvitur proxima ratione per dissimilitudinem repetita: quãvis conjuratio manifesta sit, tamen Catilina vivit. Varius ornatus est. *O tempora*] Exclamatio est, quam Martialis ut insignem notavit:

Dixerat ó mores, ó tempora, Tullius olim,
Sacrilegum strueret cùm Catilina nefas.

Notat & designat] Allegoria videtur á fabris opera sua signo aliquo notantibus. *Nos autem*] Reprehensio est ignaviæ consularis ex dissimili complexionis, quód Catilina metuatur, non occidatur: sæpius veró postea repetitur, & videtur ad Ciceronis levandam invidiam spectare, qui non jubeat interfici Catilinam, cúm tamen possit, & debeat. *Ad mortem*] Complexio jam manifestior est, simili amplificata: Quare Catilina morte multandus est, & sic afficiendus, ut cives suos afficere vult. *Machinaris*] Metaphora ab architectis: cujus generis in Agrariis sunt illæ, Omnium rerum machinatoribus,&c. Ad illius opes evertendum tanquam machinam comparari.

An veró vir [c] *amplissimus P. Scipio pontifex maximus Tib. Gracchum mediocriter* [c] *labefactantem* [c] *statum* [a] *Reipublicæ privatus interfecit? Catilinam* [d] *orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem nos Consules perferemus?* [a1] *Nam illa nimis antiqua prætereo, quód Q. Ser-*

Servilius[v] *Hala Sp. Melium novis rebus studentem manu sua occidit.* [t] *Fuit, fuit ista quondam in hac*[a] *Republica*[a] *virtus, ut viri fortes*[c] *acrioribus suppliciis civem perniciosum, quám*[c] *acerbissimum hostem coercerent.* [u] *Habemus enim Senatusconsultum in te Catilina vehemens &*[c] *grave: non*[y] *deest Reipublicæ consilium, neque authoritas hujus ordinis:*[t] *nos, nos, dico*[c] *aperté, Consules desumus. Decrevit quondam*[a] *Senatus, ut L. Opimius Consul*[c] *videret, ne quid*[a] *Respublica detrimenti caperet: nox nulla intercessit:*[v] *interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus*[c] *clarissimo patre natus, avis, majoribus: occisus est cum liberis M. Fulvius Consularis. Simili Senatusconsulto C. Mario & L. Valerio Consulibus permissa est Respublica.*[v] *num unum diem postea L. Saturninum Tribunum plebis, & C. Servilium mors á Republica pœna*[c] *remorata est? At nos vigesimum jam diem patimur*[c] *hebescere aciem horum authoritatis. habemus enim hujusmodi Senatusconsultum, veruntamen*[c] *inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum:*[v] *quo ex Senatusconsulto confestim interfectum te esse Catilina convenit.*[7] *Vivis: &*[u] *vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.*

L. Ahala

V. C. mox interf.

L. num un. d.p. L. Saturnini, tribuni pl. & C. Servilii prætoris, mortem ac pœnam, coiú dignitas remorata est?

al. quod Senatusc. õsul-tũ conf. int. te esse, Catilina, cúm velit, vivis: & v.

AN VERÓ] Sententia propositionis sequitur, *Perniciosi cives sunt morte multandi*, comprehensa & illustrata inductione sex exemplorum, Tiberii, Spurii, Caji, Fulvii, Saturnini, Servilii. Primum præsenti complexioni tanquam minus comparatur, de quo Plutarchus in Gracchis. *Scipio*] Hic Scipio est Serapion cognominatus,

nepos Scipionis, qui eſt vir optimus á Senatu judicatus, ut ex Chronologia percipi poteſt. *Mediocriter*] Leges agrarias tum Gracchus ferebat, de quibus nos in argumento Agrariarum: & Scipio Tribunitia cæde pollutus, coactus eſt ſpecie legationis Roma profugere, & in Aſia pauló póſt obiit. *Privatus*] Pontifex tamen erat maximus; ſed privatus eſſe, & cum imperio eſſe, contraria ſunt: at ſacerdotes tum imperium non habuere. Quin (ut ait Ariſtoteles quarto Politico) non omnes miniſtri publici ſunt magiſtratus, ut ſacerdotes, præcones, choragi. *Nam illa*] Secundum exemplum per ἀπόφασιν, de quo Livius abunde libro quarto, cúm magna Romæ fames eſſet, & Sp. Melius populo frumentum largiretur, ejus largitionis præmium patres regnum eſſe ſuſpicati, dictatorem contrá L. Quintium Cincinnatum fecere, á quo factus equitum magiſter Servilius Hala Melium dictatoris imperio non obtemperantem interemit. *Fuit, fuit*] Sententia propoſitionis generaliter hîc exprimitur, & augetur collatione minorum, quód in hoſtes ſupplicium ſit minus. *Coercerent*] Verbum eſt politicum, & in magiſtratu proprié dicitur. Magiſtratus nec obedientem, & noxium civem, multa, vinculis, verberibúſve coërcento, ait 3 Legum Cicero. Hinc coërtio, in ſubditos imperium. *Habemus*] Aſſumtionis ratio tertia eſt, quód Catilina ſit pernicioſus civis. Prima fuit, quia impudens, furioſus, audax: ſecunda, quia in patriam conjuratus: tertia nunc igitur eſt ex Senatus authoritate, quód etiam á Senatu damnatus. *Non deeſt*] Arguitur iterum eodem complexionis diſſimili ignavia conſularis. *Decrevit*] Tertium & quartum exemplum de cæde Caji & Fulvii ſuis cauſſis & adjunctis ornatum, de quibus Plutarchus in Gracchis. Seditiones autem quas hîc Cicero nominat, Agrariæ aſſignationes erant, de quibus nos in argumento Agrariarum. *Detrimenti*] Ea poteſtas, ait Salluſtius, per Senatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque cives, domi militiæq; ſummum imperium judiciumque habere: aliter ſine populi juſſu nulli earum rerũ Conſuli jus erat. *Clariſſimo*] Pater Caji fuit Tiberius Sempro-

pronius Gracchus, duobus consulatibus & totidem triumphis, item Censura insignis; avus maternus, Africanus superior: Fulvius autem consul fuerat, & de Gallogræcis triumphaverat. *Simili*] Quintum & sextum exemplum, de quibus pro Rabirio perduellionis reo Cicero multa, & Plinius in viris illustribus de Saturnino. *At nos*] Tertia est ignaviæ cõsularis reprehensio ex eodem dissimili, quód non ex S.C. Catilina interficiatur, sed metuatur. Allegoria ab obtusis gladiis, quæ mox expressa similitudine declaratur. *Quo ex Senatusconsulto*] Dissimile idem sine allegoria, & quidem quarto loco iteratur. *Vivis, & vivis*] ἀναδίπλωσις & correctio eadem quæ priús: ubi notabis *&* ἐμφατικώτερον esse, pro imó veró.

[b] *Cupio, P.C. me esse clementem: cupio in tantis*
[a] *Reipubl. periculis non* [c] *dissolutum videri: sed*
jam meipsum inertiæ, [c] *nequitiaque condemno.*
Castra sunt in Italia contra [a] *Rempublicam in*
Hetruria [c] *faucibus collocata: crescit in dies singu-*
los hostium numerus: eorum autem imperatorem
castrorum, ducemq; hostium, intra [d] *mœnia, atque*
adeó in Senatu ″ *videmus, intestinam aliquam* *al.* videtis,
quotidie [c] *perniciem* [a] *Reipublicæ* [c] *molientem.*
[b] [11] *Si te jam, Catilina, comprehendi, si interfici*
jussero; [b] *credo, erit verendum mihi, ne non hoc*
potiús omnes boni [c] *seriús á me, quám quisquam*
crudeliús factum esse ″ *dicat. Verúm ego hoc, quod* *al.* dicant.
jampridem [9] *factum esse oportuit, certa de caussa*
nondum adducor ut faciam. tum denique interfi-
ciam te, cúm jam nemo [2] *tam improbus, tam perdi-*
tus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non jure
factum esse fateatur. Quandiu quisquam erit, qui
te defendere audeat; [7] [9] *vives: & vives ita, ut*
nunc vivis, multis meis & firmis [a] *præsidiis* [c] ″ *ob-* *quid.* op-
sessus, ne [c] *commovere te contra* [a] *Rempublicam* pressus,

possis.multorum te etiam [a] oculi & [a] aures nō [c] sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atq; custodient.

CUPIO] Hactenus procemium fuit: ejus deinde sententia specie quadam dividitur. Cicero clemens esse vult in tanto Reipublicæ periculo, sed ignavus est: tanquam diceret quod alibi dicit, natura mea clementiam, Respublica severitatem desiderat: quæ duplices senatorum sententiæ sunt. Alii enim severitatem, alii lenitatem sequebantur: ignaviam veró Cicero lenitatem suam vocat, & approbat subjectis periculis. *Nequitiaque*] Sic in eadem oratione postea, Invidia inertiæ ac nequitiæ pertimescenda. Metaphora est á dissoluta libidine, quæ proprié ita dicitur, ut,

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem:

ait 1 Fastor. Ovidius. metaphora, inquam, illinc est ad dissolutam incuriam significandum. *Faucibus*] Hac metaphora significat angustias loci, ut de Corintho Agraria secunda dixit: Erat posita in angustiis atque in faucibus Græciæ. Intelligit autem hic Fesulas in media Hetruria, qui vicus nunc exiguus est. Eó enim Manlius manum militum conducebat. *Eorum castrorum*] Definitio est Catilinæ ex adjunctis. *Atque adeó*] Correctio est per collationem majorum. Sic pro Planco, Infector, posco, atque adeó flagito. *Adeo* autem aliquando secus: ut, Ego princeps in adjutoribus, atque adeó secundus. *Si te jam*] Disputat sententiam suam in partibus clementiæ ex adjunctis:

Si te jam interfici jussero, cúm tua conjuratio nondum omnibus pateat, mali crudeliter factum esse dicent:

Sed tum jubebo, cúm tua conjuratio omnibus patebit:

Quare nemo tum crudeliter factum esse dicet.

Assumtionis & complexionis sententia confusa est. *Similis*] Periphrasis hominis nequissimi ex Catilinæ similitudine. *Quandiu*] Iteratur eadem ratio ad bonos confirman-

firmandum: fortitudo & providentia Consulis ostenditur. *Oculi & aures*] Ejusmodi exploratores & custodes Aristoteles appellat quinti Politic. cap. 11. ποταγωγίδας (qui communiter προσαγωγίδαι dicuntur) item ὠτακουστάς.

Etenim quid est Catilina, quod jam ampliùs expectes, si neque [a] nox tenebris obscurare [a] cœtus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem [a] conjurationis tuæ potest? si [c] illustrantur, si [c] erumpunt omnia, muta jam istam [a] mentem, mihi crede: obliviscere cædis atque incendiorum. [c] Teneris undique. luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quæ etiam mecum licet recognoscas. Meministine me ante diem XII. *Calend. Novembr. dicere in Senatu, certo die [?] fore in armis, qui [?] dies futurus esset ante diem* VIII. *Calend. Novembr. C. Manlium [a] audaciæ satellitem atque administrum tuæ? Num me fefellit, Catilina, non modò res [?] tanta, [?] tam atrox, tam incredibilis: verùm, id quod multò magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in Senatu, cædem te optimatum contulisse in ante diem* V. *Calend. Novembr. tum cùm multi principes [d] civitatis Romæ, non tam sui conservandi, quàm tuorum consiliorum reprimendorum caussa, profugerunt. num inficiari potes, te illo ipso die [?] meis [a] præsidiis, mea diligentia [c] circũclusum, [c] commovere te contra [a] Rempubl. non potuisse, cùm tu discessu cæterorum, nostra tamen, qui remansissemus, cæde contentum te esse dicebas? Quid? cùm te Præneste Cal. ipsis Novembr. occupaturum nocturno impetu esse cõsideres: [c] sensistine illam [a] coloniam [?] meo jussu, meis [a] præsidiis, [a] custodiis, [a] vigiliis esse munitã?*

L. tamque incr.

ᵃ *Nihil agis, nihil ᶜ moliris, nihil cogitas, quod ego ᵈ non modó audiam, sed etiam ᶜ videam, ᶜ planeq; ᶜ sentiam.*

fort. nõ modó non aud.

ETENIM] Tractatur deinceps ad clementiæ partes continuandum procemii secunda ratio de conjuratione:

Si conjuratio tua pateat, muta mentem, & abi:
Sed primum:
Secundum igitur.

Propositio dissimilibus ornatur. *Teneris*] Assumtio antecedentis (*Sed tua conjuratio patet:*) ad cujus probationem attentio excitatur. Inductio autem est longæ Chronologiæ. Prima pars de armis comitiorum consularium die ad necandum Ciceronem sumtis, exornata adjunctis temporis, personæ, caussæ. *Meministi dicere*] Cicero aliquando præteritum cum præterito *memini* conjungit: ut, Memini permisisse, ad Atticum. Item, Memini distribuisse, pro Roscio: item, defuisse, pro Milone. Frequentiús tamen cum præsenti conjungit, ut hîc: in eoque Valla labitur, qui Maronis illud,

Cantando puerum memini me condere soles,

ad poëticam licẽtiam refert, nec usitatum in prosa sermonis hoc genus existimat. *Ante diem* VIII. *Calend.*] Hinc observabis quantó tempore Consulatus priús designabatur, quám iniretur. XXIIII. Octob. dies hic est. At Consulatus Calendis Januarii inibatur. Hoc autem die comitiorum, Cicèro Catilinam excitavit in Senatu, deque his interrogavit, ut in argumento diximus. *C. Manlium*] Hic postea belli faciendi princeps fuit, & ei Catilina in prælio dextrum cornu attribuit. Hunc Manlium Plutarchus Malium vocat, & quondam sub Sylla strenué militasse dicit. *Dixi ego*] Secunda pars de cæde optimatum adjuncto metu illustrata. *Non tam sui conservandi*] Hæc oratio usu congrua est, non arte: *Sui* enim pluralis est numeri: *Conservandi* singularis. Sic in Divinatione, Dolebas tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse, &c. Valla genus hoc sermonis non satis consideraté reprehendit. *Num infitiari*]

Mode-

Modeſta prudentia & fortitudinis ſignificatio eſt in providendo & propulſando periculo: ex effectis Ciceronis & dictis Catilinæ argumentum eſt. *Quid*] Tertia pars de occupando Præneſte, ubi rurſus virtus Conſulis oſtenditur. Oppidum autem hoc, Romæ vicinum eſt. *Nihil agis*] Cõplexio ſuperioris inductionis majorum collatione aucta.

Recognoſce mecum tandem [a] noctem illam ſuperiorem: jam intelliges multó me vigilare [c] acriús ad ſalutem, quám te ad perniciem [a] Reipublicæ. Dico te priori nocte veniſſe inter falcarios (non agam [c] obſcuré) in M. Leccæ domum: conveniſſe eodem complures ejuſdem [a] amentiæ ſceleriſq; [c] ſocios: num negare audes? quid taces? convincam, ″ ſi negas. video enim eſſe hic in [a] Senatu quoſdam, qui tecũ una fuere. [11] O dii immortales! ubinam gentium ſumus? quam [a] Rempub. habemus? in qua urbe vivimus? [1] Hic, hic ſunt, in noſtro numero, P.C. in hoc [d] orbis terræ ſanctiſſimo, [c] graviſſimoq; cõſilio, [1] ″ qui de meo noſtrûmq; omnium interitu, qui de hujus [10] urbis, atq; adeo [d] [a] orbis terrarum exitio cogitent. hoſce ego video Conſul, & de Repub. ſententiam rogo: & quos [a] ferro trucidari oportebat, eos nondum voce [c] vulnero. [11] Fuiſti igitur apud Leccam ea nocte, Catilina: diſtribuiſti partes Italiæ: ſtatuiſti quó quemq; proficiſci placeret: [11] delegiſti [1] quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres: deſcripſiſti urbis partes ad incendia: cõfirmaſti teipſum jam eſſe exiturum: dixiſti paululum tibi eſſe etiam tum moræ, quód ego viverem. reperti ſunt duo equites Romani, qui te iſta cura liberarent, & ſeſe illa ipſa nocte pauló ante [d] lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur.

al. ſi negabis.

al. qui de noſtro omniũ int.

RECOGNOSCE] Secundus attentionis locus ad ſequẽ-

tium expositionem, ubi collatione minorū virtus eadem Consulis ostenditur. *Dico te*] Postrema pars inductionis de superioris noctis consilio adjunctis illustrata. *Falcarios*] Falx bellicum instrumentum adunco ferro præfixum, & navale & murale erat. Cæsar tertio belli Gallici, Una erat magno usui res pręparata á nostris, falces peracutæ, insertæ, affixæque longuriis, non absimili fórma muralium falcium. Erat etiam falx, instrumentum quod instar hastæ gestari posset, quale fortassis est quod Francis *rancon* appellatur, ad pungendum, cædendum, trahēdum. Ergo Catilinæ satellites & ministri illis armis erant armati, nec á fœnisecis metaphora est. *Num negare*] Urget confessionem Catilinæ silentio, & præsentium quasi testimonio. *O dii immortales*] Digressio per exclamationem ad exaggerandam præsentis status indignitatem ex loci circūstantia, quód conjurati sint in Senatu: iteratur autem res definitione Curiæ ex adjunctis, & definitione conjuratorum ex eorum factis: item facto Consulis qui videat, nec puniat tamē. In postremo, majorum collatio est. *Fuisti igitur*] Regressio ad narrationem, qua sigillatim partes exponuntur. Catilina autem Hetruriam Manlio, agrum Picenum Septimio, Apuliam Julio assignarat: duodecim opportuna urbis loca ad incendia delegerat, quibus Statilius & Gabinius præfecti essent. *Duo equites*] Sallustius hos nominat, Cornelium & Varguntejum: sed Varguntejum senatorem facit.

Hæc ego omnia, vix dum etiam [a] *cœtu vestro dimisso, comperi: domum meam majoribus* [a] *præsidiis munivi atque firmavi: exclusi eos, quos tu mané ad me salutatum miseras, cúm illi ipsi venissent, quos ego jam multis ac summis viris ad me venturos id temporis esse prædixeram. Quæ cúm ita sint, Catilina, perge quó cœpisti, egredere aliquando ex* [d] *urbe: patent portæ: proficiscere. nimiúm diu te imperatorem illa tua Manliana* [a] *castra desiderant. educ tecum etiam omnes tuos: si minús, quám plurimos:*

rimos. [c] *purga* [d] *urbem: magno me metu* [e] *liberabis, dummodò inter me atque te murus intersit. Nobiscum* [c] *versari jam diutius non potes:* [a] *non feram, non patiar, non sinam. Magna diis immortalibus habenda est gratia, atq; huic ipsi Jovi Statori, antiquissimo custodi hujus urbis, quod hanc* [a] *tam* [c] *tetram, tam* [c] *horribilem, tamq; infestam* [a] *Reipublicæ* [c] *pestem toties jam* [c] *effugimus. Non est sæpius in uno homine* [e] *salus summa periclitanda* [a] *Reipublicæ.*

L. liberaveris,

L. salus summæ rei periclitāda. Vel, salus summæ reip. periclitanda.

Haec ego] Tertius est locus de provisione & cautione Consulis ex ipsius facto. *Quæ cum*] Complexio syllogismi pauló plus quám positum erat complexa, quæ variis adjunctis & factis amplificatur. *Murus intersit*] Hic locus citatur á Plutarcho in Cicerone: Decet ut inter orationes nostras & gladios tuos murus urbis medius intersit. Et pauló póst in hac oratione iterabitur. *Nobiscum*] Idem Catilinæ factum pauló secús tractatur:

Qui Rempublicam sæpius perdere voluerit, diutius ferendus non est.
Catilina perdere voluit:
Non igitur diutius ferendus.

Assumtio divini auxilii caussa exornatur. *Atq;*] Hæc dictio non solúm conjungit, sed majus ponit: tanquam diceretur, Diis immortalibus, præcipué Statori, &c. Sic ad Atticum Cic. Negotium magnum est navigare, atque id mense Quintili. *Statori*] Jupiter Stator appellatus est, quód ad preces Romuli, Romanorum á Sabinis profligatorum fugam stitisset. Vide Livium lib. 1, & de hoc rursus in fine hujus orationis. *Non est*] Sententia est propositionis, Qui Rempublicam sæpiús perdere voluerit, diutius ferendus non est.

[11] *Quandiu mihi Consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me* [a] *præsidio, sed privata diligentia defendi. cum proximis comitiis* [c] *consula-*

ribus me consulem in[d] *Campo,& competitores tuos* *al.* occidere "*interficere voluisti;* [c]*compressi tuos*[a] *nefarios conatus amicorum*[a] *præsidio &* [a] *copiis,nullo tumultu publicè concitato: deniq; quotiescunq; me*[c] *petisti,per me tibi obstiti: quanquam videbam*[a] *perniciem meam cum magna*[c] *calamitate*[a] *Reipublicæ esse conjunctam. Nunc jam apertè*[a] *Rempublicàm universam*[c] *petis: templa deorum immortalium,* [d]*tecta* [d]*urbis, vitam omnium civium,*[a] *Italiam denique totam ad exitium & vastitatem* [c]*vocas. Quare, quoniam id quod primum, atq; hujus imperii disciplinæque majorum proprium est,*[y] *facere* L. nondum aud. "*non audeo:* "*faciam id quod est ad severitatem lenius, ad communem salutem utilius. Nam si te interfici jussero,*[c] *residebit in*[a] *Republ. reliqua conjuratorum manus: sin tu (quod te jamdudum hortor) exieris,* [c]*exhaurietur ex* [d]*urbe tuorum comitum magnà & perniciosa*[c] *sentina Reipublicæ.*

Quandiu] Dissimilitudo periculi privati & publici ad assumtionis illustrationem. κτόταοις privatum Consulis periculum explicat in duobus temporibus, ubi & dissimile geminatur. *Tumultus*] Tumultus aliquando species est belli, quæ dicitur conjuratio, cúm simul omnes jurabant: aliquãdo communiter accipitur, ut hic videtur accipi. *Petisti*] Metaphora est á gladiatoribus, quorum impetus petitiones appellantur: quod de eadem re pauló pòst allegoria clariore dicetur. *Quanquam*] Correctio est ex dissimili. *Nunc*] Antapodosis de publico periculo per subjectæ rei partes exposito. *Quare*] Complexionis loco (*Quare abi*) clementiæ significatio ponitur, & adjuncto commodo exornatur. Dissimile inclusum est. *Conjuratorum*] Hic locus citatur á nonnullis tanquam á *Conjurator*, sed nihil hîc est necesse. *Conjuratus* enim dictio Latina est, & *conjuratorum* facit in genitivo plurali. *Conjurator* ubi reperiatur, observabis. *Exhaurietur*] Allegoria

ria est à navi, in cujus sentinam aquæ destillãt, quæ ibi corruptæ malé olent: de qua Agraria secunda diximus. Sentinam hîc igitur fœditatem hominum appellavit Cicero, ut Quintilianus interpretatus est. Aliquando autem pro infimo honoris loco dicitur: ut ad Papirium, Sedebamus in puppi, clavumque tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus.

Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante[9] facere, quod jam tua sponte faciebas? exire ex[d] urbe[d] Consul[d] hostem jubet. [20] interrogas me, num in exilium? non jubeo: sed si me consulis, suadeo. Quid enim, Catilina, est, quod te jam in hac urbe delectare possit; in qua[1] nemo est extra istam [2]conjurationem perditorum hominum,[2] qui te non metuat: nemo, qui te non oderit? [9] Quæ[c] nota domesticæ turpitudinis non[c] inusta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus[11] non[c] hæret[a] infamiæ? L. non hæret in fama? *[9]quæ libido ab [a]oculis,[1] quod facinus á[a] manibus unquam tuis, quod flagitium á toto corpore abfuit? cui tu adolescẽtulo, quem corruptelarum illecebris [c]irretisses, non[1] aut ad audaciam[a] ferrum, aut ad libidinem[c] facem prætulisti? quid veró? nuper, cúm morte superioris uxoris, novis nuptiis domum[c] vacuam fecisses, nónne etiam alio incredibili[9] scelere hoc scelus [c]cumulasti? [21] quod ego prætermitto, & facilé patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris [c]immanitas[1] aut extitisse, aut non vindicata esse videatur.*

Quid est] Continuatur exhortatio ad lenitatis partes, sed additur circumstantia exilii (*Abi in exilium*) Attamen rei invidia, severioris imperii inflexione declinatur. Severius enim videbatur indicta caussa civem, præsertim tantæ familiæ, exilio damnare. *Quid enim est*] Syllogi-

ſinus alius inſtitutæ ſuaſionis ex adjunctis perſonę ita concluditur:

Si ſuſpectus & infenſus es, abi in exilium:
Sed primum:
Secundum igitur.

Aſſumtionis ratio præcedit ex vita & factis Catilinæ, ubi primúm generaliter notatur hominis libido & audacia. *Nota inuſta*] Metaphora eſt à ſtigmatis pecudum & mancipiorum, quibus ignito ferro notæ inuruntur. Qua de re Virgilius 3 Georg.

Continuoq; notas & nomina gentis inurunt.

Adoleſcentulo] Id in argumento poſitũ eſt ex Salluſtio, ut Catilina ſoleret aliis ſcorta præbere, aliis canes atq; equos mercari: poſtremó, neque ſumtui neq; modeſtiæ ſuæ parcere. Hoc autem loco adjunctorum cum ſuis ſubjectis collationem inſignem notabis. *Quid Veró*] Videtur duas cædes notare, alteram quidem uxoris nominatim aperit. Nec enim Catilina ad novas nuptias domum facere potuit vacuam morte ſuperioris uxoris, niſi ipſam interemiſſet. Hoc enim eſt facere domum vacuam novis nuptiis morte uxoris. Alteram veró cædem ἀποσιωπήσει acerbiorem facit, & videtur ſignificare mortem filii, quem Catilina pro certo creditur interemiſſe, ut in argumento dictum eſt, ut Aureliam Oreſtillam duceret, quæ privignum metuebat. Fratrem etiam Catilina necaverat, ut Plutarchus ait. Sed de filio præſtat intelligi.

[11] *Prætermitto* [c] *ruinas* [a] *fortunarum tuarum, quas omnes* [c] *impendère tibi proximis Idibus* [c] *ſentics: ad illa* [c] *venio, quæ* [1] *non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domeſticam tuam difficultatem ac turpitudinem, ſed ad ſummam* L. Rempub. [a] *Reipubl. atque ad omnium noſtrûm vitam ſalutemq; pertinent. Poteſtne tibi* [2] *hujus vitæ hæc lux, Catilina, aut hujus cœli ſpiritus eſſe jucundus, cúm* [10] *ſcias horum eſſe neminẽ, qui neſciat te pridie Calendas Ian. Lepido & Tullo Coſſ. ſtetiſſe in Comitio cum*

eum telo? manum, Consulum & principum[d] *civitatis interficiendorum caussa, paravisse?*[a] *sceleri ac furori tuo non*[a] *mentem aliquam, aut timorem tuum, sed*" *fortunam*[a] *Reipublicæ obstitisse?* [11] *Ac jam illa omitto: neq; enim sunt*[a] *aut*[c] *obscura, aut non multò pòst commissa.*[a] *Quoties tu me designatum, quoties me Consulem interficere voluisti? quot ego tuas*[c] *petitiones ita conjectas, ut vitari posse non videretur, parva quadā declinatione, & (ut ajunt) corpore*" *effugi?*[a] *Nihil agis, nihil*[c] *assequeris, nihil*[c] *moliris,*" *quod mihi latere valeat in tempore: neq; tamen conari ac velle desistis.* [12] *Quoties jam, quoties jam tibi*[c] *extorta est sica ista de manibus? quoties verò excidit casu aliquo &*[c] *elapsa est? tamen ea carere diutius non potes: quæ quidē quibus abs te*[c] *initiata sacris ac*[c] *devota sit, nescio, quòd eā necesse putas Consulis in corpore defigere.*

L. fortunam populi R.

L. evasi? vel exii? *al.* excessi?

fort. quod mihi patere non soleat in temp. L. quod me latere queat: neq; tam.

PRAETERMITTO] Perstringit ἀποφάσει adjunctam æris alieni magnitudinem, & transit á privatis criminibus ad publica. *Ruinas*] Metaphora est ab ædificiis caducis. Significatur autem auctio ex S.C. futura, qua Catilinę creditoribus satisfiat, atq; ideó tandem Catilina egeat. Idibus veró & Calendis legitimus Senatus habebatur. *Potestne*] Objicitur prima conjuratio facta de restituendo consulatu Syllæ & Autronii, quæ suis caussis & evētis ornatur. *Calendas*] Antequam videlicet Cotta & Torquatus consulatum iniissent. Nam Lepido & Tullo Coss. dicitur: attamen casus Consulum referendus est ad designatos Cottam: & Torquatum, quos interficere statutum á conjuratis erat. *Fortunam*] Id in argumento dictum est ex Sallustio, quia Catilina maturius signum dedisset. *Ac jam*] Repetuntur per ἀπόφασιν insidiæ Ciceroni designato & Consuli factæ, & eadem virtus in cavēdo, & allegoria illa de qua tum diximus, hîc insigniter exprimitur. *Mihi latere*] Sic Lucanus loquitur:

Tu mihi caussa lates.—

Aliter tamen Virgilius:

Nec latuere doli fratrem Junonis iniquæ.

At ferè hoc verbum absolutè in Cicerone legitur, pro occultum esse. *Quoties jam*] Idem ferè mutatis verbis per allegoriam generis ejusdem repetitur. *Quæ quidem*] Allegoria est ab immolationibus sacris, ubi Cicero victimæ, Catilina sacerdoti immolanti, sica cultro victimario comparatur; cujus exemplum est 6 Æneid. illo loco,

Supponunt alii cultros, tepidumq; cruorem
Suscipiunt pateris.—

Catilina autem Coss. Cottam & Torquatum priùs, nunc Consulem Ciceronem ista sica vult mactare, quasi furoris sui alicui numini voverit se sicam hanc in corpore Consulis alicujus defixurum, id est, Consulem se immolaturum.

Nunc verò quæ tua est ista vita? sic enim jam tecũ loquar, non ut odio permotus esse videar, quod [b] debeo, sed ut misericordia, quæ tibi nulla debetur. Venisti paulò antè in Senatum: quis te ex hac tanta [a] frequentia, ex tot tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, [a] vocis expectas contumeliam, cùm sis [c] gravissimo judicio [a] taciturnitatis [c] oppressus? [a] Quid, quòd adventu tuo ista subsellia vacua facta sunt? [b] Quid, quòd omnes consulares, qui tibi persæpè ad cædem constituti fuerunt, simul atq; assedisti, partẽ istam subselliorum [c] nudam atque inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercle [b] mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: [b] tu tibi [d] urbem [e] non arbitraris? Et si [b] me meis civibus injuria suspectum tam [c] graviter atq; infensum viderem; carere me aspectu [d] civium, quàm infestis [a] oculis omnium conspi-

al. nõ relinquendã arb.

ci mallem: tu cúm conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium justum, & jam diu tibi debitum; dubitas, quorum [a] mentes, [c] sensusq; [c] vulneras, eorum aspectum præsentiamq; vitare: Si te parentes timerent atq; odissent tui, neq; eos ulla ratione placare posses; ut opinor, ab eorum [a] oculis aliquò concederes: nunc te [a] patria, quæ communis est omnium nostrûm [10] parens, odit ac metuit; & jam diu [u] de te nihil judicat, nisi de parricidio suo cogitare. hujus tu [a] neq; authoritatem verebere, neque judicium [c] sequere, neq; vim pertimesces? de L. non legit.

NUNC VERO] Attentio ex adjunctis ad proximum locum, ubi dissimile interpositum est. *Venisti*] Hoc suasionis argumentum sic includitur ex præsentibus adjunctis:

> *Si tacito judicio damnatus es, damnationis vocem expectare non debes:*
> *At primum:*
> *Secundum igitur.*

Assumtionis sententia præcedit. *Quidquid adventu*] Altera assumtionis ratio ex aliis adjunctis, Catilina desertus ab omnibus. *Quo tandem*] Vis complexionis, unde acceditur ad propositionem primi argumenti:

> *Si suspectus & infensus es, abi.*

Duæ comparationes minorum hic sunt, prior partem de metu attingit. *Et si me*] Tota sententia propositionis est in hac secunda collatione minorum. Syllogismus integer est:

> *Si suspectus & infensus es, abi:*
> *Sed primum:*
> *Secundum igitur.*

Tu cúm] Assumtio per ἀπόδοσιν majorum. *Dubitas*] Complexio cum argumenti repetitione. *Si te parentes*] Amplificatio proximi argumenti ex collatione minorum. Syllogismus integer est. *Nunc te patria*] Assumtio, ubi ἀπόδοσις est majorum, & ratio metus ex facto Catilinæ. *Hujus tu*] Complexionis loco (*Quare abi*) hæc adhor-

tatio est ex adjunctis, cum quibus subjecta proprié conferuntur.

Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodò tacita loquitur. " Nullum jam tot annos facinus extitit, nisi per ' te: nullũ flagitium sine ' te: ' tibi uni multorum civium neces, ' tibi vexatio, direptioq́; d sociorum impunita fuit, ac libera: tu non solùm ad negligendas leges & d quæstiones, verùm etiam ad a evertendas c perfringendasq́; valuisti. Superiora illa, quanquam c ' ferenda non fuerunt: tamen, ut potui, c tuli. nũc verò me totam esse in metu propter te unum: quicquid c increpuerit, Catilinam timeri: nullum videri contra me consilium iniri posse, quod á tuo a scelere abhorreat: non est ferẽdum. Quamobrem discede, atq; hunc mihi timorem eripe: ' si verus, ne c opprimar: sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam. Hæc si tecũ, ut dixi, a patria loquatur, nónne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit? c Quid, quód ' tu te ipse in custodiam dedisti? Quid, quód vitandæ suspicionis caussa, apud M. Lepidum te habitare velle dixisti? á quo non receptus, etiam ad me venire ausus es: atq; ut domi meæ te asservarem, rogasti? Cúm á me quoq; id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem d parietibus tutó esse tecum, qui magno in periculo essem, quód iisdem d mœnibus contineremur: ad Q. Metellum Prætorem venisti: á quo c repudiatus, ad sodalem tuum, virum b optimum, M. Marcellũ demigrasti: quem tu videlicet & ad b " custodiendum te diligentissimum, & ad suspicandum c sagacissimum, & ad vindicãdum fortissimum fore putasti. Sed quám longé videtur á carcere, atq; á d vinculis abesse

L. si ver' est,

abesse debere, qui seipsum jam dignum [d] custodia judicaverit? Quæ cùm ita sint, Catilina, dubitas, si hic emori æquo animo non potes, abire in aliquas terras, & vitam istam multis suppliciis justis debitisq; [c] ereptam, [a] fugæ, [a] solitudiniq; mandare.

Quae tecum] Prosopopœja repræsentat conquerentem patriam de Catilina, quæ superioris assumtionis illustratio est ex factis Catilinæ. *Superiora*] Dissimilitudo est antecedentiũ & consequentium, ubi notabis metaphoram *increpuerit*: qualis est pro Muræna, Simul atq; increpuit suspicio tumultus, artes ilicó nostræ conticescunt. *Quamobrem*] Complexio est prosopopœjæ dilemmate ex adjunctis inter se contrariis amplificata. Finis utriusque partis etiam ostenditur. *Hæc si tecum*] Deponitur ipsa hic persona, quæ suscepta illic fuerat, *Quæ tecum*, &c. Nec enim persona vel suscipi, vel deponi temere debuit. *Quid quod tu, &c.*] Continuatur quæstio ex Catilinæ ipsius quodam judicio:

> *Qui custodia se dignum judicat, dignus est carcere:*
> *Catilina se talem judicat:*
> *Dignus igitur est carcere.*

Assumtio præcedit inductione declarata. *Te asservarem*] Ciceronem quondam Catilina pené decepit, ut ipse de se ait pro Cælio, tam astutus cujusvis rei simulator & dissimulator erat. Sic igitur tentabat rursus fallere. Ciceronis responsum ex collatione majorum est. Antea veró illud ejusdem sententiæ fuit, Magno me metu liberabis, dummodó inter te atque me murus intersit. *Repudiatus*] Metaphora á matrimonii renunciatione, ubi proprié repudiũ & repudiare dicitur, cùm illa formula nuncius remittitur: Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito. *Ad sodalem*] Hic M. Marcellus popularis Catilinæ fuit, non is de quo pauló póst: quod intelligi potest ex variis adjunctis εἰρωνικῶς in eo notatis. *Sed quam*] Sententia propositionis. *Quæ cùm*] Conclusio suasionis jam sæpé iterata, *Quare abi in exilium.*

[18] *Refer, inquis, ad [a] Senatum. id enim postulas: & , si hic [a] ordo sibi placere decreverit, te ire in exilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam id, quod [c] abhorret á meis [a] moribus: & tamen faciam, ut intelligas quid hi de te [c] sentiant. [17] Egredere ex urbe, Catilina: libera [a] Rempublicam metu: in exilium, si hanc [a] vocem expectas, proficiscere. Quid est, Catilina? [a] ecquid attendis, ecquid animadvertis horum [a] silentium? Patiuntur, tacent. Quid expectas [a] authoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? At [a] si hoc idem huic adolescenti optimo P. Sextio, si fortissimo viro M. Marcello dixissem; jam mihi Consuli hoc ipso in templo jure optimo [a] Senatus vim & manus intulisset: de te autem, Catilina, [a] cúm quiescũt, probant: cúm patiuntur, decernunt: cúm tacẽt, clamant. neque hi solúm, quorum tibi authoritas est videlicet [b] chara, vita vilissima; sed etiam illi Equites Romani, honestissimi atque optimi viri, cæterique fortissimi cives, qui circunstant [a] Senatum: quorum tu [a] & [a] frequentiam videre, & studia perspicere, & voces pauló anté exaudire potuisti. quorum ego vix abs te jandiu manus ac tela contineo: eosdem facilé [c] adducam, ut te hæc, quæ jampridem [c] vastare studes, relinquẽtem usque ad portas prosequantur. quãquam quid loquor? [?] te [a] ut ulla res frangat? [a] tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? ut ullum tu exilium cogites?*

Refer, inquis] Repetitur illud pauló anté positũ Senatus judicium ad præsentem, ut videtur, Catilinæ postulationem, & ex eo sic concluditur:

Si Senatus jubeat, Catilina discedet;

Sed

Sed primum:

Secundum igitur.

Propositio prolepsin habet. *Non referam*] Ad exponendam assumtionem de judicio Senatus, quanta sit hic oratoris astutia, perpende. Nam & declinat invidiam relationis, & tamen quod vult efficit. *Egredere*] παῤῥησία velut exilium imperantis. *Quid est Catilina*] Approbatio assumtionis, Si mens intelligitur, symbola mentis nō sunt expectanda. *At si hoc*] Amplificat assumtionis rationem collatione dissimilium. πρόστασις variis adjunctis exornatur de Sextio & Marcello, pro quibus postea habitæ extant orationes: nec enim hic Marcellus est sodalis Catilinæ. *De te autem*] Antapodosis dissimilitudinis, ubi silentii judicium mirificé exprimitur. *Neq; hi solum*] Additur ad judicium Senatus judicium equestris ordinis & reliquorum civium, ut totius civitatis sententia expelli Catilina videatur. Res interim variis adjunctis ornatur. *Vita vilissima*] εἰρωνεία est ex collatione majorum. *Circumstant*] Considera, quali forma in eo templo subsellia disposita fuerint, an ut in amphitheatris rotunda: id enim videtur hic significare Cicero, & pro Milone de judicum subselliis idem cúm ait, Non enim corona cōsessus vester cinctus est, ut solebat, non usitata frequentia stipati sumus. *Studia*] Significat hîc sibi acclamationem populi secundam contigisse adversus Catilinam. *Quorum ego*] Tale equitum Rom. studium Plutarchus in Cæsare, significat adfuisse Consuli adversus Cęsarem, quia conjuratos defenderět. *Quanquam quid*] Complexionis loco (*Quare abi in exilium*) correctio est ad odium Catilinæ, & optatio ad gratiam Ciceronis.

11 *Utinam tibi istam* [a] *mentem dii immortales* "*donarent. tametsi video, si mea* [a] *voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta* [c] *tempestas* [a] *invidiæ nobis, si minús in præsens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in* [a] *posteritatem* [c] *impendeat.*" *Sed non est mihi tanti, dummodó ista tua privata sit* [c] *calamitas, & á* [a] *Reipu-*

L. darent.

L. Sed est mihi tanti,

possis. multorum te etiam[a] oculi & [a] aures nō [c] sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atq; custodient.

CUPIO] Hactenus procemium fuit: ejus deinde sententia specie quadam dividitur. Cicero clemens esse vult in tanto Reipublicæ periculo, sed ignavus est: tanquam diceret quod alibi dicit, natura mea clementiam, Respublica severitatem desiderat: quæ duplices senatorum sententiæ sunt. Alii enim severitatem, alii lenitatem sequebantur: ignaviam veró Cicero lenitatem suam vocat, & approbat subjectis periculis. *Nequitiaque*] Sic in eadem oratione postea, Invidia inertiæ ac nequitiæ pertimescenda. Metaphora est á dissoluta libidine, quæ proprié ita dicitur, ut,

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem:

ait 1 Fastor. Ovidius. metaphora, inquam, illinc est ad dissolutam incuriam significandum. *Faucibus*] Hac metaphora significat angustias loci, ut de Corintho Agraria secunda dixit: Erat posita in angustiis atque in faucibus Græciæ. Intelligit autem hic Fesulas in media Hetruria, qui vicus nunc exiguus est. Eó enim Manlius manum militum conducebat. *Eorum castrorum*] Definitio est Catilinæ ex adjunctis. *Atque adeó*] Correctio est per collationem majorum. Sic pro Planco, Insector, posco, atque adeó flagito. *Adeó* autem aliquando secus: ut, Ego princeps in adjutoribus, atque adeó secundus. *Si te jam*] Disputat sententiam suam in partibus clementiæ ex adjunctis:

Si te jam interfici jussero, cúm tua conjuratio nondum omnibus pateat, mali crudeliter factum esse dicent:
Sed eum jubebo, cúm tua conjuratio omnibus patebit:
Quare nemo tum crudeliter factum esse dicet.

Assumtionis & complexionis sententia confusa est. *Similis*] Periphrasis hominis nequissimi ex Catilinæ similitudine. *Quamdiu*] Iteratur eadem ratio ad bonos confirman-

firmandum: fortitudo & providentia Consulis ostenditur. *Oculi & aures*] Ejusmodi exploratores & custodes Aristoteles appellat quinti Politic. cap. 11. ποταγωγίδας (qui communiter προσαγωγίδαι dicuntur) item ὠτακουστάς.

Etenim quid est Catilina, quod jam amplius expectes, si neque [a] *nox tenebris obscurare* [a] *cœtus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem* [a] *conjurationis tuæ potest? si* [c] *illustrantur, si* [c] *erumpunt omnia, muta jam istam* [a] *mentem, mihi crede: obliviscere cædis atque incendiorum.* [c] *Teneris undique. luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quæ etiam mecum licet recognoscas. Meministine me ante diem* XII. *Calend. Novembr. dicere in Senatu, certo die* [b] *fore in armis, qui* [b] *dies futurus esset ante diem* VIII. *Calend. Novembr. C. Manlium* [a] *audaciæ satellitem atque administrum tuæ? Num me fefellit, Catilina, non modò res* [b] *tanta,* [1] *tam atrox,* [2] *tam incredibilis: verùm, id quod multò magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in Senatu, cædem te optimatum contulisse in ante diem* V. *Calend. Novembr. tum cùm multi principes* [d] *civitatis Romæ, non tam sui conservandi, quàm tuorum consiliorum reprimendorum caussa, profugerunt. num inficiari potes, te illo ipso die* [b] *meis* [a] *præsidiis, mea diligentia* [c] *circumclusum,* [c] *commovere te contra* [a] *Rempubl. non potuisse, cùm tu discessu cæterorum, nostra tamen, qui remansissemus, cæde contentum te esse dicebas? Quid? cùm te Præneste Cal. ipsis Novembr. occupaturum nocturno impetu esse consideres:* [c] *sensistine illam* [a] *coloniam* [b] *meo jussu, meis* [a] *præsidiis,* [a] *custodiis,* [a] *vigiliis esse munitam?*

L. tamque incr.

[a] *Nihil agis, nihil* [c] *moliris, nihil cogitas, quod ego* [d] *non modò audiam, sed etiam* [c] *videam,* [c] *planeq;* [c] *sentiam.*

fort. nõ modò non aud.

ETENIM] Tractatur deinceps ad clementiæ partes continuandum procemii secunda ratio de conjuratione:

> *Si conjuratio tua pateat, muta mentem, & abi:*
> *Sed primum:*
> *Secundum igitur.*

Propositio dissimilibus ornatur. *Teneris*] Assumtio antecedentis *(Sed tua conjuratio patet:)* ad cujus probationem attentio excitatur. Inductio autem est longæ Chronologiæ. Prima pars de armis comitiorum consularium die ad necandum Ciceronem sumtis, exornata adjunctis temporis, personæ, caussæ. *Meministi dicere*] Cicero aliquando præteritum cum præterito *memini* conjungit: ut, Memini permisisse, ad Atticum. Item, Memini distribuisse, pro Roscio: item, defuisse, pro Milone. Frequentiùs tamen cum præsenti conjungit, ut hîc: in eoque Valla labitur, qui Maronis illud,

> *Cantando puerum memini me condere soles,*

ad poëticam licentiam refert, nec usitatum in prosa sermonis hoc genus existimat. *Ante diem* VIII. *Calend.*] Hinc observabis quantò tempore Consulatus priús designabatur, quàm iniretur. XXIIII. Octob. dies hic est. At Consulatus Calendis Januarii inibatur. Hoc autem die comitiorum, Cicèro Catilinam excitavit in Senatu, deque his interrogavit, ut in argumento diximus. *C. Manlium*] Hic postea belli faciendi princeps fuit, & ei Catilina in prælio dextrum cornu attribuit. Hunc Manlium Plutarchus Malium vocat, & quondam sub Sylla strenuè militasse dicit. *Dixi ego*] Secunda pars de cæde optimatum adjuncto metu illustrata. *Non tam sui conservandi*] Hæc oratio usu congrua est, non arte: *Sui* enim pluralis est numeri: *Conservandi* singularis. Sic in Divinatione, Dolebas tantam Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse, &c. Valla genus hoc sermonis non satis considerate reprehendit. *Num inficiari*]

Modesta prudentia & fortitudinis significatio est in providendo & propulsando periculo: ex effectis Ciceronis & dictis Catilinæ argumentum est. *Quid*] Tertia pars de occupando Præneste, ubi rursus virtus Consulis ostenditur. Oppidum autem hoc, Romæ vicinum est. *Nihil agis*] Cōplexio superioris inductionis majorum collatione aucta.

Recognosce mecum tandem [a] noctem illam superiorem: jam intelliges multó me vigilare [c] acriús ad salutem, quám te ad perniciem [a] Reipublicæ. Dico te priori nocte venisse inter falcarios (non agam [c] obscuré) in M. Leccæ domum: convenisse eodem complures ejusdem [a] amentiæ scelerisq; [c] socios: num negare audes? quid taces? convincam," si negas. videо enim esse hic in [a] Senatu quosdam, qui tecū uná fuere. [11]" O dii immortales! ubinam gentium sumus? quam [a] Rempub. habemus? in qua urbe vivimus? [1] Hic, hic sunt, in nostro numero, P. C. in hoc [d] orbis terræ sanctissimo, [c] gravissimoq; cōsilio, [2]" qui de meo nostrûmq; omnium interitu, qui de hujus [10] urbis, atq; adeo [d a] orbis terrarum exitio cogitent. hosce ego video Consul, & de Repub. sententiam rogo: & quos [a] ferro trucidari oportebat, eos nondum voce [c] vulnero. [11] Fuisti igitur apud Leccam ea nocte, Catilina: distribuisti partes Italiæ: statuisti quó quemq; proficisci placeret: [11] delegisti [a] quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti urbis partes ad incendia: cōfirmasti teipsum jam esse exiturum: dixisti paululum tibi esse etiam tum moræ, quód ego viverem. reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent, & sese illa ipsa nocte pauló ante [d] lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur.

al. si negabis.

al. qui de nostro omniū int.

RECOGNOSCE] Secundus attentionis locus ad sequē-

tium expositionem, ubi collatione minorũ virtus eadem Consulis ostenditur. *Dico te*] Postrema pars inductionis de superioris noctis consilio adjunctis illustrata. *Falcarios*] Falx bellicum instrumentum adunco ferro præfixum, & navale & murale erat. Cæsar tertio belli Gallici, Una erat magno usui res præparata á nostris, falces peracutæ, insertæ, affixæque longuriis, non absimili fôrma muralium falcium. Erat etiam falx, instrumentum quod instar hastæ gestari posset, quale fortassis est quod Francis *rancon* appellatur, ad pungendum, cædendum, trahẽdum. Ergo Catilinæ satellites & ministri illis armis erant armati, nec á fœnisecis metaphora est. *Num negare*] Urget confessionem Catilinæ silentio, & præsentium quasi testimonio. *O dii immortales*] Digressio per exclamationem ad exaggerandam præsentis status indignitatem ex loci circũstantia, quód conjurati sint in Senatu: iteratur autem res definitione Curiæ ex adjunctis, & definitione conjuratorum ex eorum factis: item facto Consulis qui videat, nec puniat tamẽ. In postremo, majorum collatio est. *Fuisti igitur*] Regressio ad narrationem, qua sigillatim partes exponuntur. Catilina autem Hetruriam Manlio, agrum Picenum Septimio, Apuliam Julio assignarat: duodecim opportuna urbis loca ad incendia delegerat, quibus Statilius & Gabinius præfecti essent. *Duo equites*] Sallustius hos nominat, Cornelium & Vargunteium: sed Vargunteium senatorem facit.

Hæc ego omnia, vix dum etiam [a] cœtu vestro dimisso, comperi: domum meam majoribus [a] præsidiis munivi atq; firmavi: exclusi eos, quos tu mané ad me salutatum miseras, cúm illi ipsi venissent, quos ego jam multis ac summis viris ad me venturos id temporis esse prædixeram. Quæ cúm ita sint, Catilina, perge quó cœpisti, egredere aliquando ex [d] urbe: patent portæ: proficiscere. nimiúm diu te imperatorem illa tua Manliana [a] castra desiderant. educ tecum etiam omnes tuos: si minús, quám plurimos:

rimos.[c] *purga*[d] *urbem: magno me metu*" *liberabis, dummodò inter me atque te murus intersit. Nobiscum*[c] *versari jam diutius non potes:*[a] *non feram, non patiar, non sinam. Magna diis immortalibus habenda est gratia, atq; huic ipsi Jovi Statori, antiquissimo custodi hujus urbis, quod hanc*[c] *tam*[c] *tetram, tam*[c] *horribilem, tamq; infestam*[a] *Reipublicæ*[c] *pestem toties jam*[c] *effugimus. Non est sæpius in uno homine*" *salus summa periclitanda*[a] *Reipublicæ.*

L. liberaveris,

L. salus summæ rei periclitāda. Vel, salus summæ reip. periclitanda.

HAEC EGO] Tertius est locus de provisione & cautione Consulis ex ipsius facto. *Quæ cum*] Complexio syllogismi pauló plus quám positum erat complexa, quæ variis adjunctis & factis amplificatur. *Murus intersit*] Hic locus citatur á Plutarcho in Cicerone: Decet ut inter orationes nostras & gladios tuos murus urbis medius intersit. Et pauló póst in hac oratione iterabitur. *Nobiscum*] Idem Catilinæ factum pauló secús tractatur:

Qui Rempublicam sæpius perdere voluerit, diutius ferendus non est.
Catilina perdere voluit:
Non igitur diutius ferendus.

Assumtio divini auxilii caussa exornatur. *Atq;*] Hæc dictio non solúm conjungit, sed majus ponit: tanquam diceretur, Diis immortalibus, præcipué Statori, &c. Sic ad Atticum Cic. Negotium magnum est navigare, atque id mense Quintili. *Statori*] Jupiter Stator appellatus est, quód ad preces Romuli, Romanorum á Sabinis profligatorum fugam stitisset. Vide Livium lib. 1, & de hoc rursus in fine hujus orationis. *Non est*] Sententia est propositionis, Qui Rempublicam sæpiús perdere voluerit, diutius ferendus non est.

[11] *Quandiu mihi Consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me*[a] *præsidio, sed privata diligentia defendi. cum proximis comitiis*[c] *consula-*

ribus me consulem in [d] *Campo, & competitores tuos*
al. occidere *" interficere voluisti*; [c] *compressi tuos* [a] *nefarios conatus amicorum* [a] *præsidio &* [a] *copiis, nullo tumultu publicé concitato: deniq; quotiescunq; me* [c] *petisti, per me tibi obstiti: quanquam videbam* [a] *perniciem meam cum magna* [c] *calamitate* [a] *Republicæ esse conjunctam. Nunc jam aperté* [a] *Rempublicam universam* [c] *petis: templa deorum immortalium,* [d] *tecta* [d] *urbis, vitam omnium civium,* [a] *Italiam denique totam ad exitium & vastitatem* [c] *vocas. Quare, quoniam id quod primum, atq; hujus imperii disciplinæque majorum proprium est,* [y] *facere*
L. nondum aud. *" non audeo:* [u] *faciam id quod est ad severitatem lenius, ad communem salutem utilius. Nam si te interfici jussero,* [c] *residebit in* [a] *Republ. reliqua conjuratorum manus: sin tu (quod te jamdudum hortor) exieris,* [c] *exhaurietur ex* [d] *urbe tuorum comitum magna & perniciosa* [c] *sentina Republicæ.*

QUANDIU] Dissimilitudo periculi privati & publici ad assumtionis illustrationem. πρότασις privatum Consulis periculum explicat in duobus temporibus, ubi & dissimile geminatur. *Tumultus*] Tumultus aliquando species est belli, quæ dicitur conjuratio, cúm simul omnes jurabant: aliquādo communiter accipitur, ut hic videtur accipi. *Petisti*] Metaphora est á gladiatoribus, quorum impetus petitiones appellantur: quod de eadem re pauló póst allegoria clariore dicetur. *Quanquam*] Correctio est ex dissimili. *Nunc*] Antapodosis de publico periculo per subjectæ rei partes exposito. *Quare*] Complexionis loco (*Quare abi*) clementiæ significatio ponitur, & adjuncto commodo exornatur. Dissimile inclusum est. *Conjuratorum*] Hic locus citatur á nonnullis tanquam á *Conjurator*, sed nihil hic est necesse. *Conjuratus* enim dictio Latina est, & *conjuratorum* facit in genitivo plurali. *Conjurator* ubi reperiatur, observabis. *Exhaurietur*] Allego-

ria

ria est á navi, in cujus sentinam aquæ destillãt, quæ ibi corruptæ malé olent: de qua Agraria secunda diximus. Sentinam hic igitur fœditatem hominum appellavit Cicero, ut Quintilianus interpretatus est. Aliquando autem pro infimo honoris loco dicitur: ut ad Papirium, Sedebamus in puppi, clavumque tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus.

Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante [9] facere, quod jam tua sponte faciebas? exire ex [d] urbe [d] Consul [d] hostem jubet. [10] interrogas me, num in exilium? non jubeo: sed si me consulis, suadeo. Quid enim, Catilina, est, quod te jam in hac urbe delectare possit; in qua [a] nemo est extra istam [a] conjurationem perditorum hominum, [a] qui te non metuat: nemo, qui te non oderit? [9] Quæ [c] nota domesticæ turpitudinis non [c] inusta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus non [c] hæret [a] infamiæ? [9] quæ libido ab [a] oculis, [a] quod facinus á [a] manibus unquam tuis, quod flagitium á toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris [c] irretisses, non [a] aut ad audaciam [a] ferrum, aut ad libidinem [c] facem prætulisti? quid veró? nuper, cúm morte superioris uxoris, novis nuptiis domum [c] vacuam fecisses, nónne etiam alio incredibili [9] scelere hoc scelus [c] cumulasti? [11] quod ego prætermitto, & facilé patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris [c] immanitas [a] aut extitisse, aut non vindicata esse videatur. L. non hæret in fama?

QUID EST] Continuatur exhortatio ad lenitatis partes, sed additur circumstantia exilii (*Abi in exilium*) Attamen rei invidia, severioris imperii inflexione declinatur. Severius enim videbatur indicta caussa civem, præsertim tantæ familiæ, exilio damnare. *Quid enim est*] Syllogi-

sinus alius institutæ suasionis ex adjunctis personę ita concluditur:

Si suspectus & infensus es, abi in exilium:
Sed primum:
Secundum igitur.

Assumtionis ratio præcedit ex vita & factis Catilinæ, ubi primúm generaliter notatur hominis libido & audacia. *Nota inusta*] Metaphora est á stigmatis pecudum & mancipiorum, quibus ignito ferro notæ inuruntur. Qua de re Virgilius 3 Georg.

Continuoq; notas & nomina gentis inurunt.

Adolescentulo] Id in argumento positũ est ex Sallustio, ut Catilina soleret aliis scorta præbere, aliis canes atq; equos mercari: postremó, neque sumtui neq; modestiæ suæ parcere. Hoc autem loco adjunctorum cum suis subjectis collationem insignem notabis. *Quid veró*] Videtur duas cædes notare, alteram quidem uxoris nominatim aperit. Nec enim Catilina ad novas nuptias domum facere potuit vacuam morte superioris uxoris, nisi ipsam interemisset. Hoc enim est facere domum vacuam novis nuptiis morte uxoris. Alteram veró cædem ἀποσιωπήσει acerbiorem facit, & videtur significare mortem filii, quem Catilina pro certo creditur interemisse, ut in argumento dictum est, ut Aureliam Orestillam duceret, quæ privignum metuebat. Fratrem etiam Catilina necaverat, ut Plutarchus ait. Sed de filio præstat intelligi.

[21] *Prætermitto [c] ruinas [a] fortunarum tuarum, quas omnes [c] impendêre tibi proximis Idibus [c] senties: ad illa [c] venio, quæ [a] non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam*
L. Rempub. [a] *" Reipubl. atque ad omnium nostrûm vitam salutemq; pertinent. Potéstne tibi [a] hujus vitæ hæc lux, Catilina, aut hujus cœli spiritus esse jucundus, cúm [10] scias horum esse neminẽ, qui nesciat te pridie Calendas Jan. Lepido & Tullo Coss. stetisse in Comitio*

cum

cum telo? manum, Consulum & principum [d] *civitatis interficiendorum caussa, paravisse?* [a] *sceleri ac furori tuo non* [a] *mentem aliquam, aut timorem tuum, sed* " *fortunam* [a] *Reipublicæ obstitisse?* [11] *Ac jam illa omitto: neq; enim sunt* [a] *aut* [c] *obscura, aut non multó póst commissa.* [a] *Quoties tu me designatum, quoties me Consulem interficere voluisti? quot ego tuas* [c] *petitiones ita conjectas, ut vitari posse non videretur, parva quadã declinatione, & (ut ajunt) corpore* " *effugi?* [a] *Nihil agis, nihil* [c] *assequeris, nihil* [c] *moliris,* " *quod mihi latere valeat in tempore: neq; tamen conari ac velle desistis.* [11] *Quoties jam, quoties jam tibi* [c] *extorta est sica ista de manibus? quoties veró excidit casu aliquo &* [c] *elapsa est? tamen ea carere diutius non potes: quæ quidẽ quibus abs te* [c] *initiata sacris ac* [c] *devota sit, nescio, quód eã necesse putas Consulis in corpore defigere.*

L. fortunam populi R.

L. evasi? vel exii? *al.* excessi?

fort. quod mihi patere non soleat in temp. L. quod me latere queat: neq; tam.

PRAETERMITTO] Perstringit ἀποφάσει adjunctam æris alieni magnitudinem, & transit á privatis criminibus ad publica. *Ruinas*] Metaphora est ab ædificiis caducis. Significatur autem auctio ex S.C. futura, qua Catilinę creditoribus satisfiat, atq; ideó tandem Catilina egeat. Idibus veró & Calendis legitimus Senatus habebatur. *Potéstne*] Objicitur prima conjuratio facta de restituendo consulatu Syllæ & Autronii, quæ suis caussis & evẽtis ornatur. *Calendas*] Antequam videlicet Cotta & Torquatus consulatum iniissent. Nam Lepido & Tullo Coss. dicitur: attamen casus Consulum referendus est ad designatos Cottam: & Torquatum, quos interficere statutum á conjuratis erat. *Fortunam*] Id in argumento dictum est ex Sallustio, quia Catilina maturius signum dedisset. *Ac jam*] Repetuntur per ἀπόφασιν insidiæ Ciceroni designato & Consuli factæ, & eadem virtus in cavẽdo, & allegoria illa de qua tum diximus, hîc insigniter exprimitur. *Mihi latere*] Sic Lucanus loquitur:

Tu mihi caussa lates.——

Aliter tamen Virgilius:

Nec latuere doli fratrem Junonis iniquæ.

At feré hoc verbum absoluté in Cicerone legitur, pro occultum esse. *Quoties jam*] Idem feré mutatis verbis per allegoriam generis ejusdem repetitur. *Quæ quidem*] Allegoria est ab immolationibus sacris, ubi Cicero victimæ, Catilina sacerdoti immolanti, sica cultro victimario comparatur; cujus exemplum est 6 Æneid. illo loco,

Supponunt alii cultros, tepidumq; cruorem
Suscipiunt pateris.——

Catilina autem Coss. Cottam & Torquatum priús, nunc Consulem Ciceronem ista sica vult mactare, quasi furoris sui alicui numini voverit se sicam hanc in corpore Consulis alicujus defixurum, id est, Consulem se immolaturum.

Nunc veró quæ tua est ista vita? sic enim jam tecũ loquar, non ut odio permotus esse videar, quod [9] debeo, sed ut misericordia, quæ tibi nulla debetur. Venisti pauló anté in Senatum: quis te ex hac tanta [a] frequentia, ex tot tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, [a] vocis expectas contumeliam, cúm sis [c] gravissimo judicio [a] taciturnitatis [c] oppressus? [a] Quid, quód adventu tuo ista subsellia vacua facta sunt? [9] Quid, quód omnes consulares, qui tibi persæpé ad cædem constituti fuerunt, simul atq; assedisti, partẽ istam subselliorum [c] nudam atque inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercle [9] mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: [9] tu tibi [d] urbem [a] non arbitraris? Et si [9] me meis civibus injuria suspectum tam [c] graviter atq; infensum viderem; carere me aspectu [d] civium, quám infestis [a] oculis omnium conspi-

al. nõ relinquendã arb.

ci mallem: tu cùm conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium juſtum, & jam diu tibi debitum, dubitas, quorum [a] mentes, [c] ſenſusq; [c] vulneras, eorum aſpectum præſentiamq; vitare: Si te parentes timerent atq; odiſſent tui, neq; eos ulla ratione placare poſſes, ut opinor, ab eorum [a] oculis aliquò concederes: nunc te [a] patria, quæ communis est omnium noſtrûm [10] parens, odit ac metuit; & jam diu'' de te nihil judicat, niſi de parricidio ſuo cogitare. hujus tu [a] neq; authoritatem verebere, neque judicium [c] ſequere, neq; vim pertimeſces? de L. non legit.

NUNC VERO] Attentio ex adjunctis ad proximum locum, ubi diſſimile interpoſitum eſt. *Veniſti*] Hoc ſuaſionis argumentum ſic includitur ex præſentibus adjunctis:

Si tacito judicio damnatus es, damnationis vocem expectare non debes:
At primum:
Secundum igitur.

Aſſumtionis ſententia præcedit. *Quid quòd adventu*] Altera aſſumtionis ratio ex aliis adjunctis, Catilina deſertus ab omnibus. *Quo tandem*] Vis complexionis, unde acceditur ad propoſitionem primi argumenti:

Si ſuſpectus & infenſus es, abi.

Duæ comparationes minorum hic ſunt, prior partem de metu attingit. *Et ſi me*] Tota ſententia propoſitionis eſt in hac ſecunda collatione minorum. Syllogiſmus integer eſt:

Si ſuſpectus & infenſus es, abi:
Sed primum:
Secundum igitur.

Tu cùm] Aſſumtio per ἀπόδοσιν majorum. *Dubitas*] Complexio cum argumenti repetitione. *Si te parentes*] Amplificatio proximi argumenti ex collatione minorum. Syllogiſmus integer eſt. *Nunc te patria*] Aſſumtio, ubi ἀπόδοσις eſt majorum, & ratio metus ex facto Catilinæ. *Hujus tu*] Complexionis loco (*Quare abi*) hæc adhor-

tatio est ex adjunctis, cum quibus subjecta propriè conferuntur.

Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodò tacita loquitur. [n] *Nullum jam tot annos facinus extitit, nisi per* [t] *te: nullũ flagitium sine* [t] *te:* [a] *tibi uni multorum civium neces,* [t] *tibi vexatio, direptioq;* [d] *sociorum impunita fuit, ac libera: tu non solùm ad neglìgendas leges &* [d] *quæstiones, verùm etiam ad* [a] *evertendas* [c] *perfringendasq; valuisti. Superiora illa, quanquam* [c] [t] *ferenda non fuerunt: tamen, ut potui,* [c] *tuli. nũc verò me totam esse in metu propter te unum: quicquid* [c] *increpuerit, Catilinam timeri: nullum videri contra me consilium iniri posse, quod à tuo* [a] *scelere abhorreat: non est ferẽdum. Quamobrem discede, atq; hunc mihi timorem eripe:* [t] *si verus, ne* [c] *opprimar: sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam. Hæc si tecũ, ut dixi,* [a] *patria loquatur, nónne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit?* [c] *Quid, quód* [t] *tu te ipse in custodiam dedisti? Quid, quód vitandæ suspicionis caussa, apud M. Lepidum te habitare velle dixisti? á quo non receptus, etiam ad me venire ausus es: atq; ut domi mea te asservarem, rogasti? Cúm á me quoq; id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem* [d] *parietibus tutó esse tecum, qui magno in periculo essem, quód iisdem* [d] *mœnibus contineremur: ad Q. Metellum Prætorem venisti: á quo* [c] *repudiatus, ad sodalem tuum, virum* [b] *optimum, M. Marcellũ demigrasti: quem tu videlicet & ad* [b] [n] *custodiendum te diligentissimum, & ad suspicandum* [c] *sagacissimum, & ad vindicãdum fortissimum fore putasti. Sed quàm longé videtur á carcere, atq; á* [d] *vinculis abesse*

L. si ver' est,

abesse debere, qui seipsum jam dignum [d] custodia judicaverit? Quæ cùm ita sint, Catilina, dubitas, si hic emori æquo animo non potes, abire in aliquas terras, & vitam istam multis suppliciis justis debitisq; [c] ereptam, [a] fugæ, [a] solitudiniq; mandare.

QUAE TECUM] Prosopopœja repræsentat conquerentem patriam de Catilina, quæ superioris assumtionis illustratio est ex factis Catilinæ. *Superiora*] Dissimilitudo est antecedentiū & consequentium, ubi notabis metaphoram *increpuerit*: qualis est pro Muræna, Simul atq; increpuit suspicio tumultus, artes ilicò nostræ conticescunt. *Quamobrem*] Complexio est prosopopœjæ dilemmate ex adjunctis inter se contrariis amplificata. Finis utriusque partis etiam ostenditur. *Hæc si tecum*] Deponitur ipsa hic persona, quæ suscepta illic fuerat, *Quæ tecum*, &c. Nec enim persona vel suscipi, vel deponi temere debuit. *Quid quòd tu, &c.*] Continuatur quæstio ex Catilinæ ipsius quodam judicio:

Qui custodia se dignum judicat, dignus est carcere:
Catilina se talem judicat:
Dignus igitur est carcere.

Assumtio præcedit inductione declarata. *Te asservarem*] Ciceronem quondam Catilina penè decepit, ut ipse de se ait pro Cœlio, tam astutus cujusvis rei simulator & dissimulator erat. Sic igitur tentabat rursus fallere. Ciceronis responsum ex collatione majorum est. Antea verò illud ejusdem sententiæ fuit, Magno me metu liberabis, dummodò inter te atque me murus intersit. *Repudiatus*] Metaphora à matrimonii renunciatione, ubi propriè repudiū & repudiare dicitur, cùm illa formula nuncius remittitur: Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito. *Ad sodalem*] Hic M. Marcellus popularis Catilinæ fuit, non is de quo pauló pòst: quod intelligi potest ex variis adjunctis εἰρωνικῶς in eo notatis. *Sed quam*] Sententia propositionis. *Quæ cùm*] Conclusio suasionis jam sæpè iterata, *Quare abi in exilium.*

Sed primum:

Secundum igitur.

Propositio prolepsin habet. *Non referam*] Ad exponendam assumtionem de judicio Senatus, quanta sit hic oratoris astutia, perpende. Nam & declinat invidiam relationis, & tamen quod vult efficit. *Egredere*] παῤῥησία velut exilium imperantis. *Quid est Catilina*] Approbatio assumtionis, Si mens intelligitur, symbola mentis nō sunt expectanda. *At si hoc*] Amplificat assumtionis rationem collatione dissimilium. πρόσωπα variis adjunctis exornatur de Sextio & Marcello, pro quibus postea habitæ extant orationes: nec enim hic Marcellus est sodalis Catilinæ. *De te autem*] Antapodosis dissimilitudinis, ubi silentii judicium mirificé exprimitur. *Neq; hi solum*] Additur ad judicium Senatus judicium equestris ordinis & reliquorum civium, ut totius civitatis sententia expelli Catilina videatur. Res interim variis adjunctis ornatur. *Vita vilissima*] εἰρωνεία est ex collatione majorum. *Circumstant*] Considera, quali forma in eo templo subsellia disposita fuerint, an ut in amphitheatris rotunda: id enim videtur hic significare Cicero, & pro Milone de judicum subsellius idem cúm ait, Non enim corona cōsessus vester cinctus est, ut solebat, non usitata frequentia stipati sumus. *Studia*] Significat hîc sibi acclamationem populi secundam contigisse adversus Catilinam. *Quorum ego*] Tale equitum Rom. studium Plutarchus in Cæsare, significat adfuisse Consuli adversus Cęsarem, quia conjuratos defenderēt. *Quanquam quid*] Complexionis loco (*Quare abi in exilium*) correctio est ad odium Catilinæ, & optatio ad gratiam Ciceronis.

[11] *Utinam tibi istam* [a] *mentem dii immortales* [“] *donarent. tametsi video, si mea* [a] *voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta* [c] *tempestas* [a] *invidiæ nobis, si minús in præsens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in* [a] *posteritatem* [c] *impendeat.* [”] *Sed non est mihi tanti, dummodó ista tua privata sit* [c] *calamitas, & á* [a] *Reipu-*

L. darent.

L. Sed est mihi tanti,

blica periculis sejungatur. Sed tu[a] *ut vitiis tuis commoveare, ut legum pœnas pertimescas, ut*[a] *temporibus*[a] *Reipublicæ concedas, non est postulandum. Neque enim Catilina is es, ut te*[a] *aut*[a] *pudor á turpitudine, aut*[a] *metus á periculo, aut*[a] *ratio á furore revocarit. Quamobrem, ut sæpé jam dixi, proficiscere: ac si mihi inimico, ut prædicas, tuo*[c] *conflare vis invidiam, rectá perge in exilium.*[a] *Vix feram sermones hominum, si id feceris: vix*[c] *molem istius*[a] *invidiæ, si in exilium ieris jussu*[d] *Consulis,*[c] *sustinebo. Sin autem*[c] *servire meæ*[a] *laudi &*[a] *gloriæ mavis, egredere cum*[c] *importuna sceleratorum manu: confer te ad Manlium:*[c] *concita perditos cives: secerne te á bonis: infer*[a] *patriæ bellum: exulta*[a] *impio latrocinio:*[a] *ut á me non ejectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris.*

TAMETSI] Correctio ex adjuncta invidia,

Si Catilina abeat, Consul magnam invidiam subibit:
At Consul eam non recusat:
Abeat igitur Catilina.

Connexi forma tametsi inconstans, nonnunquam tamen adhibetur. *In posteritatem*] Ut in præsens, sic in posterum tempus frequentiús quám in posteritatem Cicero dicit. Defectiones solis & lunæ cognitæ prædictæque in omne posterum tempus: 2 de Natur.deor. Aliquando sine *tempus*: ut in Lælio, Amicitia bona spe prælucet in posterum. Aliás etiam in posteritatem, ut pauló póst in hac rursus oratione, Mihi in posteritatem redundaret. *Sed non est*] Assumtionis & complexionis confusa sententia est. *Est mihi tanti*] Sic eadem de re secunda oratione: Est mihi tanti, Quirites, hujus invidiæ falsæ atque iniquæ tempestatem subire, dummodó á vobis hujus horribilis belli ac nefarii periculum depellatur. *Sed tu*] Correctio est ex complexionis dissimili, At non moveberis. *Neque enim*] Ratio

Ratio correctionis ex adjunctis, impudens, audax, furiosus es: ubi notabis subjecta cum suis adjunctis. *Quamobrem*] Complexio princeps jam sæpiús iterata, dilemmate ex adjunctis inter se dissentaneis amplificata. Prima pars est de invidia. *Ut sæpe*] Aperta complexio hæc tribus locis fuit. Quæ cúm ita sint, Catilina, perge, &c. Quamobrem discede, &c. Quæ cúm ita sint, Catilina, dubitas abire, &c. tribus etiam locis aliis obscuriús comprehensa, ut notavimus. *Conflare*] Metaphora est á ventis, qui proprié flare dicuntur. *Molem*] Pauló anté dissimili metaphora dixit tempestatem invidiæ. *Sin autem*] Secunda pars dilemmatis de laude Consulis, si Catilina secum suos eduxerit. *Ut á me*] Complexio secundæ partis.

Quanquam [u] quid ego te invitem, á quo jam sciam esse præmissos, qui te ad forum Aureliū præstolarentur armati? sciam pactam & constitutam esse cum Manlio diem? á quo etiam Aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus [a] [u] perniciosam esse confido, & [c] funestā futuram, cui domi tuæ sacrariū scelerum tuorum cōstitutum fuit, sciā esse præmissam? Tu ut illa diutius carere possis, [?] quā venerari ad cædem proficiscens solebas: á cujus altaribus sæpé istam dextram [a] impiā ad necem [d] civium transtulisti? Ibis tandem aliquando, quó te jampridem tua ista [a] cupiditas [c] effrænata ac [a] furiosa [c] rapiebat. [u] neq; enim tibi hæc res affert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem. [u] Ad hanc te amentiā natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. nunquam tu nō modó otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. nactus es ex perditis, atq; ab omni non modó [a] fortuna, verúm etiam [a] spe derelictis, [c] conflatam improborum manum. Hic tu [?] qua lætitia perfruêre? quibus gaudiis exultabis? quanta in voluptate [c] bacchabere,

L. quid cō te invitem, quó jam sc.

L. confido pniciosam, ac funestam futuram:

cúm in tanto numero tuorum[t] neq; audies virum bonum quenquam, neq; videbis? Ad hujus vitæ studium meditati illi sunt, qui feruntur,[a] labores tui: [u] jacêre humi non modò ad obsidendum [a] stuprum, verùm etiam ad facinus obeundum: vigilare non solùm ad insidiandum [a] somno maritorum, verùm etiam bonis occisorum. Habes ubi ostentes illam [b] præclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium: quibus te brevi tempore [c] confectum esse [c] senties. Tantum profeci tum, cúm te à L. depuli, *Consulatu[u] repuli, ut exul potiús tentare, quàm Consul [c] vexare Rempublicam posses: atque ut id quod esset à te sceleratè susceptum, latrocinium potiús, quàm bellum nominaretur.*

[s] QUANQUAM] Correctio ex factis Catilinæ:
Si Catilina suos suaq; præmiserit, abibit:
Sed primum:
Secundum igitur.

Assumtio præcedit. *Aurelium*] De hoc secunda oratione, Aurelia via profectus est. Tribunal Aurelium nominat in aliis orationibus. *Aquilam*] Aquila signum Romanæ militiæ fuit:

Signa pares aquilis & pila minantia pilis,

ait Lucanus. Hanc veró aquilam Marius bello Cimbrico habuit, ut Sallustius ait, quam quasi deam aliquam Catilina venerabatur, ab eaque videlicet Marii triumphos & honores precabatur. *Funestam*] Funestum propriè dicitur, funere inquinatũ, ut familia funesta: hinc metaphora pro pernicioso. *Tu ut illa*] Sententia propositionis quædam hic comprehenditur, quamvis obscurius:

Si Catilina præmiserit sua, discedet.

Ibis tandem] Complexio proximi syllogismi, amplificata repetitione argumenti, & adjuncta voluptate. *Ad hanc*] Confirmatio voluptatis ex caussis, natura, voluntate, fortuna: natura & voluntas facto Catilinæ probatur, ubi negauo-

tionem deesse notabis in *non modò*, pro *non modò non.* *Nactus es*] Ratio est fortunæ ex adjuncta parium societate. Nancisci autem verbum est fortunę proprium: ea nempe quæ occurrerint, prehendere. *Hic tu*] Concluditur voluptas proposita, & earum societas repetitur. *Bacchabere*] Metaphora est à Bacchanalibus, in quibus omnium libidinum & flagitiorum licentia concedebatur. Vide Liviū libro 39, de hoc sacro Græco acerbissimis suppliciis Romæ expiato. *Ad hujus vita*] Amplificatur rursus eadem voluptas factis Catilinæ & eorum caussis, ubi notabis orbem concinnitatis insignem. *Stuprum*] Metonymia est pro scorto, in quo stuprum admittitur. *Habes*] Postrema voluptatis confirmatio ex subjecto, circa quod Catilinæ vis exerceatur, qua de re postea erit oratione secunda: Atque idem tamen stuprorum & scelerum exercitatione assuefactus, frigore & fame & siti ac vigiliis perferendis, fortis ab istis suis sociis prædicabatur, cúm industriæ subsidia atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumerentur. *Tantum profeci*] Concluditur ex antecedentibus, Catilinam exulem & latronem futurum: minorum collatio interponitur: minus est tentare, quâm vexare. Habet enim vexandi verbum, ingentis calamitatis usum, ut ait Asconius, huc & illuc vehere & raptare scilicet. Quale est illud quod citatur é Catone, cúm Annibal terram Italiam laceraret & vexaret.

Nunc ut á me, P.C. quandam propé justam patriæ querimoniam detester, ac deprecer; [11] *percipite quæso diligēter quæ dicam, & ea penitús animis vestris mentibusq́ mandate. Etenim* [z] *si mecum* [a] *patria, quæ mihi vita mea multó est charior, si cuncta* [a] *Italia, si omnis* [a] *Respublica loquatur:* [12] *M. Tulli, quid agis? túne eum* [z] *quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem expectari imperatorem in*″ *castra hostium* [c] *sentis, authorem sceleris, principem* [a] *conjurationis, evocatorem servorum & civium perditorum, exire patie-* L. castris

ris, ut abs te non [10] emissus ex [9] urbe, sed immissus in urbem esse videatur? [11] Nónne hunc in [d] vincula duci, non ad mortem [c] rapi, non summo supplicio [c] mactari imperabis? [11] Quid tandem [c] impedit te? mósne majorum? at persæpé etiam privati in hac Republica perniciosos cives morte multarunt. [2] An leges, quæ de civium Romanorum supplicio rogatæ sunt? At nunquam in hac urbe ii qui á Republica defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam [a] posteritatis times? [b] Præclaram veró populo Romano refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam [c] maturé ad summum imperium per omnes honorũ [c] gradus [c] extulit, si propter invidiam, aut alicujus periculi metum, salutem civium tuorum negligis. Sed, si quis est invidiæ metus," non est vehementiús severitatis ac fortitudinis invidia, quám inertiæ ac nequitiæ pertimescenda. An, cúm bello vastabitur Italia, [c] vexabuntur [a] urbes, [d] tecta ardebunt, tum te non existimas invidiæ [c] incendio [c] conflagraturum?

al. num est, &c. pertimescenda?

NUNC UT] Disputata est sententia Ciceronis in partibus lenitatis: deinceps ad severitatem prosopopœja patriæ, Catonis scilicet, Catuli, & quorũdam Senatorum sententiam continens, contra Ciceronis lenitatem inducitur, & præponitur locus attentionis. *Detester*] Detestari, est vehementer testari: ut, Summum Jovem deosque detestor, ait Plautus in Menæch. Hinc detestari, pro abominari, quasi vehementer testari, te fugere. Cúm viderint tanquam malum auspicium, detestantur, ait in Vatinium Cicero: & detestari, avertere, ut hîc, & 4 Philippica, O dii immortales avertite & detestamini quæso hoc omen. Et 1 de Nat. deor. de Epicuro, Quæque de diis dixerit, invidiæ detestandæ gratia dixisse. *Etenim*] παρασκευὴ est prosopopœjæ,

popœjæ, ut antea fuit: Quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodó tacita loquitur. *M. Tulli*] Primum querimoniæ argumentum repetitur é procemio,

Perniciosi cives morte multandi ſunt:
Catilina perniciosus eſt civis:
Catilina igitur morte multandus.

Aſſumtionis ſententia parentheſi includitur. *Evocatorem*] Evocatio, ſpecies eſt militiæ, cúm ex diverſis locis milites evocantur, ſicut in hiſtoriis Rom. legimus ſolutis ergaſtulis, vocatis ad pileum ſervis conflatós exercitus. *Nonne hunc*] Complexio eſt, ubi Mactari metaphoram notabis á ſacrificiis, in quibus victima κατὰ εὐφημισμὸν (inquit Servius) mactari, id eſt, magis augeri, cúm thure videlicet & vino aſpergitur, pro Occidi dicitur: & propria ſignificatio aliquando legitur, ut Nonius citat é Repub. Ciceronis: Ferunt laudibus, mactant honoribus. Hic autem Mactari, tanquam ad aras immolari, ut erit in fine hujus, Vivos mortuosque mactabis. *Quid tandem*] Sententia propoſitionis fuerat in procemio ſex exemplis, de Melio, duobus Gracchis, Fulvio, Saturnino, Glaucia: ſed prolepſi duplici exornatur, & novum de legibus argumentum additur. *Leges*] Intellige leges Valerias, Porcias, Sempronias, de quibus á nobis pro Rabirio perduellionis reo dictum eſt. *An invidiam*] Secundum querimoniæ argumentum ex adjunctis ingrati animi, ſi timeatur invidia. *Praclaram*] Talis pauló anté εἰρωνεία fuit, Habes ubi oſtentes illam præclaram tuam patientiam. *Hominem per te*] Ratio eſt τῆς ἀχαριστίας, id eſt ingrati animi, ex adjunctis perſonæ, quia homo novus tam maturé, tamque ſummé ſit honoratus á populo Romano, de quo plura in procemio & peroratione ſecundæ Agrariæ. Notabis interea periphraſin novi hominis & conſulatus. *Sed ſi quis*] Altera invidiæ refutatio per collationem parium, quód lenitatis non minor invidia futura ſit, quám ſeveritatis. *An cum*] Ratio majoris invidiæ ex adjunctis malis, quæ ex bello (quod emiſſus Catilina facturus ſit) conſequentur. *Incendio*] Allegoria é proximis ſumta, quia tecta ardebunt.

His ego sanctissimis [a] Reipublicæ [d] vocibus, & eorum hominum qui idem [c] sentiunt, mētibus pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu judicarem, Patres Conscripti, Catilinam morte multari; unius usuram horæ [c] gladiatori isti ad vivēdum non dedissem. Etenim si summi viri & [c] clarissimi cives, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & superiorum complurium [a] sanguine non modò se non [c] contaminarunt, sed etiam honestarunt: certé verendum mihi non erat, ne quid, hoc [d] parricida civium interfecto, invidiæ mihi in posteritate [c] redundaret. Quòd si ea mihi maximé [d] impēderet, tamen hoc animo semper fui, ut [1] invidiam virtute [c] partam, gloriam, non invidiam putarem. Quanquam nonnulli sunt in hoc ordine, [1] qui aut ea quæ [c] imminent, non [7] videant: [8] aut ea quæ vident, dissimulent: [c] qui spem Catilinæ [11] mollibus sententiis [c] aluerunt, conjurationemq; [c] nascentem non credendo [c] corroboraverunt. quorum authoritatem [c] secuti multi non solùm [10] improbi, verùm etiam imperiti, si in al. & regiè f. *hunc animadvertissem, crudeliter, [11] non egregié factum esse dicerent.*

His ego] Abrumpitur hîc prosopopœja magis é proximo affectu, quàm decore & quiete deponitur. Quod intelliges principio & extremo collatis. Prosopopœja enim parenthesis est, Si mecum patria loquatur, &c. His ego, &c. lenties id ἀνακόλουθον. Superior prosopopœja secus, Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodò tacita loquitur: deinde, Hæc si tecum, ut dixi, patria loquatur, &c. Levia hęc sunt, sed tamen professionis hujus propria mysteria. Notabis autem interea patriam loqui pro Catone, Catulo, & similibus quibusdam patribus, qui majorem in Cicerone severitatem desiderabant. Ego] Respondet severitati, & lenitatem ex adjunctis commodis tuetur:

Si

Si commodum esset Catilinam interfici, nō emitterem:
Sed non est commodum:
Igitur emittam.

Propositio declaratur collatione [illegible] rũ, quorum fuit historia in procemio [illegible] a prosopopœja. *Sanguine*] [illegible] cæde, in qua sanguis effunditur. *P*[illegible] la propriè parentis, deinde fratris, [illegible] cuius interfectorē significat. Per synecdochē autem [illegible] quando ex specie totum significat genus, quem nos [illegible] homicidam. *In posteritatem*] Sic paulò ante, In posteritatem impendeat, dictum est. *Mihi redundaret*] Accusativus huic verbo sæpius tribuitur: ut 1 de Oratore, Consulatum objecimus iis fluctibus, qui per nos à communi peste depulsi, in nosmet ipsos redundarunt. *Quòd si*] Refutatio objectæ invidiæ ex dissimili, Non invidia esset, sed gloria. *Quanquam*] Assumptionis sententia specie correctionis hic incipit ex causa ipsa interficiendi Catilinam: Non est commodum, quia conjuratio nondum satis patefacta est, ubi Senatores quidam notantur, partim imperitia, partim improbitate, qui Ciceronem tyrānum essent appellaturi. Hic gradationem licét obscuriorem notabis, Quæ imminent, non videant: aut ea quæ vident, dissimulent. *Aluerunt*] Allegoria est á rebus animatis, quæ alimentis augentur.

Nunc intelligo, si iste, quó intendit, in Manliana castra pervenerit, [1] *neminem tam stultum fore, qui non videat conjurationem esse factam: neminē tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc* [a] *Reipublicæ* [c] *pestem paulisper* [c] [10] *reprimi, non in perpetuum* [c] *comprimi posse.* [11] *Quòd si se* [c] *ejecerit, secumq́ suos eduxerit, & eodem cæteros undiq́ collectos* [c] *naufragos* [c] *aggregaverit,* [c] *extinguetur atq́* [c] *delebitur nō modo hæc tam* [c] *adulta* [a] *Reipublicæ* [c] *pestis, verùm etiā* [c] *stirps ac* [c] *semen malorum omnium. Etenim jamdiu, Pa-*

tres conscripti, in his periculis [a] conjurationis, insidiisq; [c] versamur: sed nescio quo pacto omniũ [a] scelerum ac veteris [a] furoris & [a] audaciæ [c] maturitas in [d] nostri Consulatus tempus [c] erupit. Quód si ex tanto [a] latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddã tempus cura & metu esse [c] relevati: periculum autem [c] residebit, & erit [c] inclusum penitús in [c] venis atq; in [c] visceribus [a] Reipublicæ. Ut sæpé homines ægri morbo gravi, cúm [c] æstu febriq; [c] jactantur, si aquam gelidam biberint, primó relevari videntur; deinde multó gravius vehementiúsq; [c] afflictantur: sic hic [c] morbus qui est in [a] Republica, [c] relevatus istius pœna, vehementiús vivis reliquis [c] ingravescet.

Nunc intelligo] Statuitur ex contrario (*Si Catilina abierit,*) conjurationem planam fore. Similis sententia fuit antea: Tum deniq; interficiam te, cúm jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non jure factum esse fateatur. *Hoc autem*] Secunda assumtionis ratio ex adjunctis & incommodis interfecti, & commodis emissi Catilinæ. Quod antea fuit in eo loco: Nam si te interfici jussero, &c. *Reprimi, comprimi*] Paronomasia pauló anté similis fuit, Non emissus, sed immissus. *Ejecerit*] Allegoria est á tempestate maris, qua ejecti proprié dicũtur & naufragi: Ejecti ad littus, naufragi fracta navi. De ejectis pro Roscio, Quid tam commune, quám spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? Et sæpé apud Virgilium:

Si quibus ejectus sylvis aut urbibus errat.

Adulta pestis] Allegoria est á rebus animatis, in quibus adolescere & stirps & semen proprié dicitur, quæ hic conjurationi tribuuntur. *Etenim*] Commoratur in incommodis cædis Catilinariæ: Veteris conjurationis totius impetus nunc erumpit, qui Catilina interfecto reprimeretur paulisper,

paulisper, sed postea vehementius ingravesceret. *Maturitas erupit*] Maturitas proprié dicitur in frugibus. Commutationesq; temporum quadripartitas ad maturitatem frugum & temperationem aptas, prima Tuscul. *μεταφορικῶς* in ulcere dicitur & pure. Hinc secundaria metaphora videtur assumi, ut sequentia generis ejusdem explicabunt. *Relevari*] Allegoria est á morbis corporis, quæ deinde plena similitudine declaratur. Allegoria veró similitudinis pars est, sed involuta.

Quare, Patres Conscripti, secedant improbi,[a] secernant se á bonis, unũ in locum congregẽtur:[d] muro denique, id quod sæpé jam dixi, secernantur á nobis: desinant insidiari domi suæ[d] Consuli, circumstare tribunal[c] Prætoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos ad incẽdendam[d] urbem, facesque comparare. sit denique[c] inscriptum in fronte uniuscujusque civis, quid de Republica sentiat. Polliceor vobis hoc, Patres Conscripti, tãtam in nobis Coss. fore diligentiam, tantam in vobis authoritatem,[a] tantam in Equitibus Rom. virtutem, tantam in omnibus bonis cõsensionem, ut Catilinæ profectione omnia[c] patefacta,[c] illustrata,[c] oppressa, vindicata esse videatis.[11] Hisce ominibus, Catilina, cum[v] summa Reipubl. salute, & cum tua[c] peste ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere[d] parricidioq; junxerunt, proficiscere ad[a] impium bellum ac nefarium.[11] [11] Tum tu Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs, auspiciis á Romulo es cõstitutus, quem Statorem hujus urbis atq; imperii veré nominamus:[a] hunc & hujus socios[a] á tuis aris, cæterisq; templis, á[d] tectis[d] urbis ac[d] mœnibus, á vita[a] fortunisq; civiũ omnium arcebis: & oẽs inimicos bonorũ, hostes[a] patriæ, latrones[a] Italiæ, scelerum fœ-

L. summæ Reip.

dere inter se ac nefaria societate conjunctos, æternis suppliciis vivos mortuosq; mactabis.

QUARE] Syllogismi propositio & assumtio adhuc fuit:

Si commodum esset, non emitterem:
Sed non est commodum. Complexio sequitur:
Igitur emittam.

Quæ variis conjurationis partibus amplificatur. *Sæpe jam*] Duobus locis dictum est: Primo, Magno me metu liberabis, dummodò inter me atque te murus intersit: Secundo, Cùm à me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tutò esse tecum, qui magno in periculo essem, quód iisdem mœnibus contineremur. *Malleolos*] Malleolus quid sit, locus hic indicat, fax nempe ad incendendum: olim sparto & pice conficiebātur hæ faces, nunc igne Græco, ut appellant. hoc modo sumitur in Miloniana: Domus in clivo Capitolino scutis referta, plena omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum. Lanceas igneas, & poma ignis Græci, vulgó dicimus. *In fronte*] Allusio quædam videtur esse ad militares notas, quibus in prælio milites quam sectam sectentur dignosci possunt, qualis Francici militis crux est alba. *Polliceor*] Repetitur commoditas emissionis, & amplificatur caussis, quia tota civitas contra Catilinam consentiat. *Hisce*] Repetitur complexio cum apostrophe, & dira imprecatione in Catilinam, & sententia Ciceronis de hac deliberatione concluditur. *Tum tu*] Continuatur dirarum imprecatio apostrophe ad Jovem præsentis templi præsidem, ut Catilina cum focis expellatur, & sempiterna pœna torqueatur. *Iisdem*] Idem anté significatum est: Magna diis immortalibus habenda est gratia, atque huic ipsi Jovi Statori, antiquissimo custodi hujus urbis. *Statorem*] Stator commune nomen est ejus qui sistit. Sic Romæ Consulis, Prætoris & aliorum magistratuum, minister quidam stator dicebatur, qui reos sisteret, quique epistolas ferret aut referret. Ergo Jupiter stator urbis & imperii, quia sisteret, id est, tueretur & conservaret. Hac de

re 3

re 3 de Finibus, Jovem cúm optimum & maximum dicimus, cúmque eundem salutarem, hospitalem, statorem dicimus; hoc intelligi volumus, salutem hominum in ejus esse tutela. *Socios*] Periphrasis est conjuratorum ex eorum variis adjunctis.

ANALYSEOS RHETORICÆ & Logicæ in Catilinariam primam summa.

TRES agrariæ exemplum præbuerunt, quemadmodum puero, Ciceronis orationes explicari vellem, ut positæ quæstionis Aristotelicâ explicationem à magistro perciperet, ὅτι καὶ διότι, quia & quamobrem. Præliatus est hac oratione Cicero contra Catilinã: quæris quid effecerit? Certé non solúm Senatum & Rom. Equites, qui tum aderant, commovit, ut testis est clamor ille hac oratione expressus (*Quorum voces tu paulò ante exaudire potuisti*) sed etiam Catilinam, licét audacissimum & furiosissimum, perterruit. Hinc exclamatio Plinii, *Sed quo te Marce Tulli piaculo taceam? tuum Catilina fugit ingenium.* Hinc in Oratore de seipso Ciceronis elogium, *A nobis homo audacissimus Catilina in Senatu accusatus, obmutuit.* Docuit igitur Cicero, & movit, caussamq; pervicit: διότι, quamobrem? inquies: id enim genus est secundum, quæ caussæ sunt, quibus id effectum sit. Authoritas Consularis, vocisq; & gestus gratia plurimum potuêre: hic nullæ sunt. Elocutionis rhetoricæ, inventionis dispositionisq; logicæ, etsi jacentes & spiritu illo vivo destitutas, attamen magnas caussas hic intueri possumus. Ergo Aristotelica ἐπαγωγῇ καὶ ἱστορίᾳ, inductione & animadversione hasce caussas subducamus. Metaphora locis feré octoginta apparebit, Metonymia quinquaginta, Synecdoche viginti, Ironia sex: In quib. geminatis, ut in Agrariis monuimus, geminata quoq; gratia perluceat: *Ora, vultusq; moverũt: Oculi, auresq; speculabuntur: Non deest Resp. consilium atq; authoritas hujus ordinis: Sceleri & furori obstitisse: Vitam fugæ solitudinisq; mandare*, Metonymiæ sunt. *Nos*

autem viri fortes Reip. satisfacere videmur: Ad sodalem tuum virum optimum, & ad custodiendum te diligentissimum, & ad suspicandum sagacissimum, & ad vindicandum fortissimum, Ironia est. *Quot ego petitiones tuas ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, & (ut ajunt) corpore effugi? Qui spem Catilinæ mollibus sententiis aluerunt, conjurationemque nascentem non credendo corroboraverunt*, & allegoriæ ejusmodi metaphoræ sunt. *Exire ex urbe Consul hostem jubet*, &c. *Nullo modo posse iisdem parietibus tutò esse tecum, qui magno in periculo essem, quòd iisdem mœnibus contineremur:* Synecdochæ sunt. In figuris verborum, Epizeuxis quater est, quæ in Agrariis nulla fuit; Anaphora vicies, Epistrophe semel, Symploce ut Epanalepsis & Gradatio nulla: Epanodos semel, Anadiplosis ter, ut Paronomasia: Polyptoton veró bis & vicies. Numerus locis ferè sexdecim orbe completus est, sed illo inprimis loco gratissimus: *Jacère non modò ad obsidendum stuprum, verùmetiam ad facinus obeundum: Vigilare non modò ad insidiandum somno maritorum, verùmetiam bonis occisorum.* In figuris sententiarū Addubitatio, Concessio & Sustentatio nusquam: Deprecatio, Cōmunicatio, Permissio, Dialogismus, Digressio, Reticentia, Licentia semel: Optatio, Prolepsis, Prosopopœja bis: sed Prosopopœja omnium maxima & præstantissima. Præteritio & Exclamatio quater: Apostrophe quinquies. Atq; hæc elocutionis ornamenta si studiosiús contemplere, videbis in tropis & verborum figuris plus gratiæ & venustatis: in figuris sententiarū plus firmitatis & roboris. Retexe jam Logicam, cúm Rhetoricam retexueris, é topicis inventionis locis finis bis, efficiens ter, forma, materiaque nusquam: Facta Catilinæ & Ciceronis quàmplurima: Subjecta ter, Adjuncta septies, Dissentanea nusquam: Majora novies, sed per *Non modò* septies: Paria bis, Minora duodecies, Similia quinquies, Dissimilia omnium Comparatorum, ut semper aliás frequentissimé, semel & vicies: Notatio, Conjugatioque nulla. Partitionis vis quædam septies, Definitionis quinquies, ut Testimonium. Principale veró argumentum est ex effectis & adjunctis, ut Agraria secunda ex fine, tertia é testimonio: atque

atque hæc topica sunt. Analytica similiter excutiamus. Syllogismi pleni usum rarum esse jam in Agrariis monuimus, quia multa sunt αὐτόπιστα per se credibilia, & τῷ νῷ intellectu simplici contenta, quę syllogismi ambitum longiorem & periodum rejiciunt:& quæ syllogismum capere possunt, plerunque tamen una syllogismi parte posita, reliquæ prius concipiuntur, quàm exprimi possunt, ut *ego* & *tu* in syntaxi verborum primæ & secundæ personæ intelligũtur; raró tamen exprimuntur: Sunt tamen in primæ figuræ modo tertio pleni syllogismi tres: in primo connexo septẽ, inconstantes etiam tres. Ac prioris Analyseos & syllogismi hæc sunt. Posterioris Analyseos & methodi si viam artificiosam spectes, vis quædam expressa est, sed non aperté posita. Nec enim deliberationis quæstio proposita, nec perspicué distributio facta: κρύψεως Aristotelicæ, prudentiæq; laus major est: sic ad terrendum hominem furiosum modo severitas acriús obiicitur, modó lenitas mitiús admovetur, ut ad terrores, quos sibi proposuerat Orator, artificiosus ordo de industria occultatus esse videatur. Require igitur διότι quamobrem Catilinam Cicero terruerit? Respondebo quod é præsentibus virtutibus possum, quia elocutione rhetorica, inventione & dispositione logica ad cõmovendum & terrendum aptissima usus sit; teq; admonebo, ut in exemplo tanto, tamq; excellenti, virtutes oratoris ita retextas meditere, & consimili caussa aliqua posita imitere. Hic enim fructus tibi proponitur, ut exemplis cognitis artem meliús cognoscas, & cognitam commodiús exerceas.

M. T. CICERONIS IN L. CATILINAM ORATIO SECVNDA AD QUIRITES; P. RAMI prælectionibus illustrata.

ARGVMENTVM.

QUÆ AB superiorem deliberationem secuta sint, Sallustius ita describit. Ubi Cicero assedisset, inquit, Catilina ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso vultu, voce supplici postulare à patribus cœpit, ne quid de se temere crederent: ex ea familia ortum, ita vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet: ne existimarent sibi patricio homini, cujus ipsius atq; majorum plurima beneficia in plebem Rom. essent, perdita Republica opus esse, cùm eam servaret M. Tullius homo novus. Ad hæc maledicta alia cùm adderet, obstrepere omnes, hostem & parricidã vocare. Tum ille furibundus, Quandoquidem circũventus, inquit, ab inimicis præceps agor, incẽdium meum ruina restinguam. Deinde se extemplò domum proripuit. Ibi multa secum volvens, quòd neque insidiæ Consuli procedebant, & ab incendio intelligebat urbem vigiliis munitam: optimum factu credens, exercitum augere, ac priùs quàm legiones scriberentur, multa ante capere, quæ bello usui forent: nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est: sed Cethego atq; Lentulo, cæterisq;, quorum cognoverat promtam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis ut cõfirment, insidias Consuli maturent, cædem, incendia, aliaq; belli facinora parent, sese propediem cum magno exercitu accessurum ad urbem. Hæc Sallustius. Plutarchus addit cum trecentis eum satellitibus abiisse. Gratulatio igitur est profectionis Catilinariæ ad confirmandum bonos, & debilitandum conjuratos, quasi victus jam sit Catilina. Ad hanc enim rem perpetua est comparatio conjura-

jura-

juratorum & bonorum civium, quales utriq; sint: sed de conjuratis, quò manifestior infirmitas eorum fieret, prolixiùs est disputatum. Proponit igitur Orator initio ejectum & profligatum esse Catilinam, & hinc gratulatur populo. Prima gratulationis ratio est ex adjunctis & consiliis personæ, quòd furiosus & Reipublicæ exitium machinatus ejectus sit.

ORATIO II.

TANDEM *aliquando, Quirites, L. Catilinam* [c] *furentem audacia, scelus* [c] *anhelãtem,* [c] *pestem* [a] *patriæ nefariè molientem, vobis atq; huic* [a] *urbi* [a] *ferrum* [a] *flammamq; minitantem,* " *ex* [d] *urbe* [e] *vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum* " *egredietem* [d] *urbe prosecuti sumus.* " *Abiit, excessit, evasit, erupit. nulla jam pernicies à* [a c] *monstro illo atq;* [a c] *prodigio* [d] *mœnibus ipsis intra* [d] *mœnia comparabitur. Atq; hunc quidem unum hujus belli domestici ducẽ sine controversia vicimus.* " *non enim jam inter* [d] *latera nostra sica illa* [c] *versabitur:* [a] *non in* [d] *campo, non in* [d] *foro, non in* [d] *curia, non deniq; intra domesticos* [d] *parietes pertimescemus. Loco ille motus est, cùm est ex* [d] *urbe* [c] *depulsus. palàm jam cum hoste, nullo* [c] *impediẽte, bellum justum geremus. Sine dubio perdidimus* [d] *hominem, magnificéque vicimus, cùm illum ex occultis insidiis in* [c] *apertum latrocinium conjecimus.*

L. egredientem, verbis prof.

L. non jam int.



FURENTEM] Furentem audacia, scelus anhelantem, metaphoræ videntur esse á canibus rabidis, qui rabie agi-

tati, & perpetuo cursu fatigati, rabiem anhelant. *Abiit*] Effecta sunt proximis caussis reddita: abiit, excessit, ejectus: evasit, emissus: erupit, á persequentibus coactus. Non est autem congeries idem significantiū, ut Quintilianus ait. *Nulla*] Ratio secunda ex adjunctis, quód domesticæ insidiæ sublatæ sint. *Monstro atque prodigio*] Tropus duplex est: metonymia pro monstroso atq; prodigioso: deinde metaphora pro homine tetro & horrendo. *Atq; hunc*] Tertia ratio item ex adjunctis, quód Catilina victus sit, ubi amplificatur proximus locus de insidiis. *Sica illa*] De qua, superiore oratione, Quoties jam tibi extorta est sica ista de manibus? *Loco ille*] Iteratur proxima ratio, & confirmatur dissimili: Apertum jam erit bellum, non insidiæ. Metaphora autem est *loco motus* à bello, ubi hostis loco motus, faciliús vincitur. *Sine dubio*] Tertió idem dicitur. *Perdidimus* autem hic, pro *afflximus*, positum est: ut pro Sex. Roscio, Mors Scævolæ cives suos perdidit & afflixit.

[a] *Quód veró non cruentum [d] mucronem, ut voluit, extulit, quód [d] vivis nobis egressus est, quód ei [a] ferrum de manibus [c] extorsimus, quód incolumes [d] cives, quód stantem [d] urbem reliquit: quanto tandem illum mœrore [c] afflictum esse & [c] profligatum putatis? [c] Jacet ille nunc [c] prostratus, Quirites, & se [c] perculsum atque [c] abjectum esse [c] sentit, & [c] retorquet oculos profectó sæpé ad hanc urbem, quam ex suis [c] faucibus [c] ereptam esse luget. Quæ quidem [a] lætari mihi videtur, quód tantam [c] pestem [c] evomuerit, forasq; [c] projecerit.*

Quód veró] Pars altera gratulationis ad mœrorem Catilinariorum item ex adjunctis, quód salvis civibus Catilina abierit. *Ferrum*] Allegoria similis est illi, Extorta est tibi sica ista de manibus, &c. *Jacet ille*] Effecta sunt superioribus caussis reddita. Vicimus: victus itaq; jacet. ubi est insignis ἐνέργεια hominis perditi & afflicti. Quinque autem ejusdem generis metaphoræ hic adhibitæ, afflictus, profligatus, prostratus, perculsus, abjectus, ad hominis cladē significandā concurrunt. *Faucibus*] Ejusmodi metaphora

est

est oratorio primo, Eripite nos é faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest satiari. Omitto fauces ex quibus te eripi vis. Et tertiæ Catilinariæ initio, Ex flāma atq; ferro, ac pené ex faucibus fati ereptam, &c. *Quæ quidem*] Opponitur ex eadem re contraria patriæ lætitia, ubi allegoria est ab ægrotis, qualis antea fuit illa, Periculū erit inclusum penitús in venis atq; visceribus.

[11] *At si quis est talis, quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso, in quo [c] exultat & [c] triumphat [a] oratio mea, me vehementer accuset, quód tam [c] capitalem hostem non comprehēderim potiús, quám emiserim: non est ista mea culpa, Quirites, sed [a] temporum. Interemtum esse L. Catilinam, & [c] gravissimo supplicio affectum jampridem oportebat: idq; á me [a] & mos majorū, & hujus imperii severitas, & [a] Respublica postulabat. Sed [a] [u] quám multos fuisse putatis, [? a] qui, quæ ego deferrem, non crederent? quám multos, qui propter stultitiam non putarent? quám multos, qui etiam defenderent? quám multos, qui propter improbitatem faverent? Ac si [c?] sublato illo [c] depelli á vobis omne [a] periculum judicarem, jampridem ego L. Catilinam non modó [u] invidiæ meæ, verúm etiam vitæ periculo sustulissem. Sed quum viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata, si illum, ut erat meritus, morte mulctassem fore, ut ejus socios invidia [c] oppressus [c] persequi non possem: rem huc [c] deduxi, [u] ut tum palám pugnare possetis, cúm hostem aperté [c] videretis.*

L. invidia mea,

AT SI] Prolepsi proponitur alterum superioris deliberationis caput, cur Catilina non potiús interemtus sit, quám emissus. *Exultat*] Metonymia est in *oratio*, & metaphora in *exultat*: quia inanimatæ rei tribuitur actus, quod sine tropo diceretur, Ego orans exulto. *Trium-*

phat] Metaphoræ origo nota est, quia in triumphis omnis generis gaudia exprimebantur. Ideo Triumphare & Exultare pro eodem sunt: ut pro Cluentio, Palàm exultare lætitia, & triumphare gaudio cœpit. *Capitalem*] Caput aliquando τροπικῶς vitam significat: ut, In hac defensione capitis, fortunarumque omnium, pro Rabirio perduellionis reo. Hinc capitale crimen, judicium, capitalis fraus, hostis, ubi vita periclitatur. *Interemtum*] Confirmatio prolepseos ex iisdem argumentis, quæ superioris deliberationis exordio, & prosopopœja contra Ciceronem fuerunt. *Sed quàm*] Refutatio prolepseos ex adjunctis, quód conjuratio nondum plané omnibus pateat, ubi quorundam ignavia & improbitas notatur. Quod idem bis antea fuit: Primùm, Si te Catilina comprehendi jussero, &c. Deinde, Quanquam nonnulli, &c. *Ac si*] Secunda refutationis ratio ex adjunctis commodis:

Si commodum esset, interemissem:
Non est commodum:
Non igitur interemi.

Hic locus bis antea fuit: Si te interfici jussero, &c. Hoc autem interfecto, &c. *Rem huc*] Complexionis loco dissimile illud de aperto bello ponitur, ubi cum subjecto adjunctum collatum notabis, apertæ pugnæ cum aperto hoste.

Quem quidem ego hostem, Quirites, quàm vehementer foris esse timendum putem, licet hinc intelligatis, quód illud etiã molesté fero, quód ex [d] urbe parum comitatus exierit. " Utinam ille omnes secum suas copias eduxisset." Tongillum mihi eduxit, quem amare in [a] pratexta" calumnia cœperat: (calumnia non legit L.) *Publicium & Munatium, quorum æs alienum contractum in [a] popina nullum Reipublicæ [c] motum afferre poterat, reliquit; ' quos viros, quanto alieno ære, ' quàm valentes, quàm nobiles, vos videtis. Itaque ego illum exercitum" ex Gallicanis legionibus, & cum hoc delectu, quem in agro Piceno* (L. præ Gall.) *& Gal-*

& Gallico Q. Metellus habuit, & iis copiis, quæ á nobis quotidie comparantur, magnopere cõtemno, [c]collectum[a] ex senibus desperatis, ex[a] agresti luxuria, ex rusticis mendiculis & [c] decoctoribus, ex iis qui vadimonia deserere, quám illum exercitũ, maluerunt: quibus ego non modó si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictũ Prætoris ostendero, [c] concident. Hos,[a] quos video [c]volitare in [d]foro, quos stare ad [d] Curiam, quos etiam in Senatũ venire; [a] qui nitent unguentis, qui [c]fulgent [a] purpura, malle secum suos milites eduxisset: qui si hic permanẽt, mementote non tam exercitum illum esse nobis, quám hos, qui exercitum deseruerunt, pertimescendos.

al. mediastinis & decoct.

QUEM QUIDEM] Persequitur quæstionẽ, quód Catilina victus sit. Comparatio est cõjuratorum & bonorum civium. προτασις longa est usq; ad locum *Instruite nunc*, initio etiam comparata, quód urbani conjurati magis timendi, quám castrenses. *Utinam*] Extenuat castrenses Catilinæ copias ex adjunctis, quód molles sint, asoti. *Calumnia*] Verbum hoc translatitium esse, nec ad rem quicquam facere videtur. Prætexta autem; toga puerilis erat usque ad annum decimumseptimum, quo virilis sumebatur. Metonymia igitur est pro ætate juvenili. *Reliquit*] Amplificat ex adjunctis urbanas conjuratorum copias, in quibus undecim senatores erant, ac plerique nobiles, ut in argumento dictum est. *Itaq;*] Locus hic corruptus est, ubi ἀνταπόδοσις quædam fuerat bonorum civium adversus utrunque genus conjuratorum. Nec veró Catilinæ exercitum ex Gallicanis legionibus cõflatum Cicero dicere voluit, præsertim cúm dicat in agro Gallico adversus Catilinam copias comparari. Metellus autem hic est, ad quem 5 libro Ciceronis sunt epistolæ. *Collectum*] Hæc referenda sunt ad castrenses Catilinæ copias, quæ variis adjunctis extenuantur, & minorum itemque majorum collatione. *Decoctoribus*] Metaphora est pro asotis & prodigis, qui sicut olla aut ventriculus cibos coquendo consumunt. Te-

nésne memoria te prætextatum decoxisse? &c. Philip. 2. *Vadimonia*] Vas proprié dicitur in re capitali, ut obses in re militari, præs in re pecuniaria. Vadimonium tamen generaliter accipitur pro sponsione certo die in judicium veniendi. Formula veró Romanis quondam fuit in vadimonio concipiendo & promittendo, non ea quæ nunc est in litibus nostris: qualis veró fuerit, nescio: nec exemplum ejus formulæ unquam legisse memini. Ignominiosam veró fuisse vadimonii desertionem locus hic indicat, sicut alii apud Ciceronem multi. *Aciem*] Talis oratione superiore metaphora fuit: Aciem authoritatis hebescere. acies autem exercitus, exercitum ipsum instructum significat.

—Campo stetit agmen aperto:
Directaq; acies,—

Virgil. 2 Georg. Hos quos] ἀνταπόδοσις de conjuratis urbanis, amplificata rursus aliis adjunctis. *Volitare*] Talis Agraria secunda metaphora fuit, Volitat ante oculos istorum Jubæ Regis filius, &c. Et tertia Catilinaria, Catilinam ducere exercitum, & in armis volitare audiatis. *Qui si*] Complexio secundæ collationis (*Urbani conjurati magis timendi:*) quod probatur, adjuncta hominum pertinacia: Vident suam conjurationem cognosci, attamen non commoventur.

Atque etiam hoc magis sunt timendi, quód quid cogitent, me scire [c] *sentiunt, neque tamen permoventur. Video* [c] *cui Apulia sit attributa,* [a] *qui habeat Hetruriam: qui agrum Picenum, qui Gallicum, qui sibi has urbanas insidias cædis atque incendiorum depoposcerit. Omnia superioris* [a] *noctis consilia ad me perlata esse* [c] *sentiunt:* [c] *patefeci in Senatu hesterno die. Catilina ipse pertimuit: profugit: hi quid expectant? næ illi vehementer* [c] *errant, si illam meam pristinam* [a] *lenitatem perpetuam sperant futuram. quod expectavi, jam sum* [c] *assecutus, ut vos omnes factam esse* [c] *" aperté conjurationem*

al. apertam

nem contra Rempubl. videretis. [b] *nisi veró si quis est, qui* [7] *Catilinæ similes cum Catilina sentire non putet.*

Apuliá] Id antea significatum est, Distribuisti partes Italiæ, statuisti quó quęque proficisci placeret, &c. Manlio autem Hetruria, Septimio Picenus ager, qui nunc Marchia Anconitana dicitur, C. Julio Apulia erat distributa, aliæque aliis partes, ut Sallustius ait. *Catilina*] Collatio est veluti majoris. Catilina profugit: cur igitur non fugiunt? Idem tamen pauló póst tanquam minus sumetur. *Ne illi*] Minitatur urbanis conjuratis, & præteritæ lenitatis finem ostendit. *Nisi*] Ironia est cum similitudinis argumento.

Non est jam lenitati locus: severitatem res ipsa [c] *flagitat. unum etiam nunc concedam:* [17] *exeant, proficiscantur: ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum* [c] *tabescere. demonstrabo iter: Aurelia via profectus est. si accelerare volent,* [#] *ad vesperum consequentur.* [11] *O fortunatam Rempublicam, si quidem hanc* [c] *sentinam hujus urbis ejecerit! Uno mehercle Catilina* [c] *exhausto,* [c] *relevata mihi &* [c] *recreata* [a] *Respublica videtur. Quid enim mali* [1] *aut sceleris fingi, aut excogitari potest, quod non ille* [c] *conceperit?* [1] *Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis* [d] *sicarius, quis parricida, quis testamentorum subjector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos,* [7] *quis adulter, quæ mulier infamis, quis* [10] *corruptor* [a] *juventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissimé vixisse fateatur?* [#] *Quæ cædes per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum? Jam veró quæ tanta in ullo unquam ho-*

al. ad vesperam cons.

mine [a] juventutis illecebra fuit, quanta in illo? qui [9] alios ipse [10] amabat turpissimé, aliorum amori flagitiosissimé [c] serviebat: [2] aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modó [c] impellendo, verúm etiam adjuvando, pollicebatur. Nunc veró quám subitó non solúm [2] ex urbe, verúm etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum [c] collegerat? Nemo non modó Romæ, sed nec ullo in angulo totius Italiæ [c] oppressus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus [c] asciverit.

NON EST] Argumentum ex adversis. *Unum etiam*] Permittit urbanis conjuratis egressionem, quam Catilinæ suaserat: ex adjunctis res exponitur: desiderantur conjurati, & illis via est facilis, tempus breve. *Tabescere*] Metaphora est á tabidis, qui dum phthisi consumuntur, proprié dicuntur tabescere. *Aurelia*] De qua oratione superiore, Qui te ad forum Aurelium præstolarentur armati. *O fortunatam*] Disputatur utilitas permissæ egressionis collatione minorum. Catilina emisso, civitas videtur relevata: quid si comites suum ducem sequentur? προτάσει: differitur usque ad locum *Hunc vero*. Hæc collatio fuit pauló anté tanquam majorum. *Quid enim*] Disputatur προτάσει: factis & adjunctis: adjunctis, quod perditissimis sociis deditus sit Catilina. *Subjector*] Periphrasis est testamentarii, qui dicitur Officiorum 3, & pro Sextio, id est, qui falsa testamenta subjicit. Generaliter appellatur á Suetonio falsarius. *Circumscriptor*] Circumscribere, pro decipere, in Lucullo Ciceronis similiter est: Fallacibus & captiosis interrogatiunculis circumscripti atque decepti. Videtur metaphora á feris, quæ indagine circumveniuntur & circumscribuntur. *Ganeo*] Ut á popinis popinones, sic á ganeis meretricum lustris, ganeones, qui ganeas frequentant, appellantur. *Quæ cædes*] Revocatur locus superior ex effectis, & inductione partium amplificatur de audacia & intemperantia:

sed

sed intemperãtia præsertim, ut Catilina scortaretur idem, & lenocinaretur aliis. *Parentum*] Filii familiarum (ait Sallustius) in conjuratione fuerunt, qui se parentes necaturos receperant. *Nunc vero*] Cõcluditur é superioribus factis tantam subitorum conjuratorum manum convenisse. *Fœdus*] Talis conjuratorum periphrasis oratione superiore fuit: Scelerum fœdere inter se, ac nefaria societate conjunctos.

Atque ut ejus diversa studia in dissimili ratione[c] perspicere possitis,[a] nemo est in ludo gladiatorio paulò ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinæ esse fateatur: nemo in scena[c] levior & nequior, qui se non ejusdem prope sodalem fuisse commemoret." Atq; idem tamen stuprorum & scelerum exercitatione assuefactus, frigore & fame & siti ac vigiliis perferendis, fortis ab iis istis suis sociis prædicabatur, cùm industriæ subsidia atque instrumenta[d] virtutis, in libidine, audaciaq;" consumerentur. Hunc verò[a] si sui fuerint comites secuti, si ex[d] urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi[c] greges:[a] ô nos beatos,[a] ô Remp. fortunatam,[a] ô præclaram laudem[a] Consulatus mei![a] Non enim jam sunt mediocres hominum libidines, non humanæ audaciæ ac tolerandæ: nihil cogitant[a] nisi cædes, nisi incendia, nisi rapinas. Patrimonia sua[c] profuderunt,[a] fortunas suas[c] obligurierunt: res eos jampridem, fides deficere nuper cœpit: eadem tamen illa, quæ erat in abundantia,[a] libido permanet. Quòd si in[a] vino &[a] alea comissationes solùm &[a] scorta quærerent, essent illi quidem desperandi, sed tamen essent[a] ferendi: hoc verò quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudẽtissimis," ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus?

L. Atque idẽ tamen, stuprorũ, & scelerum exercitatione, assuefactus frigori, & fami, & siti, & vigiliis perferẽdis, fortis ab istis prædicabatur.

L. consumeret.

L. ebrios

qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi," *confecti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris,* [c] *eructant sermonibus suis cædem bonorum, atq;* [d] *urbis incendia.*

quid. conferti

Atque ut] Adhuc separatim de audacia & intemperantia: nunc de utroque simul, ex adjunctis sociis argumentum est. Gladiatorius autem ludus, audaciæ ludus est, ut Scena in qua impudicæ fabulæ stupris & adulteriis refertæ tractantur, nequitiæ ludus est. *Atque idem*] Repetitur idem, & naturalia virtutis semina in vitiosum habitum conversa demonstrantur. *Hunc veró*] Contra illā ἀν-πρότασιν, Exhausto Catilina civitas videtur recreata: ἀνταπόδοσις tandem sequitur, quæ amplificatur consiliis conjuratorum. *Patrimonia*] Dissimile est ad eandem amplificationem, Quanquam libidinis facultas consumta est, libido tamen permanet. ubi notabis *obliguri-erunt* metaphoram esse ab eduliorum suavitate, quæ proprié dicuntur obliguriri, vel abliguriri: ut Terentius, Patria abliguricrat bona. á λιγυρὸν, id est dulce, ligurire grammatici putant deductum. *Quód si*] Continuatur amplificatio ex alio dissimili. *Hoc veró*] ἀνταπόδοσις aliis aucta dissimilibus. *Qui mihi*] ὑποτύπωσις intemperantium ex adjunctis mirificé depicta illustratione ἀνταποδόσεως proximæ.

Quibus ego confido [c] *impedēre* [d] *fatum aliquod: & pœnas jandiu* [a] *improbitati,* [a] *nequitiæ,* [a] *sceleri,* [a] *libidini debitas,* [a] *aut instare jam plané, aut certé jam appropinquare. Quos si meus* [a] *consulatus, quoniam* [c] *sanare non potest,* [c] *sustulerit, non breve nescio quod tempus, sed multa secula* [c] *propagarit Rempubl.* [a] *Nulla est enim natio, quam pertimescamus: nullus Rex, qui bellum populo Romano*" *inferre possit: Omnia sunt externa unius virtute, terra mariq; pacata: domesticum bellū manet:* [a] *intus insidiæ*

L. facere poss.

insidiæ sunt:[c]intus[c] inclusum periculũ est: intus est [d]hostis:[a]cũ[a] luxuria nobis, cum [a]amentia, cũ[a]scelere certandum est. Huic ego me bello ducẽ profiteor, Quirites: suscipio inimicitias hominum perditorũ. Quæ[c] [a]sanari poterunt, quacunq; ratione [c]sanabo: quæ [c]resecanda erunt, non patiar ad [c] perniciem [a]civitatis[c] manare. Proinde[a] aut exeant, aut quiescant: aut si[a] & in[d] urbe, & in eadem [a]mente permanent, ea, quæ merentur, expectent.

Quibus ego] Minitatur rursus conjuratis urbanis, & eandem severitatem ostendit. *Fatum*] Fatum & prosperum & adversum generaliter dicitur. Ideoque explicatur hîc, quale de pœnis, nempe debitis ac meritis. *Quos si*] Disputatur utilitas severitati conjuncta, quæ deinde dissimilibus latiús amplificatur. *Nulla est*] Illustratio propositæ utilitatis ex dissimili: Nullum est externum bellum; hoc solum est domesticum. Sic 1 Agraria, Nullum externum periculum, non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda, inclusum malum ac domesticum est: á Pompejo enim tum piratis & Mithridate superato, pax summa erat toto oriente. *Intus*] ἀνταπόδοσις aucta quadam periphrasi conjurationis. Consimilis autem allegoria est in defensione Murenę: Intus, intus est (inquam) equus Trojanus, á quo nunquam me Consule dormientes opprimemini. *Huic ego*] Opponitur rursus ad conjurationem Consulis severitas; ubi allegoria est á vitiatis partibus corporis, quæ quia sanari non possunt, amputantur. *Proinde*] Concluditur severitatis comminatio, & tamen rursus conceditur.

11 *At etiam sunt, Quirites, qui dicant á me in exilium ejectum esse Catilinam. Quod ego si verbo [c]assequi possem, istos ipsos ejicerẽ, qui hæc loquuntur.[d] Homo enim videlicet [b] timidus & [b]permodestus[a] vocem [d] Consulis[c] ferre non potuit: simul atq;*

L. paruit, quievit. Hesterno die, &c.
L. cõvocavi,
L. proximã
L. cúm teneretur:

ire in exilium jussus est,[″] *paruit. Quid, quód hesterno die, cúm domi mea pene interfectus essem,*[11][a] *Senatum in ædem Jovis Statoris*[″] *vocavi, rem omnẽ ad Patres Conscriptos* [c] *detuli? Quo cúm Catilina venisset,*[2][11] *quis eũ Senator appellavit? quis salutavit? quis deniq; ita aspexit, ut perditum civem, ac non potiús ut*[c] *importunissimum hostem? quinetiã principes ejus ordinis partem illam subselliorũ, ad quam ille accesserat,*[c] *nudam atque*[c] *inanem reliquerunt.*

AT ETIAM] Prolepsis est secũda, Quód Catilina crudeliter ejectus sit á Cicerone, quæ variis adjunctis refellitur. Cicero cæteros non ejicit, & Catilina timidus non est. *Quid quód*] Proponitur summa superioris deliberationis, ut appareat Catilinam á Cicerone ejectum non esse. Repetitur veró tacitum illud Senatus de Catilina judicium.

Hic ego[b] *vehemens ille*[d] *Consul, qui verbo*[d] *cives in exilium*[b] *ejicio,*[19] *quæsivi á Catilina, an nocturno conventu apud M. Leccam fuisset, nec ne. cúm ille, homo audacissimus, conscientia*[c] *convictus primó reticuisset,*[c] *patefeci cætera: quid ea nocte egisset, ubi fuisset, quid in*[″] *proxima constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, docui.*[2] *Cúm hæsitaret,*[″] *cúm cũctaretur,*[19] *quæsivi quid dubitaret proficisci eó, quo jampridem pararat:*[2] *cúm arma, cúm secures, cúm fasces, cúm tubas, cúm signa militaria, cúm Aquilam illam argẽteam (cui ille etiam sacrarium scelerum domi suæ fecerat) scirem esse præmissam.*[11] *In exilium ejiciebam, quem jam ingressum in bellum esse videbam? Etenim,*[b] *credo, Manlius iste Centurio, qui in agro*

in agro Fesulano castra posuit, bellum populo Romano suo nomine indixit: & illa[a] castra nunc non Catilinam ducem expectant: & ille ejectus in exilium se Massiliam, ut ajunt, non in hæc castra, conferet.

Hic ego] Accusatio fuit antea vehemẽs, quæ leniendæ invidiæ caussa quæstio hîc dicitur: ex adjunctis autem criminis confessio significatur. *Cùm hæsitaret*] Adduntur alia sceleris indicia, ex quibus quæstio hæc altera concluditur:

Ingressus in bellum, non ejicitur in exilium:
Catilina ingressus erat:
Non igitur ejiciebatur.

Assumtio ex adjunctis belli signis præponitur. Catilina siquidem pauló póst ex agro Rheatino cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit. De aquila superiore oratione dictum est. *Etenim*] Altera assumtionis ratio ex repugnantibus: Manlius non facit bellum suo nomine, Catilinæ itaque nomine. *Massiliam*] Massiliam satis constat ex Aristotelis Politicis & Cicerone pro Flacco, præstantissimam civitatem fuisse. Aristoteles quinto Politico Massiliensis consuetudinis meminit, ut delectu habito, cognitaq; caussa aditus ad honores concedebatur. & pro Flacco Cicero ait, Sic optimatum cõsilio gubernatur, ut ejus instituta laudare facilius sit, quám æmulari. Hunc postea exilii sui locum delegit Milo.

15 *O conditionem miseram non modó administrandæ, verúm etiam conservandæ[a] Reipublicæ! Nunc si L. Catilina[a] consiliis,[a] laboribus,[a] periculis meis[c] circunclusus ac[c] debilitatus subitó pertimuerit, sententiam mutaverit, deseruerit suos, consilium belli faciundi[c] abjecerit, ex hoc[c] cursu sceleris & belli[c] iter ad fugam atq; in exilium converterit:[a] non ille á me[c] spoliatus armis[a] audaciæ, non[c] obstupefactus ac perterritus mea diligentia, non despe*

conatuq; ᶜdepulsus, sed indemnatus, innocens in exilium ejectus á ᵈ Consule vi & minis esse dicetur: & erunt, qui illum, si hoc fecerit, ˡnon improbum, ˡ″sed timidum: me non diligentissimum Consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint. Est mihi tanti, Quirites, hujus invidiæ falsæ atq; iniquæ ᶜtempestatem ᶜsubire, dummodo á vobis hujus ᶜhorribilis belli ac ᵃ nefarii periculum ᶜ depellatur. Dicatur sané ejectus esse á me, dummodo eat in exilium.

L. sed miserum:

O CONDITIONEM] Disputatur syllgismus ille superioris orationis,

Si Catilina ierit in exilium, Cicero magnam invidiam subibit:

At eam Cicero *non recusat.*

Abeat itaq; Catilina.

Forma conclusionis est inconstans: propositio commiserationem habet, & in exilium fuga exornatur adjunctis antecedentibus. *Non ille*] Amplificatio propositionis ex dissimili. *Et erunt*] Amplificatio secunda ex aliis dissimilibus. *Est mihi*] Propositio adhuc fuit: assumtio sequitur, *At Cicero non recusat invidiam.* Finis autem subeundæ invidiæ notatur. *Dicatur sane*] Complexio syllogismi.

Sed mihi credite, non est iturus. Nunquam ego á diis immortalibus optabo, Quirites, invidiæ meæ ᶜlevandæ caussa, ut L. Catilinam ducere exercitum hostium, atq; in armis ᶜvolitare ᵉaudiatis: sed triduo tamen audietis: multoq; magis illud timeo, ne mihi sit invidiosum aliquando, ″quód illum emiserim″ potiús, quám quód ejecerim. Sed cúm sint homines, qui illum, cúm profectus sit, ejectum esse ᵉdicant: iidem, si interfectus esset, quid dicerent? Quanquam isti, qui Catilinam Massiliam ire dicti-

potius *abest ab omnibus Vet. lib.*

dictitant, non tam hoc queruntur, quám verentur. Nemo est istorum tam misericors, qui illum non ad Manlium, quám ad Massilienses ire malit. Ille autem, si mehercules hoc, quod agit, nunquam anté cogitasset, tamen latrocinantem se interfici mallet, quám exulem vivere. nunc veró, cúm ei nihil adhuc præter ipsius voluntatem cogitationemq; acciderit, nisi quód vivis[d] nobis Roma profectus est: optemus potiús ut eat in exilium, quám queramur. Sed cur tamdiu de uno[c] hoste loquimur, & de eo [a] hoste, qui jam fatetur se esse hostem: & quem, quia (quod semper volui) murus interest, non timeo: de iis,[a] qui dissimulant, qui Romæ remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus? quos quidem ego, si ullo modo fieri" posset, non tam ulcisci studeo, L. possit, *quám [c] sanare, & ipsos placare [a] Reipublicæ. neque, id quare fieri non possit, si me audire" voluerint, intelligo.* L. volent,

SED MIHI] Prolepseos altera defensio, quód Catilina non sit iturus in exilium, sed ad bellum. *Triduo*] Vulgus *intra triduum*: Cicero tamen pro Milone sic rursus ait, Clodius respondit illum triduo, ad summum quatriduo esse periturum. Et pro Murena, Triduo me jureconsultum esse profitebor. *Multoque magis*] Retorquet invidiæ crimen. Imó invidiosum potiús erit, quód non occiderim. Sicut in prosopopœja patriæ fuit contra Ciceronem. *Sed cum sint*] Argumentum á minoribus. *Quanquam isti*] Correctio ex majoribus. *Ille autem*] Differitur rursus ex adjunctis, Catilinam in exilium non iturum:

Si non tam ex animo successisset, tamen non iret in exilium:
At successit:
Multó itaq; minús ibit.

Optemus potius]Complexionis loco ponitur hæc collatio majorum. *Sed cur*]Revocatur oratio á Catilina ad urbanos conjuratos, tanquam magis timendos: & in universum disseritur, omnes conjuratos despiciendos esse: quæ pars est principis collationis. *Quod semper*] Id enim jam sæpe antea. Dum modó inter me atque te murus interfit. Item, Nullo modo me posse iisdem parietibus tutó esse tecum, qui magno in periculo essem, quód iisdem mœnibus contineremur. Item, Muro denique, id quod sæpe jam dixi, secernantur á nobis. *Quos quidem*] Summa futuræ disputationis ponitur, eaque ad oratoris gratiam mitior.

Exponam enim vobis, Quirites, ex quibus generibus hominum ista [a] copia comparentur: deinde singulis [c] medicinam consilii atq; orationis meæ, si quam potero, afferam." Primum genus est eorum, qui [10] magno in ære alieno majores etiam possessiones habent, quarū amore adducti, [c] dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima (sunt enim locupletes) voluntas veró & caussa impudentissima. [2] [11] Tu agris, tu ædificiis, tu [a] argēto, tu [a] familia, tu rebus omnib. [c] ornatus & copiosus sis, & dubites aliquid de possessione detrahere," ac fidē acquirere? [12] Quid enim expectas? bellum? quid ergo? in vastatione omniū, tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? an [7] tabulas novas? [c] errant, qui istas á Catilina expectant: meo beneficio tabulæ novæ proferētur, verúm auctionariæ. Neq; enim isti qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt. Quod si [c] maturius facere voluissent, neq; (id quod stultissimum est) certare cum usuris, fructibus prædiorum; locupletioribus his, & melioribus civibus uteremur. Sed hosce homines minimé puto pertimescendos, quód [2] aut [c] deduci de sententia "possunt:

[1] L. Unum genus est cor.

L. ad fidem acqu.

"*possunt: aut si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra Rempublicam, quàm arma laturi.* al. facilè possunt.

EXPONAM] Iteratur eadem propositio ad eãdem gratiam. Sex autem genera describentur, omnia feré ex adjunctorum loco. *Primum*] Definitio primi generis ex adjunctis: Obæratì, divites, avari, specie honestissimi, re impudentissimi. *Dissolvi*] Sic in Officiis, Nunquam nec majus æs alienum fuit, nec melius, nec facilius dissolutum est. *Species*] Vulgus id apparentiam vocat. Agrar. 2, Aliud quiddam obscuré moliuntur, aliud spe ac specie simulationis ostentant. *Locupletes*] Divites habentur honesti & probi & illustres, quia disciplina & nobilitas divitias videtur comitari, ait Aristot. 4 Politic. *Tu agris*] Sequitur morbi definitionem & explicationem suá medicina ex caussis: Velis aliquid vendere, & fidem acquirere. *Quid enim*] Occupatur spes conjurationis, & repugnantibus refellitur. *Vastatione*] Pro eodē vastitas antea fuit: denique totam Italiã ad exitium & vastitatem vocas. *An tabulas*] In præmiis belli propositis á Catilina tabulæ novę fuerunt. Veteribus tabulis deletis vetus æs alienum debitoribus condonabatur, & remittebatur. Tabulæ igitur novæ hanc remissionem significant. Cicero autem ex dissimili cavillatur & jocatur. *Quod si*] Indicat inertia tantum æs alienum esse contractum. *Certare*] Id est, putare fructus prædiorum usuris majores esse. *Sed hosce*] Concluditur refutatio primi generis.

Alterum genus est eorum, qui quanquam [c]*premuntur ære alieno, dominationem tamen*" *expectant: rerum potiri volunt: honores, quos quieta* [a]*Republica desperant,* [c]*perturbata* [c]*consequi se posse arbitrantur. Quibus hoc præcipiendum videtur, unum scilicet & idem, quod cæteris omnibus, ut desperent se id, quod conantur,* [c] *consequi posse. Primum omnium me ipsum vigilare, adesse, provide-* al. expetunt.

re Republicæ; deinde magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas præterea copias militum: deos denique immortales huic invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimæ urbi, contra tantam vim sceleris præsentis auxilium esse laturos. Quòd si jam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti, num illi in cinere urbis, & sanguine civium (quæ mente conscelerata ac nefaria concupierunt) se Consules ac Dictatores, aut etiam Reges sperant futuros? Non vident se cupere id, quod si adepti fuerint, fugitivo alicui, aut gladiatori concedi sit necesse?

L. & in sang.

L. cõsules se, aut dictatores, &c.

ALTERUM] Definitur secundum genus item ex adjunctis: Obærati sunt & ambitiosi. *Quibus*] Adhibetur definito morbo sua medicina ex consimili refutatione vanæ spei, contra quam opponuntur contraria Reipubl. præsidia in Consule, civibus, exercitu, diis. *Quod si*] Cõtinuatur refutatio ex repugnanti eventu: Si vicerint conjurati, optatos honores in exitio Urbis non assequentur. *Fugitivo*] Vide num quid hîc desit; aut sententia sit, Gladiatoribus qui viribus corporis superãt, honores in tali bello concedi necesse est.

Tertium genus est ætate jam confectum, exercitatione robustum: quo ex genere est ipse Manlius, cui nunc Catilina successit. Hi sunt homines ex iis coloniis, quas Fesulis Sylla constituit: (quas ego universas civium esse optimorum & fortissimorum virorum sentio:) sed tamen hi sunt coloni, qui se insperatis repentinisq; pecuniis sumtuosius insolentiúsq; jactarunt. Hi dum ædificant tanquam beati, dum prædiis, lecticis, familiis magnis, conviviis, apparatibus delectantur, in tantum æs alienũ inciderũt, ut, si salvi esse velint, Sylla sit his

quid. affectum, sed tamen exerc. *al.* effœtũ, sed tamen exerc.

L. dũ prędiis lectis, familiis magnis, cõviviis apparatis delect.

ab inferis excitādus: qui etiā nonnullos agrestes, homines[c] tenues, atq; egentes in candē illam spē rapinarum veterum impulerūt. Quos ego utrosq;, Quirites, in eodē genere prædatorū, direptorumq; pono: sed eos hoc moneo, desinant[c] furere, & proscriptiones & [d]dictaturas cogitare: tantus.n. illorū[a] temporum dolor[c] injustus est[a] civitati, ut jā ista non modó homines, sed ne pecudes quidē mihi passura esse videātur.

TERTIUM GENUS] Definitio tertii generis ex adjūctis: partim veterani Syllæ Fesulis collocati, profusi, obærati: partim rustici mendiculi. *Quas ego*] Significat hac parenthesi paucos ex his colonis conjurasse, reliquos bonos esse. Quadraginta autē septem legiones Sylla in captivos agros deduxerat. *Insperatis*] Amplificatur profusio ex variis factis. *Lecticis*] Lecticas appellat, quibus molliter portabantur. Martial. lib. 6,

Octophoro sanus portatur Avite Philippus.

Sylla sit] Ex caussa efficiente argumentum est. Sylla ab inferis excitetur, ut largiatur iis rursus proscriptiones, & eos locupletet. Inferos aūt notabis Latiné dici ut Græcé τὸν ᾅδην, locum mortuorū non solúm miserorum, sed etiā beatorum. Apud inferos enim Elysii campi sunt, ut Philosophi, non solúm Poëtę statuunt. Christiani secus hoc verbo tantúm miserorum locum significant. *Quos*] Medicinæ est proximi morbi eadem feré quæ secundi generis, quód omnes boni contrá propugnaturi sint. *Non modó*] Sic Agr. 2, Non modó ii quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri lætari mihi videntur.

Quartum genus est sané varium, & [c]mixtum & [c]turbulentum:[a] qui jampridem [c]premuntur: qui nunquam [c]emergent: qui[a] partim inertia, partim malé gerendo negocio, partim etiam sumtibus, in vetere ære alieno[c] vacillant: qui vadimoniis, judiciis, proscriptionibus bonorū [c]defatigati, permulti & [a]ex urbe, & ex agris se in illa castra conferre di-

cuntur. hosce ego non tam milites acres, quàm infitiatores lentos esse arbitror. Qui homines primùm, si[c] stare non possunt, [c]corruant: sed ita: ut non modò [a]civitas, sed ne vicini quidem proximi [c] sentiant: nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honestè non possunt, perire turpiter velint: aut cur minore dolore perituros se cum multis, quàm si soli pereant, arbitrentur.

QUARTUM GENUS] Definitio quarti generis ex adjunctis: Obærati, ignavi, infortunati, profusi, judicus damnati. *Emergent*] Metaphora ab aquis. Ad eas aves quæ se in mari mergerent, quæ cùm emersissent, piscemq; cepissent: 2 de Natur. deor. *Proscriptionibus bonorum*] Ut creditoribus eorum satisfieret. *Hosce*] Refutatio est quarti generis ex collatione majorum, deinde ex adjunctis, quòd eorum motus obesse non possit. *Nam illud*] Cavillatio est ex adjunctis, quòd turpem vitam mors turpis consequatur. *Aut*] Allusio est ad illud dictum, Consolatio miserorum est habere pares.

Quintum genus est parricidarum, [d]sicariorũ, denique omnium facinorosorum: quos ego à Catilina non revoco: nam neque [c] divelli ab eo possunt, & pereant sanè in [d]latrocinio: quoniã sunt ita multi, ut eos capere carcer non possit. Postremum autem genus est non solùm numero, verùm etiam genere ipso atq; vita, quod proprium est Catilinæ, de ejus [c]delectu, imò verò de [c] complexu ejus, ac [c] sinu, quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis & talaribus ac tritis tunicis, [c]velis amictos, non togis: quorum omnis industria vitæ, & vigilandi labor in antelucanis cœnis expromitur. In his [c]gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudiciq; versantur: hi

L. atque vita, propriũ Catilinæ,

L. talaribus tunicis: velis amictos

pueri

pueri tam lepidi ac delicati non solùm [a] amare & amari, neque cantare & [b] psallere, sed etiam sicas vibrare, & spargere venena didicerunt: qui nisi exeunt, nisi [a] pereunt, etiã si Catilina perierit, scitote hoc in Republica [c] seminarium Catilinarium futurũ. Veruntamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum [d] mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodũ autem illis carere poterunt, his præsertim jam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum, atq; illas pruinas ac nives perferent? nisi idcirco se faciliùs hyemem toleraturos putant, quód in conviviis nudi saltare didicerunt. [21] O bellum magnopere pertimescendum, cúm hanc sit habiturus Catilina [e] scortatorum cohortem Prætoriam!

al. saltare,

fort. scortatorũ & scortorum coh.

QUINTUM GENUS] Quintum genus ex adjunctis definitur: Audaces, facinorosi, quos tanquam perditos & desperatos omittit, & brevi cum Catilina perituros. *Postremum genus*] Postremi generis refutatio ex variis adjunctis: Intimi Catilinæ, lepidi, delicati, libidinosi. *Aut bene barbatos*] Barba pexa & delibuta nitidos significat. Nam barbati veteres Romani fuere. Unum aliquem ex barbatis illis exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen Reip. diceres intueri: pro Sextio. Tempore tamen Ciceronis jam delicatiore, barba radebatur. *Manicatu*] Sic apud Virgilium 9 Æneid. manicæ reprehenduntur:

Et tunica manicas, & habent redimicula mitra.

Ac tritu] Hæc verba redundant, & desunt in exemplaribus quibusdam. *Velis amictos*] Significatur hac metaphora, laxitas togarum, quæ velorum instar panderentur. *Antelucanu*] Talis ebrietas in Pisonem arguitur: Ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat, mẽsam tolli jubet. & Martialis:

Nocturno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in noctem semper Acerra bibit.

Concluduntur superiora duobus verbis, & factis novis exaggerantur. *Quinisi*] Significat optandum postremi generis interitum, ne morum similitudo latiùs serpat, quod metaphora seminarii declaratur. Est veró seminarium, locus subactus, in quo cúm semina fruticum arborúmve excreverunt, in vinetum arbustúmve transferuntur. Simili metaphora dictum est in Pisonem, Ex illo fonte & seminario triumphorum. Et 1 Offic. Id autem est principium urbis, quasi seminarium Reipubl. *Verumetiam*] Refutatio postremi generis ex belli adjunctis, quæ talibus deliciis repugnent: relinquendæ voluptates, toleranda frigora. *His pruinis*] Mense Decembri. *Apenninum*] Mons Apenninus Italiam mediam dividit. Hic veró mons vento & frigore biduum Hannibali obstitit, ait Livius. *Nisi idcirco*] Cavillatio est á repugnantibus tantæ tolerantiæ. *O bellum*] Concluditur πρότασις universa de copiis Catilinæ: ἀνταπόδοσις sequitur de bonorum contrariis copiis, cum quibus sigillatim superiora breviús comparantur, primúm personæ ipsæ, principes cum principibus: deinde milites cum militibus.

Instruite nunc, Quirites, contra has tam [b] præclaras Catilinæ copias, [2] vestra [a] præsidia, vestrosq; exercitus: & primúm [c] gladiatori illi confecto & saucio Consules, imperatoresq; vestros opponite: deinde contra illam [c] naufragorum [c] ejectam ac [c] debilitatam manum, [c] florem totius [a] Italiæ ac [c] robur educite: jam veró urbes [a] coloniarũ ac [a] municipiorum respondebũt Catilinæ [c] "tumulis sylvestribus. Neq; veró cæteras copias, ornamenta, [2] præsidia vestra cum illius latronis [a] inopia atq; [a] egestate debeo conferre: sed si omissis his rebus omnibus, quibus nos "suppeditamus, eget ille, [a] Senatu, Equitibus Rom. populo, urbe, [a] ærario, vectigalibus, cuncta [a] Italia, [a] provinciis omnibus, [a] exteris nationibus: si inquam his rebus omissis, ipsas caussas, quæ inter se confligunt, con-

al. cumulis

al. superamus, L. suppeditamur,

contendere velimus: ex eo ipso, quám valde illi[c] jaceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte[a] pudor pugnat, [b] illinc[a] petulantia: [a] hinc[a] pudicitia, illinc[a] stuprũ: hinc[a] fides, illinc[a] fraudatio: hinc[a] pietas, illinc[a] scelus: hinc[a] constantia, illinc[a] furor: hinc [a] honestas, illinc[a] turpitudo: hinc[a] continentia, illinc [a] libido: deniq;[a] æquitas, [a] temperantia, [a] fortitudo, [a] prudentia, [a] virtutes omnes certant[b] cum[a] iniquitate, cum[a] luxuria, cum[a] ignavia, cum[a] temeritate, cum[a] vitiis omnibus: postremó[a] copia cum[a] egestate, [a] bona ratio cum[a] perdita, [a] mens sana[a] cum amentia, bona deniq; spes cum omnium rerum[a] desperatione[c] confligit. In hujusmodi[c] certamine ac prælio nónne etiam si hominum studia deficiant, dii ipsi immortales cogent ab his[c] præclarissimis virtutibus[?] tot & tanta vitia superari?

[a] CONFECTO] Sic Tuscul. 2. Mittunt vulneribus confecti ad dominos, qui quærant quid velint, si satisfactum iis non sit, se velle decumbere. *Naufragorum*] Sic antea, Quód si se ejecerit, secumque suos eduxerit, & eodem undique collectos naufragos aggregaverit. *Jam vero*] Tertia pars de urbibus quæ bonis adsint, desint malis. *Neque vero*] Comparantur reliquæ belli facultates, quibus conjurati sunt inferiores. *Si inquam*] Comparantur secundo post personas loco caussæ ipsæ ex variis adjunctis, quibus caussa Catilinæ modis omnibus sit inferior. *Contendere*] Sic actione 4, In tanta istius impudentia remittendum aliquid videtur, ne omnia contendamus. *Denique æquitas*] Revocatur inductionis superioris confusio ad quatuor genera virtutum & vitiorum. *Postremo*] Repetuntur superiora quadam congerie similiter confusa. *In hujusmodi*] Complexio comparationis aucta minorum collatione: Caussam meliorem, etiamsi sit inferior, dii adjuvant. Quo feré modo pro Ligario dictum est, Caussa tum dubia erat, quód erat aliquid in utraque parte quod

probari posset; nunc melior certé ea judicanda est, quam etiam dii adjuverunt.

Quæ cúm ita sint, Quirites, vos, quemadmodũ jam antea dixi, vestra[d] tecta[a] custodus[a] vigiliisq; defendite: mihi, ut[d] urbi[1] sine vestro[u] motu, ac sine ullo tumultu satis esset[a] præsidii, consultum ac provisum est. Coloni omnes municipesq; vestri certiores á me facti de hac nocturna excursione Catilinæ, facilé urbes suas finesq; defendēt: gladiatores,[u] quã sibi ille maximam manum & certissimam fore putavit, quanquam meliore animo sunt, quám pars patriciorum, potestate tamen in vestra cõtinebuntur. Q. Metellus, quem ego[c] prospiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumq; præmisi,[1] aut opprimet[d] hominem, aut omnes ejus[a] motus[a] conatusq; prohibebit: reliquis autem de rebus constituendis,[c] maturãdis, agendis, jam ad[a] Senatum referemus, quem vocari videtis. Nunc illos, qui in[d 9] urbe remanserunt, atque adeó qui contra urbis salutem, omniumque vestrûm in urbe á Catilina relicti sunt, quanquam sunt hostes, tamen quia nati sunt cives, monitos etiam atq; etiam volo. Mea lenitas adhuc si cui solutior visa est, hoc expectavit, ut id, quod[c] latebat,[c] erumperet: quod reliquum est, jam non possum oblivisci,[10] meam hanc esse patriam,[9] me horũ esse Consulem:[11] mihi[1] aut cum his vivendum, aut pro his esse moriendum.[1] Nullus est[c] portæ custos, nullus insidiator viæ: si qui exire volunt, consulere sibi possunt. Qui veró in[d] urbe se[c] cõmoverit, cujus ego nõ modó factum, sed inceptum ullum conatúmve contra[a] patriam deprehendero,[c] sentiet in hac urbe esse Cõsules vigilantes,[1] esse egregios magistratus,

L. metu,

L. quam sibi ille manum certissimam fore p.

L. portis

tus, esse fortem [a] Senatum, esse [a] arma, esse carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifestorũ [a] scelerum majores nostri esse voluerunt.

Quas cúm] Pro complexione gratulationis adhortatio est ad urbis defensionem atque custodiam. *Colonis*] Repetuntur é superiore collatione præsidia coloniarum & municipiorum, & nova gladiatorum præsidia adduntur. *Excursione*] Excursio, militare nomen est hoc loco. Helvetii sine dubio sunt in armis, excursionesque in provinciam faciunt, ait ad Atticum. Hinc excursor. Est populo Romano certamẽ cum excursore, cum latrone, cum Spartaco, 4 Philipp. *Quanquam*] Correctio est proximæ parenthesis. *Q. Metellus*] Postremum est adversus Catilinam præsidium de exercitu Metelli, de quo initio dictum est. *Reliquis*] Diligentia Consulis & Senatus ad eandem populi confirmationem ostenditur. *Nunc illos*] Revocatur ad extremum significatio lenitatis jam toties adhibita. *Mea lenitas*] Prolepseωs primæ summa repetitur de præteritæ lenitatis & futuræ severitatis caussa. *Nullus est*] Egressionis libertas iterum permittitur. *Qui vero*] Minæ initio jactatæ repetuntur, & oppositis caussis augentur. *Vindicem*] Carcerem tamen non pœnam Ulpianus esse dicit, eumque ad continendos homines, non puniendos haberi oportere. Livius cum Cicerone lib. 1 sic ait, Carcer ad terrorem increscentis audaciæ media urbe imminens foro ædificatur.

Atq; hæc omnia sic agentur, Quirites, [u] ut res maximæ, minimo motu; pericula summa, nullo tumultu; bellum [d] intestinũ ac [c] domesticum post hominum memoriã crudelissimum & maximũ, me uno [a] togato duce & imperatore, sedetur. Quod ego sic administrabo, Quirites, ut, si ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquã in hac urbe pœnam sui sceleris sufferat: sed [c] si vis manifestæ [a] audaciæ, si [c] impendens [a] patriæ periculum me necessa-

rió de hac animi lenitate[c] *deduxerint: illud profe-ctó perficiam, quod in tanto & tam*[a] *insidioso bello* L.videretur, *vix optandum*" *videtur, ut ne quis bonus intereat, paucorumq; pœna vos omnes jam salvi esse possitis. Quæ quidem ego*[a] *neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites, sed multis & non dubiis deorum immortalium significationibus: quibus ego*[c] *ducibus in hanc spem sententiamque sum*[c] *ingressus: qui jam non procul, ut* L. externo *quondam solebant, ab*" *extero hoste atq; longinquo, sed hìc præsentes suo numine atque auxilio sua templa atque*[d] *urbis*[d] *tecta defendunt: quos vos, Quirites, precari, venerari, atque implorare debetis, ut, quam*[a] *urbem pulcherrimam,*[c] *florentissimam, potentissimamq; esse voluerunt, hanc omnibus hostiũ copiis terra mariq; superatis, á perditissimorum civium*[a] *nefario scelere defendant.*

ATQUE HAEC OMNIA] Repetitur lenitas, & collatione dissimilium amplificatur, quamvis res sit gravissima, tamen moderaté coërcebitur. *Togato*] Toga, pacis est vestis, ut sagum belli: hinc per metonymiam togatum ducem appellat inermem: unde illud ejusdem laudis elogiũ ab invidis reprehensum,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

& certé propria Ciceronis ea laus fuit, Ariobarzanem Cappadociæ regem fine prælio restituit: Cilicum, Syrorumque tumultus sine gladio pacavit: non solúm hoc difficillimum bellum togatus confecit. Vide Plutarchum in Cicerone. *Quod ego*] Altera lenitatis amplificatio ex effectis, quód in neminem, vel certé paucos sit animadversurus: videtur autem ad militarem illam legem respicere, de qua pro Cluentio: Statuerunt ita majores nostri, ut si á multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. *Quæ quidem*] Confirmat

mat studium suum divino quodam testimonio, idque ad majorem populi confirmationem, de quo latissimé tertia Catilinaria. *Quos vos*] Concluditur oratio adhortatione ad venerandos deos. Venerationis argumentum est ex ipsorum deorũ beneficiis erga Romam. *Urbem pulcherrimam*, Sic antea, Deos denique immortales huic invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimæ urbi, contra tantam vim sceleris præsentis, auxiliũ esse laturos. *Perditissimorum*] Periphrasis est conjuratorum & conjurationis.

ANALYSEOS RHETORICÆ & Logicæ in secundam Catilinariam summa.

QUIS hujus gratulationis eventus, quámque gratus Quiritibus fuerit, plebis primó rerum novarum cupidæ in pristino statu permansio, testimonium magnum est. Atque illud est ὅτι: caussas, si lubet, talis eventus cúm rhetoricas in elocutione, tum logicas in topica inventione & analytica dispositione reminiscendo subducamus. Quid elocutio in Tropis? Ironia locis octo, Synecdoche triginta, Metonymia quinquaginta, Metaphora centũ legitur. Sed in tropis omnibus geminatis geminatam gratiam recordemur. *Hic ego vehemens ille consul, qui verbo cives in exilium ejicio*, Ironia est duplicata. *Non in campo, non in foro, non in curia.* Synecdoche triplicata. Majore gratia tropus uterq; simul geminatur. *Homo enim videlicet timidus & permodestus vocem consulis ferre nõ potuit:* (timidus, permodestus, non potuit) Ironiæ sunt: (homo, vocem consulis) Synecdochę sunt. Metonymiæ adhuc crebriús multiplicantur & primi generis, *Ferrum flammamque minitantem*: & secundi, *Mente conscelerata & impia:* & tertii, *Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati:* sed inprimis quarti, *A monstro illo atq; prodigio*, &c. *In cinere urbis & sanguine civium*, &c. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia*, &c. *Denique*

æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, &c. Sed ex omnibus tropis metaphora & simplex & geminata gratissima est, *Quæ sanari poterunt, quacunque ratione sanabo: quæ resecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manare,* &c. *Florem totius Italiæ ac robur educite.* Hæc troporum lumina tam multa sunt: figurarum multò pauciora: in verbis, Epizeuxin uno, Paronomasiã duobus, Orbem numerosum quatuordecim, Polyptoton octodecim, Anaphoram quadraginta locis animadvertemus: cæteras verborũ figuras nusquam. Numerosæ similitudinis Symploce nusquã insignior est, quàm eo loco? *sed quàm multos fuisse putatis, qui quæ ego deferrem, non crederent? quàm multos, qui propter stultitiã non putarent? quàm multos, qui etiam defenderẽt? quàm multos, qui propter improbitatem faverent?* In sententiis Optationẽ, ut Apostrophen locis duobus, Permissionem & Exclamationẽ & Prolepsin quatuor, Prosopopœjam obliquã, ut Præteritionem uno observabimus: Cæteras sententiarũ figuras nusquam. Ita tota elocutio tropis ornatior est, quàm figuris. Retexamus logicam, nervos popularis gratulationis & cõfirmationis videbimus: Ex caussarum loco finis præcipuè quidem non adhibetur, sed locis quatuor incurrit: Efficiens summum totius orationis argumentum est, de belli facultatibus, quas conjurati, quasque contrà boni cives habeant: sicut secũda Agraria, finis: Tertia testimonium: Prima Catilinaria effectum primarium argumentum fuit. Effecta conjuratorũ multa sunt, subjectum nullum, Adjuncta perpetua, Adversum uno loco, Repugnãs quatuor, cætera Dissentanea nulla. E Comparatis majora loco uno & viginti, Dissimilia uno pluribus, Minora quinque, Similia duobus, Par nullum. Sed in majoribus notabis formam illam *Non modo sed etiam*, septem locis: pluribus hanc *potius quàm*, vel *non tam quàm*. Notabis in dissimilibus formam hanc *non hoc, sed illud*, sex locis: Item per *quanquam, tamen*, quinque: ubi nota, *quanquam* frequenter omittitur: *Me scire sentiunt, neque tamen permoventur.* Notatio conjugatioque nulla: Divisio uno loco perspicua est: *Exponam vobis ex quibus generibus hominum istæ copiæ comparentur, deinde singulis medicinam cõsilii atque orationis afferam.*

ram. Definitiones sunt manifestiores sex propositorũ generum, sed ὑποτυπώσεις καὶ ἐνέργειαι ad definitionis locum referendæ sunt, ut afflicti Catilinæ, *Jacet ille nunc prostratus, Quirites, & se perculsum atque abjectum esse sentit, & retorquet oculos profectò sæpe ad hanc urbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget:* & luxuriosorum conjuratorum, *Qui mihi accubantes in conviviis, cõplexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis cædem bonorum atque urbis incendia.* Testimonia cúm hominũ tum deorum adhibita sunt. Ergo sunt hæ quidẽ vires inventionis topicæ: Analyticæ veró dispositiones in syllogismis plenis, exẽpla pauciora sunt, quám in superiore oratione, & satis obscuré concluduntur. Syllogismus simplex unus est in primæ figuræ modo tertio: cõnexi tres, iiq; inconstanter cõclusi. Atq; jam monui, quám rarus esset usus syllogismi pleni. Analyseos veró posterioris & methodi seu doctrinã, seu prudentiam spectes, laus hîc est amplior. Etenim positũ est initio ad publicam gratulationem, victum esse Catilinam: idq; problema tota oratione disputatum. Partitio quædã facta est in cõparatione de facultatibus conjuratorum & bonorum civium: conjurati in urbanos & castrenses cõparatione alia divisi, rursusq; oẽs in sex genera distributi, tandẽ partium explicatarũ summa pressiús cõducta & conclusa. Methodus hæc est doctrinæ: prudentiæ veró methodus est in duplici prolepsi, cur Catilina nõ sit interemtus, cur sit crudeliter ejectus. Utraq; enim non publica populi, sed privata Ciceronis caussa adhibita est: atq; in secunda, quia periculi plus habebat, plus est etiã laboratum: & quamvis severitas lenitasq; varié permiscetur, lenitati tamen plus est concessum. Quamobrem cúm requires quibus caussis hæc oratio populum delectarit, & in reipublicæ fide confirmarit, hæ tibi rhetoricæ elocutionis & logicæ invẽtionis ac dispositionis mortuæ licet artes respondebunt, ea quibus animi multitudinis oblectari & confirmari poterant, hîc esse adhibita, orationis ornatum, rei sententiæq; argumentum via & ordine positũ. Quid si consularem illã vultus tam popularis majestatẽ: quid si vocis, quæ pauló altiús elata intimis audientiũ præcordiis (ut

mum D. Bruti perducit, quòd foro propinqua erat, neque aliena cõsilii propter Semproniam: nam tum Brutus Romæ aberat. Præterea Gabinium accersit, quo major authoritas sermoni inesset. Eo præsente conjurationem aperit, nominat socios, præterea multos cujuscunque generis innoxios, quò legatis animus amplior esset. Deinde eos pollicitos operam suam, domum dimittit. Sed Allobroges diu in incerto habuere quidnam consilii caperent. In altera parte erat æs alienum, studium belli, magna merces in spe victoriæ: at in altera majores opes, tuta consilia, pro incerta spe, certa præmia. Hæc illis volventibus, tandem vicit Fortuna Respubl. Itaque Q. Fabio Sangæ, cujus patrocinio plurimùm civitas utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero per Sangam consilio cognito, legatis præcepit, ut studium conjurationis vehementer simulent, cæteros adeant, bene polliceantur, denique operam, uti eos quàm maximè manifestos habeant. Iisdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Brutio, Apulia motus erat. Namq; illi, quos ante Catilina dimiserat, inconsulte, ac veluti per dementiam, cuncta simul agebant: nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, plus timoris quàm periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer Prætor ex decreto Senatus, cognita caussa, in vincula conjecerat: item in citeriore Gallia C. Murena, qui ei provinciæ legatus præerat. At Romæ Lentulus cum cæteris qui erant conjurationis principes, paratis, ut videbatur, magnis copiis, constituerat, uti cùm Catilina in agrum Fesulanũ cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis concione habita quereretur de actionibus Ciceronis, belliq; gravissimi invidiam optimo Consuli imponeret: eo signo proxima nocte cætera multitudo, conjurationis suum quisque negocium exequeretur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur. Statilius & Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad Consulem, cæterosque quibus insidiæ parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis januam obsideret, eumque vi aggrederetur: alius autem alium. Sed filii familia-

miliarum, quorum ex nobilitate maxima pars erat, parentes interficerent: simul cede & incendio perculsis omnibus ad Catilinam erumperent. Inter hæc parata atque decreta, Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum, illos dubitando, & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere: facto, non consulto, in tali periculo opus esse: seque si pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promtus erat: maximum bonum in celeritate putabat. Sed Allobroges ex præcepto Ciceronis per Gabinium cæteros conveniunt: ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant jusjurandum, quod signatum ad cives perferant: aliter haud facile eos ad tantum negocium impelli posse. Cæteri nihil suspicantes dant. Cassius semet eò venturum brevi pollicetur, ac paulò ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his Titum Vulturtium quendam Crotoniensem mittit, ut Allobroges, priusquam domum pergerent, cum Catilina, data atque accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Vulturtio literas ad Catilinam dat, quarum exemplum infrà scriptum est: Qui sim, ex eo quem ad te misi, cognosces: fac cogites in quanta calamitate sis, & memineris te virum esse: consideres quid tuæ postulent rationes: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis. *Adhæc, mandata verbis dat, cùm ab Senatu hostis judicatus sit, quo consilio servitia repudiet: in urbe parata esse, quæ jusserat; ne cunctetur ipse propiùs accedere. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerētur, Cicero per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco & C. Promtino Prætoribus imperat, ut in ponte Milvio per insidias, Allobrogum comitatus deprehendant. Rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur. Cætera, uti facto opus sit, ita agant: permittit illis homines militares: sine tumultu præsidiis collocatis, sicuti præceptum erat, occulte pontem obsident. Postquam ad id loci legati cum Vulturtio venerūt, & simul utrinq; clamor exortus est: Galli citò cognito cōsilio, sine mora Prætorib. se tradūt. Vulturtius primò cohortatus cæteros, gladio se à multitudine defendit. Deinde ubi à legatis desertus est, multa prius de salute sua Promtinū*

' *re Republica; deinde' magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas præterea copias militum: deos denique immortales huic invicto populo, [c]clarissimo imperio, pulcherrimæ urbi, contra tantam vim [a]sceleris præsentis auxilium esse laturos. Quòd si jam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti, num illi in [a]cinere [d]urbis," & [a]sanguine [d]civium (quæ mente [a] conscelerata ac [a] nefaria concupierunt)" se Consules ac Dictatores, aut etiam Reges sperant futuros? Non vident se cupere id, quod si adepti fuerint, fugitivo alicui, aut gladiatori concedi sit necesse?*

L. & in sang. L. cõsules se, aut dictatores, &c.

ALTERUM] Definitur secundum genus item ex adjunctis: Obærati sunt & ambitiosi. *Quibus*] Adhibetur definito morbo sua medicina ex consimili refutatione vanæ spei, contra quam opponuntur contraria Reipubl. præsidia in Consule, civibus, exercitu, diis. *Quod si*] Cõtinuatur refutatio ex repugnanti eventu: Si vicerint conjurati, optatos honores in exitio Urbis non assequentur. *Fugitivo*] Vide num quid hîc desit: aut sententia sit, Gladiatoribus qui viribus corporis superãt, honores in tali bello concedi necesse est.

quid. affectum, sed tamen exerc. *al.* effœtũ, sed tamen exerc.

Tertium genus est [d] ætate jam" confectum, exercitatione [c] robustum: quo ex genere est ipse Manlius, cui nunc Catilina successit. Hi sunt homines ex iis [a] coloniis, ' quas Fesulis Sylla constituit: (quas ego universas civium esse optimorum & fortissimorum virorum [c] sentio:) sed tamen hi sunt coloni, qui se insperatis [c] repentinisq; pecuniis sumtuosiùs insolentiùsq; [c]jactarunt. Hi dum ædificant tanquam beati," dum prædiis, lecticis, familiis magnis, conviviis, apparatibus delectantur, in tantum æs alienũ inciderũt, ut, si salvi esse velint, Sylla sit his

L. dũ prędiis lectis, familiis magnis, cõviviis apparatis delect.

ab inferis excitãdus: qui etiã nonnullos agrestes, homines[c] tenues, atq; egentes in eandẽ illam spẽ rapinarum veterum impulerũt. Quos ego utrosq;, Quirites, in eodẽ genere prædatorũ, direptorumq; pono: sed eos hoc moneo, desinant[c] furere, & proscriptiones & [d]dictaturas cogitare: tantus.n. illorũ[a] temporum dolor[c] inustus est[a] civitati, ut jã ista non modò homines, sed ne pecudes quidẽ mihi passuræ esse videãtur.

TERTIUM GENUS] Definitio tertii generis ex adjũctis: partim veterani Syllæ Fesulis collocati, profusi, obærati: partim rustici mendiculi. *Quos ego*] Significat hac parenthesi paucos ex his colonis conjurasse, reliquos bonos esse. Quadraginta autẽ septem legiones Sylla in captivos agros deduxerat. *Insperatis*] Amplificatur profusio ex variis factis. *Lecticis*] Lecticas appellat, quibus molliter portabantur. Martial. lib. 6,

Octophoro sanus portatur Avite Philippus.

Sylla sit] Ex caussa efficiente argumentum est. Sylla ab inferis excitetur, ut largiatur iis rursus proscriptiones, & eos locupletet. Inferos aũt notabis Latinè dici ut Græcè τὸν ᾅδην, locum mortuorũ non solùm miserorum, sed etiã beatorum. Apud inferos enim Elysii campi sunt, ut Philosophi, non solùm Poetę statuunt. Christiani secus hoc verbo tantùm miserorum locum significant. *Quos*] Medicinæ est proximi morbi eadem ferè quæ secundi generis, quòd omnes boni contrà propugnaturi sint. *Non modò*] Sic Agr. 2, Non modò ii quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri lætari mihi videntur.

Quartum genus est sanè varium, & [c] mixtum &[c] turbulentum:[a] qui jampridem[c] premuntur: qui nunquam [c] emergent: qui[a] partim inertia, partim malè gerendo negocio, partim etiam sumtibus, in vetere ære alieno [c] vacillant: qui vadimoniis, judiciis, proscriptionibus bonorũ [c]defatigati, permulti &[a] ex urbe, & ex agris se in illa castra conferre di-

cuntur. hosce ego non tam milites acres, quàm infitiatores lentos esse arbitror. Qui homines primùm, si [c] *stare non possunt,* [c] *corruant: sed ita: ut non modò* [a] *civitas, sed ne vicini quidem proximi* [c] *sentiant: nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honestè non possunt, perire turpiter velint: aut cur minore dolore perituros se cum multis, quàm si soli pereant, arbitrentur.*

QUARTUM GENUS] Definitio quarti generis ex adjunctis: Obærati, ignavi, infortunati, profusi, judiciis damnati. *Emergent*] Metaphora ab aquis. Ad eas aves quæ se in mari mergerent, quæ cùm emersissent, piscemque cepissent: 2 de Natur. deor. *Proscriptionibus bonorum*] Ut creditoribus eorum satisfieret. *Hosce*] Refutatio est quarti generis ex collatione majorum, deinde ex adjunctis, quòd eorum motus obesse non possit. *Nam illud*] Cavillatio est ex adjunctis, quòd turpem vitam mors turpis consequatur. *[illegible]*] Allusio est ad illud dictum, Consolatio miserorum est habere pares.

Quintum genus est parricidarum, [d] *sicariorū, denique omnium facinorosorum: quos ego à Catilina non revoco: nam neque* [c] *divelli ab eo possunt, & pereant sanè in* [d] *latrocinio: quoniā sunt ita multi, ut eos capere carcer non possit. Postremum autem genus est non solùm numero, verùm etiam genere ipso atque vita, quod proprium est Catilinæ, de ejus* [c] *delectu, imò verò de* [c] *complexu ejus, ac* [c] *sinu, quos pexo capillo nitidos,* [a] *aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis & talaribus ac tritis tunicis,* [c] *velis amictos, non togis: quorum omnis industria vitæ, & vigilandi labor in antelucanis cœnis expromitur. In his* [c] *gregibus* [a] *omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudicique versantur: hi*

L. atque vita, proprium Catilinæ,

L. talaribus tunicis: velis amictos

pueri tam lepidi ac delicati non solùm amare & amari, neque cantare & psallere, sed etiam sicas vibrare, & spargere venena didicerunt: qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiãsi Catilina perierit, scitote hoc in Republica seminarium Catilinarium futurũ. Veruntamen quid sibi isti miseri volunt? num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? quemadmodũ autem illis carere poterunt, his præsertim jam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas ac nives perferent? nisi idcirco se faciliùs hyemem toleraturos putant, quòd in conviviis nudi saltare didicerunt. O bellum magnopere pertimescendum, cùm hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem Prætoriam!

al. saltare,

fort. scortatorũ & scortorum coh.

QUINTUM GENUS] Quintum genus ex adjunctis definitur: Audaces, facinorosi, quos tanquam perditos & desperatos omittit, & brevi cum Catilina perituros. *Postremum genus*] Postremi generis refutatio ex variis adjunctis: Intimi Catilinæ, lepidi, delicati, libidinosi. *Aut bene barbatos*] Barba pexa & delibuta nitidos significat. Nam barbati veteres Romani fuêre. Unum aliquem ex barbatis illis exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen Reip. diceres intueri: pro Sextio. Tempore tamen Ciceronis jam delicatiore, barba radebatur. *Manicatis*] Sic apud Virgilium 9 Æneid. manicæ reprehenduntur:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Ac tristis] Hæc verba redundant, & desunt in exemplaribus quibusdam. *Velis amictos*] Significatur hac metaphora, laxitas togarum, quæ velorum instar panderentur. *Antelucanis*] Talis ebrietas in Pisonem arguitur: Ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat, mẽsam tolli jubet. & Martialis:

Nocturno fætere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in noctem semper Acerra bibit.

Concluduntur ſuperiora duobus verbis, & factis novis exaggerantur. *Qui niſi*] Significat optandum poſtremi generis interitum, ne morum ſimilitudo latiús ſerpat, quod metaphora ſeminarii declaratur. Eſt veró ſeminarium, locus ſubactus, in quo cúm ſemina fruticum arborúmve excreverunt, in vinetum arbuſtúmve transferuntur. Simili metaphora dictum eſt in Piſonem, Ex illo fonte & ſeminario triumphorum. Et 1 Offic. Id autem eſt principium urbis, quaſi ſeminarium Reipubl. *Verum enim*] Refutatio poſtremi generis ex belli adjunctis, quæ talibus deliciis repugnent: relinquendæ voluptates, toleranda frigora. *His præſertim*] Menſe Decembri. *Apenninum*] Mons Apenninus Italiam mediam dividit. Hic veró mons vento & frigore biduum Hannibali obſtitit, ait Livius. *Niſi idcirco*] Cavillatio eſt á repugnantibus tantæ tolerantiæ. *O bellum*] Concluditur ἄθροισις universa de copiis Catilinæ: ἀνταπόδοσις ſequitur de bonorum contrariis copiis, cum quibus ſigillatim ſuperiora breviús comparantur, primúm perſonæ ipſæ, principes cum principibus: deinde milites cum militibus.

Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam [b] *præclaras Catilinæ copias,* [a] *veſtra* [a] *præſidia, veſtroſq; exercitus: & primúm* [c] *gladiatori illi confecto & ſaucio Conſules, imperatoreſq; veſtros opponite: deinde contra illam* [c] *naufragorum* [c] *ejectam ac* [c] *debilitatam manum,* [c] *florem totius* [a] *Italiæ ac* [c] *robur educite: jam veró urbes* [a] *coloniarũ ac* [a] *municipiorum reſpondebũt Catilinæ* [c] *" tumulis ſylveſtribus.*

al. cumulis *Neq; veró cæteras copias, ornamenta,* [a] *præſidia veſtra cum illius latronis* [a] *inopia atq;* [a] *egeſtate debeo conferre: ſed ſi omiſſis his rebus omnibus, quibus nos*

al. ſuperamus, L. ſuppeditamur, *" ſuppeditamus, eget ille,* [a] *Senatu, Equitibus Rom. populo, urbe,* [a] *ærario, vectigalibus, cunctâ* [a] *Italia,* [a] *provinciis omnibus,* [a] *exteris nationibus: ſi inquam his rebus omiſſis, ipſas cauſſas, quæ inter ſe cõfligunt,*

con-

contendere velimus: ex eo ipso, quàm valde illi [c] jaceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte [a] pudor pugnat, [b] illinc [a] petulantia: [b] hinc [a] pudicitia, illinc [a] stuprũ: hinc [a] fides, illinc [a] fraudatio: hinc [a] pietas, illinc [a] scelus: hinc [a] constantia, illinc [a] furor: hinc [a] honestas, illinc [a] turpitudo: hinc [a] continentia, illinc [a] libido: deniq; [a] æquitas, [a] temperantia, [a] fortitudo, [a] prudentia, [a] virtutes omnes certant [b] cum [a] iniquitate, cum [a] luxuria, cum [a] ignavia, cum [a] temeritate, cum [a] vitiis omnibus: postremò [a] copia cum [a] egestate, [a] bona ratio cum [a] perdita, [a] mens sana [a] cum amentia, bona deniq; spes cum omnium rerum [a] desperatione [c] confligit. In hujusmodi [c] certamine ac prælio nónne etiam si hominum studia deficiant, dii ipsi immortales cogent ab his [c] præclarissimis virtutibus [b] tot & tanta vitia superari?

[*] CONFECTO] Sic Tuscul. 2. Mittunt vulneribus confecti ad dominos, qui quærant quid velint, si satisfactum iis non sit, se velle decumbere. *Naufragorum*] Sic antea, Quód si se ejecerit, secumque suos eduxerit, & eodem undique collectos naufragos aggregaverit. *Jam verò*] Tertia pars de urbibus quæ bonis adsint, desint malis. *Neque verò*] Comparantur reliquæ belli facultates, quibus conjurati sunt inferiores. *Si inquam*] Comparantur secundo post personas loco caussæ ipsæ ex variis adjunctis, quibus caussa Catilinæ modis omnibus sit inferior. *Contendere*] Sic actione 4, In tanta istius impudentia remittendum aliquid videtur, ne omnia contendamus. *Denique æquitas*] Revocatur inductionis superioris confusio ad quatuor genera virtutum & vitiorum. *Postremò*] Repetuntur superiora quadam congerie similiter confusa. *In hujusmodi*] Complexio comparationis aucta minorum collatione: Caussam meliorem, etiamsi sit inferior, dii adjuvant. Quo feré modo pro Ligario dictum est, Caussa tum dubia erat, quód erat aliquid in utraque parte quod

probari posset; nunc melior certè ea judicanda est, quam etiam dii adjuverunt.

L.metu,

L. quam sibi ille manum certissimam fore p.

L.portis

Quæ cùm ita sint, Quirites, vos. quemadmodū jam antea dixi, vestra[d] tecta[a] custodiis[a] vigiliisq; defendite: mihi, ut[d] urbi[1] sine vestro[u] motu, ac sine ullo tumultu satis esset[a] præsidii, consultum ac provisum est. Coloni omnes municipesq; vestri certiores à me facti de hac nocturna excursione Catilinæ, facilè urbes suas finesq; defendēt: gladiatores,[u] quā sibi ille maximam manum & certissimam fore putavit, quanquam meliore animo sunt, quàm pars patriciorum, potestate tamen in vestra cōtinebuntur. Q. Metellus, quem ego[c] prospiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumq; præmisi,[1] aut opprimet[d] hominem, aut omnes ejus[a] motus[a] conatusq; probibebit: reliquis autem de rebus constituendis,[c] maturādis, agendis, jam ad[a] Senatum referemus, quem vocari videtis. Nunc illos, qui in[d] urbe remanserunt, atque adeò qui contra urbis salutem, omniumque vestrûm in urbe à Catilina relicti sunt, quanquam sunt hostes, tamen quia nati sunt cives, monitos etiam atq; etiam volo. Mea lenitas adhuc si cui solutior visa est, hoc expectavit, ut id, quod[c] latebat,[c] erumperet: quod reliquum est, jam non possum oblivisci,[10] meam hanc esse patriam,[9] me horū esse Consulem:[11] mihi[1] aut cum his vivendum, aut pro his esse moriendum.[1] Nullus est[u] portæ custos, nullus insidiator viæ: si qui exire volunt, consulere sibi possunt. Qui verò in[d] urbe se[c] cōmoverit, cujus ego nō modò factum, sed inceptūm ullum conatúmve contra[a] patriam deprehendero,[c] sentiet in hac urbe esse Cōsules vigilantes,[1] esse egregios magistratus,

tus, esse fortem [a] Senatum, esse [a] arma, esse carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifestorũ [a] scelerum majores nostri esse voluerunt.

QUAE CÙM] Pro complexione gratulationis adhortatio est ad urbis defensionem atque custodiam. *Coloni*] Repetuntur é superiore collatione præsidia coloniarum & municipiorum, & nova gladiatorum præsidia adduntur. *Excursione*] Excursio, militare nomen est hoc loco. Helvetii sine dubio sunt in armis, excursionesque in provinciam faciunt, ait ad Atticum. Hinc excursor. Est populo Romano certamẽ cum excursore, cum latrone, cum Spartaco, 4 Philipp. *Quanquam*] Correctio est proximæ parenthesis. *Q. Metellus*] Postremum est adversus Catilinam præsidium de exercitu Metelli, de quo initio dictum est. *Reliquis*] Diligentia Consulis & Senatus ad eandem populi confirmationem ostenditur. *Nunc illos*] Revocatur ad extremum significatio lenitatis jam toties adhibita. *Mea lenitas*] Prolepseωs primæ summa repetitur de præteritæ lenitatis & futuræ severitatis caussa. *Nullus est*] Egressionis libertas iterum permittitur. *Qui verò*] Minæ initio jactatæ repetuntur, & oppositis caussis augentur. *Vindicem*] Carcerem tamen non pœnam Ulpianus esse dicit, eumque ad continendos homines, non puniendos haberi oportere. Livius cum Cicerone lib. 1 sic ait, Carcer ad terrorem increscentis audaciæ media urbe imminens foro ædificatur.

Atq; hæc omnia sic agentur, Quirites, [11] ut res maximæ, minimo motu; pericula summa, nullo tumultu; bellum [d] intestinũ ac [c] domesticum post hominum memoriã crudelissimum & maximũ, me uno [a] togato duce & imperatore, sedetur. Quod ego sic administrabo, Quirites, ut, si ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquã in hac urbe pœnam sui sceleris sufferat: sed [c] si vis manifesta [a] audacia, si [c] impendens [a] patriæ periculum me necessa-

rió de hac animi lenitate[c] *deduxerint: illud profe-ctó perficiam, quod in tanto & tam*[a] *insidioso bello* L. videretur, *vix optandum*" *videtur, ut ne quis bonus intereat, paucorumq́; pœna vos omnes jam salvi esse possitis. Quæ quidem ego*[a] *neque mea prudentia, neque hu-manis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites, sed multis & non dubiis deorum immortalium signifi-cationibus: quibus ego*[c] *ducibus in hanc spem sen-tentiamque sum*[c] *ingressus: qui jam non procul, ut* L. externo *quondam solebant, ab*" *extero hoste atq́; longinquo, sed hîc præsentes suo numine atque auxilio sua tem-pla atque*[d] *urbis*[d] *tecta defendunt: quos vos, Quiri-tes, precari, venerari, atque implorare debetis, ut, quam*[a] *urbem pulcherrimam,*[c] *florentissimam, po-tentissimamq́; esse voluerunt, hanc omnibus hostiũ copiis terra mariq́; superatis, á perditissimorum ci-vium*[a] *nefario scelere defendant.*

ATQUE HAEC OMNIA] Repetitur lenitas, & colla-tione dissimilium amplificatur, quamvis res sit gravissima, tamen moderaté coërcebitur. *Togato*] Toga, pacis est vestis, ut sagum belli: hinc per metonymiam togatum du-cem appellat inermem: unde illud ejusdem laudis elogiũ ab invidis reprehensum,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

& certé propria Ciceronis ea laus fuit, Ariobarzanem Cap-padociæ regem sine prælio restituit: Cilicum, Syrorumque tumultus sine gladio pacavit: non solúm hoc difficillimum bellum togatus confecit. Vide Plutarchum in Cicerone. *Quod ego*] Altera lenitatis amplificatio ex effectis, quód in neminem, vel certé paucos sit animadversurus: vide-tur autem ad militarem illam legem respicere, de qua pro Cluentio: Statuerunt ita majores nostri, ut si á mul-tis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. *Quæ quidem*] Confir-

mat

mat studium suum divino quodam testimonio, idque ad majorem populi confirmationem, de quo latissimé tertia Catilinaria. *Quos vos*] Concluditur oratio adhortatione ad venerandos deos. Venerationis argumentum est ex ipsorum deorũ beneficiis erga Romani. *Urbem pulcherrimam*] Sic antea, Deos denique immortales huic invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimæ urbi, contra tantam vim sceleris præsentis, auxiliũ esse laturos. *Perditissimorum*] Periphrasis est conjuratorum & conjurationis.

ANALYSEOS RHETORICÆ & Logicæ in secundam Catilinariam summa.

QUIS hujus gratulationis eventus, quámque gratus Quiritibus fuerit, plebis primó rerum novarum cupidæ in pristino statu permansio, testimonium magnum est. Atque illud est ὅτι: caussas, si lubet, talis eventus cúm rhetoricas in elocutione, tum logicas in topica inventione & analytica dispositione reminiscendo subducamus. Quid elocutio in Tropis? Ironia locis octo, Synecdoche triginta, Metonymia quinquaginta, Metaphora centũ legitur. Sed in tropis omnibus geminatis geminatam gratiam recordemur. *Hic ego vehemens ille consul, qui verbo cives in exilium ejicio*, Ironia est duplicata. *Non in campo, non in foro, non in curia*. Synecdoche triplicata. Majore gratia tropus uterq; simul geminatur. *Homo enim videlicet timidus & permodestus vocem consulis ferre nõ potuit*: (timidus, permodestus, non potuit) Ironiæ sunt: (homo, vocem consulis) Synecdochę sunt. Metonymiæ adhuc crebriús multiplicantur & primi generis, *Ferrum flammamque minitantem*: & secundi, *Mente conscelerata & impia*: & tertii, *Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati*: sed inprimis quarti, *A monstro illo atq; prodigio*, &c. *In cinere urbis & sanguine civium*, &c. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia*, &c. *Denique*

æquitas, temperātia, fortitudo, prudētia, virtutes omnes, &c. Sed ex omnibus tropis metaphora & simplex & geminata gratissima est, *Quæ sanari poterunt, quacunq; ratione sanabo: quæ resecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manare,* &c. *Florē totius Italiæ ac robur educite.* Hæc troporum lumina tam multa sunt: figurarum multò pauciora: in verbis, Epizeuxin uno, Paronomasiā duobus, Orbem numerosum quatuordecim, Polyptoton octodecim, Anaphoram quadraginta locis animadvertemus: cæteras verborū figuras nusquam. Numerosæ similitudinis Symploce nusquā insignior est, quàm eo loco? *sed quàm multos fuisse putatis, qui quæ ego deferrē, non crederent? quàm multos, qui propter stultitiā non putarent? quàm multos, qui etiam defenderēt? quàm multos, qui propter improbitatem faverent?* In sententiis Optationē, ut Apostrophen locis duobus, Permissionem & Exclamationē & Prolepsin quatuor, Prosopopœjam obliquā, ut Præteritionem uno observabimus: Cæteras sententiarū figuras nusquam. Ita tota elocutio tropis ornatior est, quàm figuris. Retexamus logicam, nervos popularis gratulationis & cōfirmationis videbimus: Ex caussarum loco finis præcipuè quidem non adhibetur, sed locis quatuor incurrit: Efficiens summum totius orationis argumentum est, de belli facultatibus, quas conjurati, quasq; contrà boni cives habeant: sicut secūda Agraria, finis: Tertia testimonium: Prima Catilinaria effectum primarium argumentum fuit. Effecta conjuratorū multa sunt, subjectum nullum, Adjuncta perpetua, Adversum uno loco, Repugnās quatuor, cætera Dissentanea nulla. E Comparatis majora loco uno & viginti, Dissimilia uno pluribus, Minora quinque, Similia duobus, Par nullum. Sed in majoribus notabis formam illam *Non modo sed etiam*, septem locis: pluribus hanc *potius quàm*, vel *non tam quam*. Notabis in dissimilibus formam hanc *non hoc, sed illud*, sex locis: Item per *quanquam, tamen*, quinque: ubi nota, *quanquam* frequenter omittitur: *Me scire sentiunt, neque tamen permoventur.* Notatio conjugatioque nulla: Divisio uno loco perspicua est: *Exponam vobis ex quibus generibus hominum istæ copiæ comparentur, deinde singulis medicinam cōsilii atq; orationis afferam.*

ram. Definitiones sunt manifestiores sex propositorũ generum, sed ὑποτυπώσεις καὶ ἐνέργειαι ad definitionis locum referendæ sunt, ut afflicti Catilinæ, *Jacet ille nunc prostratus, Quirites, & se perculsum atque abjectum esse sentit, & retorquet oculos profectó sæpe ad hanc urbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget:* & luxuriosorum conjuratorum, *Qui mihi accubantes in conviviis, cõplexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis cædem bonorum atque urbis incendia.* Testimonia cúm hominũ tum deorum adhibita sunt. Ergo sunt hæ quidẽ vires inventionis topicæ: Analyticæ veró dispositiones in syllogismis plenis, exẽpla pauciora sunt, quám in superiore oratione, & satis obscuré concluduntur. Syllogismus simplex unus est in primæ figuræ modo tertio: cõnexi tres, iiq; inconstanter cõclusi. Atq; jam monui, quám rarus esset usus syllogismi pleni. Analyseos veró posterioris & methodi seu doctrinã, seu prudentiam spectes, laus hîc est amplior. Etenim positũ est initio ad publicam gratulationem, victum esse Catilinam: idq; problema tota oratione disputatum. Partitio quædã facta est in cõparatione de facultatibus conjuratorum & bonorum civium: conjurati in urbanos & castrenses cõparatione alia divisi, rursusq; oẽs in sex genera distributi, tandẽ partium explicatarũ summa pressius cõducta & conclusa. Methodus hæc est doctrinæ: prudentiæ veró methodus est in duplici prolepsi, cur Catilina nõ sit interemtus, cur sit crudeliter ejectus. Utraq; enim non publica populi, sed privata Ciceronis caussa adhibita est: atq; in secunda, quia periculi plus habebat, plus est etiã laboratum: & quamvis severitas lenitasq; varié permiscetur, lenitati tamen plus est concessum. Quamobrem cúm requires quibus caussis hæc oratio populum delectarit, & in reipublicæ fide confirmarit, hæ tibi rhetoricæ elocutionis & logicæ invẽtionis ac dispositionis mortuæ licet artes respondebunt, ea quibus animi multitudinis oblectari & confirmari poterant, hîc esse adhibita, orationis ornatum, rei sententiæq; argumentum via & ordine positũ. Quid si consularem illã vultus tam popularis majestatẽ: quid si vocis, quæ pauló altiús elata intimis audientiũ præcordiis (ut

Plutarchus ait) timebatur: quid si totam illius Ciceroniani corporis eloquentiam animo conceperis, quantó majores eventus hujus caussas concipies? Ergo hac analysi διττῇ sic accipies, & illum fructum duplicem capies, de quo jam sæpé dixi, ut artem cúm rhetoricam, tum logicam, principiis Aristotelis, ἐπαγωγῇ, ἱστορίᾳ, ἐμπειρίᾳ faciliús intelligas, faciliús exerceas.

M. T. CICERONIS IN L. CATILINAM ORATIO TERTIA AD QUIRITES; P. RAMI prælectionibus illuſtrata.

ARGUMENTUM.



UM Catilina ingreſſus ad bellū, hoſtis patriæ judicatus eſſet à Senatu, ad eumq; armis perſequendum Antonius mitteretur, Cicero interea per Allobroges conjurationem patefecit, conjuratos comprehendit, indiciis convicit, cuſtodiaque tradidit. Hiſtoria ſuperiorem conſequuta, copioſe à Salluſtio ſic exponitur: Eiſdem temporibus Romæ Lentulus, ſicuti Catilina præceperat, quoſcunq; moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per ſe, aut per alios ſolicitabat: neq; ſolùm cives, ſed cujuſcunq; modi genus hominum, quod modò bello uſui foret. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque, ſi poſſit, impellat ad belli ſocietatem, exiſtimans publice privatimq; ære alieno oppreſſos. Præterea, quòd natura Gallica gens bellicoſa eſſet, facile eos ad tale conſilium adduci poſſe. Umbrenus quòd in Gallia negotiatus erat, pleriſq; principibus civitatum notus erat, atq; eos noverat. Itaque ſine mora, ubi primùm legatos in foro conſpexit, percontatus pauca de ſtatu civitatis, & quaſi dolens ejus caſum, cœpit requirere, quem exitum tantis malis ſperarent. Poſtquam illos videt queri de avaritia magiſtratuum, accuſare Senatū, quòd in eo auxilii nihil eſſet: miſeriis ſuis remedium, mortem expectare. At ego, inquit, vobis, ſi modò viri eſſe vultis, rationem oſtendam, qua tanta iſta mala effugiatis. Hæc ubi dixit, Allobroges in maximam ſpem adducti: Umbrenum orare, ut ſui miſereretur: nihil tam aſperum, neq; tam difficile eſſe, quod nō cupidiſſimè facturi eſſent, dum ea res civitatem ære alieno liberaret. Ille eos in do-

mum D. Bruti perducit, quòd foro propinqua erat, neque aliena cōsilii propter Semproniam: nam tum Brutus Romæ aberat. Præterea Gabinium accersit, quo major authoritas sermoni inesset. Eo præsente conjurationem aperit, nominat socios, præterea multos cujuscunque generis innoxios, quò legatis animus amplior esset. Deinde eos pollicitos operam suam, domum dimittit. Sed Allobroges diu in incerto habuere quidnam consilii caperent. In altera parte erat æs alienum, studium belli, magna merces in spe victoriæ: at in altera majores opes, tuta consilia pro incerta spe, certa præmia. Hæc illis volventibus, tandem vicit Fortuna Reipubl. Itaque Q. Fabio Sangæ, cujus patrocinio plurimùm civitas utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero per Sangam consilio cognito, legatis præcepit, ut studium conjurationis vehementer simulent, cæteros adeant, bene polliceantur, denique operam, uti eos quàm maximè manifestos habeant. Iisdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Brutio, Apulia motus erat. Namq; illi, quos ante Catilina dimiserat, inconsulte, ac veluti per dementiam, cuncta simul agebant: nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, plus timoris quàm periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer Prætor ex decreto Senatus, cognita caussa, in vincula conjecerat; item in citeriore Gallia C. Murena, qui ei provinciæ legatus præerat. At Romæ Lentulus cum cæteris qui erant conjurationis principes, paratis, ut videbatur, magnis copiis, constituerat, uti cum Catilina in agrum Fesulanū cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis concione habita quereretur de actionibus Ciceronis, bellíq; gravissimi invidiam optimo Consuli imponeret: eo signo proxima nocte cætera multitudo, conjurationis suum quisque negocium exequeretur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur. Statilius & Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad Consulem, cæterosque quibus insidiæ parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis januam obsideret, eumque vi aggrederetur: alius autem alium. Sed filii familia-

miliarum, quorum ex nobilitate maxima pars erat, parentes interficerent: simul cæde & incendio perculsis omnibus ad Catilinam erumperent. Inter hæc parata atque decreta, Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum, illos dubitando, & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere: facto, non consulto, in tali periculo opus esse: seque si pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promtus erat: maximum bonum in celeritate putabat. Sed Allobroges ex præcepto Ciceronis per Gabinium cæteros conveniunt: ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant jusjurandum, quod signatum ad cives perferant: aliter haud facile eos ad tantum negocium impelli posse. Cæteri nihil suspicantes dant. Cassius semet eò venturum brevi pollicetur, ac paulò ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his Titum Vulturtium quendam Crotoniensem mittit, ut Allobroges, priusquam domum pergerent, cum Catilina, data atque accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Vulturtio literas ad Catilinam dat, quarum exemplum infrà scriptum est: Qui sim, ex eo quem ad te misi, cognosces: fac cogites in quanta calamitate sis, & memineris te virum esse: consideres quid tuæ postulent rationes: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis. *Adhæc, mandata verbis dat, cùm ab Senatu hostis judicatus sit, quo consilio servitia repudiet: in urbe parata esse, quæ jusserat; ne cunctetur ipse propiùs accedere. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerētur, Cicero per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco & C. Promtino Prætoribus imperat, ut in ponte Milvio per insidias, Allobrogum comitatus deprehendant. Rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur. Cætera, uti facto opus sit, ita agant: permittit illis homines militares: sine tumultu præsidiis collocatis, sicuti præceptum erat, occultè pontem obsident. Postquam ad id loci legati cum Vulturtio venerūt, & simul utrinque clamor exortus est: Galli citò cognito cōsilio, sine mora Prætorib. se tradūt. Vulturtius primò cohortatus cæteros, gladio se à multitudine defendit. Deinde ubi à legatis desertus est, multa prius de salute sua Promtinū*

obtrectatus, quòd ei notus erat: postremò timidus, ac vitæ diffidens, velut hostibus sese Prætoribus tradidit. Quibus rebus confectis, omnia properè per nuncios Consuli declarantur. At illum ingens cura atque lætitia simul occupavere. Nam lætabatur intelligens, conjuratione patefacta, civitatem periculis ereptam esse. Porro autem anxius erat, dubitans in maximo scelere tãtis civibus deprehensis, quid facto opus esset: pœnam illorum sibi oneri, impunitatem perdundæ Reipubl. fore credebat. Igitur confirmato animo vocari ad se jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, itemq; Q. Ceparium Terracinensem, qui in Apuliam ad cõcitanda servitia proficisci parabat: cæteri sine mora veniunt, Ceparius paulo ante domo egressus, cognito indicio ex urbe profugerat. Consul Lentulum, quod Prætor erat, ipse manu tenens in Senatum perducit: reliquos cum custodibus in ædem Concordiæ venire jubet: eò Senatum advocat, magnaq; frequentia ejus ordinis, Vulturtium cum legatis introducit. Flaccum Prætorem, scrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem afferre jubet. Vulturtius interrogatus de itinere, & de literis postremò quid, aut qua de caussa consilii habuisset, primo fingere alia, dissimulare de conjuratione: pòst ubi fide publica dicere jussus est, omnia uti gesta erant, aperit: docetq; se paucis ante diebus à Gabinio & Cepario socium accitum, nihil amplius scire quam legatos: tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Syllam, L. Varguntejum, multos præterea in ea conjuratione esse. Eadem Galli fatentur: ac Lentulum dissimulantẽ coarguunt, præter literas, sermonibus, quos ille habere solitus erat ex libris Sibyllinis, Regnum Romæ tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Syllam antea, se tertium esse, cui fatũ foret urbis potiri: præterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem sæpe ex prodigiis aruspices respondissent bello civili cruẽtum fore. Igitur perlectis literis, cum prius omnes signa sua cognovissent, Senatus decrevit, uti abdicato magistratu Lentulus, itemq; cæteri in liberis custodiis habeantur. Itaq; Lentulus P. Lẽtulo Spintheri, qui tum ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabi-

nius

nius M. Crasso, Ceparius (nā is paulò antè ex fuga retractus erat) Cn. Terentio Senatori traditur. Ergo hæc historia est, quæ fere eadem paulo pòst exprimetur hic à Cicerone. His de causis Senatus præmium Vulturtio & Allobrogibus (indiciis eorum comprobatis) & Antonio Consuli laudem, Ciceroni supplicationem per omnia templa decrevit, ad quam celebrandam populus hac oratione excitatur.

ORATIO III.

R[a]EMPUBLICAM, *Quirites, vitamq; omniū vestrûm, bona,* [a] *fortunas, conjuges, liberosq; vestros, atq; hoc* [c] *domicilium* [c] *clarissimi* [d] *imperii, fortunatissimā, pulcherrimamq;* [d] *urbem, hodierno die deorum immortalium summo erga vos* [a] *amore,* [a] *laboribus,* [a] *consiliis,* [a] *periculisq; meis ex* [a] *flamma atq; ferro, ac penè ex* [c] *faucibus* [d] *fati* [c] *ereptam & vobis conservatam ac restitutam videtis. Et, si non minùs nobis jucundi atque* [c] *illustres sunt ii dies quibus conservamur, quàm illi* [9] *quib. nascimur (quòd salutis* [10] *certa lætitia est, nascendi incerta conditio: & quòd sine* [c] *sensu nascimur, cum voluptate conservamur) profectò (quoniam illum, qui hanc urbem condidit,* " *Romulum ad deos immortales benevolentia, famaq; sustulimus) esse apud vos posterosq; vestros in honore debebit dies is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamq; servavit. Nam totius* [d] *urbis templis, delubris,* [d] " *tectis omnibus subjectos propè*

Romulum á Vet. cod. abest.

L. tectis ac mœnibus subject.

jam ignes circundatosq; restinximus, [c] iidemq; gladios in [a] Rempubl. [d] districtos retudimus, [c] mucronesq; eorum á [a] jugulis vestris [c] rejecimus.

REMPUBLICAM] Ponitur initio totius orationis summa:

> *Civitas deorum immortalium gratia, & Ciceronis diligentia conservata est:*
> *Quare supplicatio nomine Ciceronis celebranda.*

Sed complexio nondum ponitur. *Etsi*] Confirmatio est ex collatione partium. Syllogismus duplici parenthesi minús apertus est:

> *Si dies salutaris non minús est jucundus, quám natalis, hic salutaris dies est celebrandus:*
> *Sed primum:*
> *Secundum igitur.*

Quód salutis] Assumtionis sententia ex partium adjunctis probatur in hac parenthesi. *Quoniam illum*] Hac item parenthesi probatur, quod nondum tamen exposi[illegible] est, consequens propositionis exemplo conditoris, cuju[illegible] finitio & nomé ponitur. Duodecimo autem Calendas M[illegible], Natalis urbis dies cum honore Romuli celebrabatur, ut Ovidius quarto Fastorum scribit. *Nam toties urbis*] Repetitur argumentum initio positum, civitas est liberata. *Ignes circundatos*] Sic in Pisonem, Ego tela intentata jugulis civitatis de conjuratorum nefariis manibus extorsi: ego faces jam accensas ad hujus urbis incen[illegible] comprehendi, protuli, restinxi. Est autem verbo *prope* significata brevis similitudo.

Quæ quoniam in Senatu [c] illustrata, [c] patefacta, compertaq; sunt per me, vobis jam expon[illegible] breviter, Quirites, ut [1] & [10] quanta, & quám manifesta,

festa, & qua ratione [c] investigata, & [e] comprehensa sint, vos, qui [z] & ignoratis, & expectatis, scire possitis. Principió, ut Catilina paucis anté diebus [c] erupit ex [d] urbe, cúm sceleris sui socios, & hujusce [a] nefarii belli [c] acerrimos duces Romæ reliquisset, semper vigilavi & providi, Quirites, quemadmodum in [10] tantis & tam absconditis insidiis salvi esse possemus. Nam tum, cúm ex urbe Catilinam ejiciebam (non enim jam vereor hujus verbi invidiam, cúm illa magis sit timēda, "quód vivus egressus est) sed tum, cúm illum [c] exterminari volebam; [z] aut reliquam cōjuratorum [a] manum simul exituram, aut eos, "qui remansissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam.

L. quód vivus exierit)

L. qui restitissent,

QUAE QUONIAM] Locus docilitatis & attentionis ex adjunctis, conjurationem convictam in Senatu, breviter vobis exponam. *Principió*] Narratio longissima sequitur de conjuratorum comprehēsione, indiciis, quæstione, confessione, secutoq; Senatusconsulto: in quibus omnibus judiciorum Rom. formula consideranda est. Comprehensio suis caussis diligenter explicatur, quarum prima & princeps est Ciceronis diligentia. *Nam tum*] Dissimile ad augendam diligentiæ fidem. Ejecto Catilina putabam reliquos abituros, aut quieturos: at secus accidit. Ejiciendi veró Catilinæ finis præponitur.

Atq; ego, ut vidi, quos maximo [c] furore & scelere esse [c] inflammatos sciebam, eos esse nobiscum, & Romæ remansisse, in eo omnes [a] dies [a] noctesque consumsi, ut [z] quid agerent, quid [c] molirentur, [c] sentirē ac [c] viderem: ut quoniam [a] auribus vestris propter incredibilem magnitudinem sceleris, minorem fidē faceret [a] oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum demum animis saluti vestræ [a] [c] provideretis,

cúm a oculis maleficium ipsum videretis. Itaque ut comperi legatos Allobrogum belli Transalpini, & tumultus d Gallici excitandi caussa á Publ. Lentulo esse c solicitatos, eosq; in d Galliam ad suos cives eodem itinere cum literis mandatisque ad Catilinam esse missos, comitemq; iis adjunctum Vulturtium, atq; huic datas esse ad Catilinam literas: facultatē mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam á diis immortalibus, tota res nō solúm á me, sed etiam á a Senatu, & á vobis manifesté deprehenderetur. Itaque hesterno die L. Flaccum & C. Pontinum Pratores, fortissimos atq; amantissimos Reip. viros, ad me vocavi: rem omnem exposui: quid fieri placeret, ostendi.

L. Pomtinū, Prætor. *al.* Pomtiniū, Præt.

Atque ego] ἀνταπόδοσις est: attamen neque abierunt, neque quieverunt: majorem itaque diligentiam adhibui. *Ut quoniam*] Ratio majoris diligentiæ ex suo fine, ut conjuratio convinceretur. *Itaq; ut*] Adjuvantes caussæ sequuntur, cum principe tamen perpetuó conjunctæ, de Allobrogibus, Prætoribus, militibus. Prima de solicitatione Allobrogum, de quibus ex Sallustio jam dictum est. Fuit autem gens Allobrogum quondam nulla Gallica gente opibus aut fama inferior. Hannibalis tempore regnum fuit: Hannibalque transiens majori fratri Branco regnum restituit, ait Livius. Sabaudia & Delphinatus est hodie. *Facultatem*] Concluditur facultas caussæ proximæ. *Itaque*] Secunda adjuvans caussa de prætoribus, qui suis adjunctis exornantur.

Illi autem, qui omnia de a Repub. c praclara atq; c egregia c sentirent, sine recusatione, ac sine ulla mora negocium susceperunt, & cúm advesperasceret, occulté ad pontem Milvium pervenerunt: atque ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos & d pons interesset. Eódem autem & ipsi

al. Eodē autem tempore & ipsi

ipsi sine cujusquam suspicione multos fortes viros eduxerunt: & ego de præfectura Reatina complures delectos adolescentes (quorum[a] opera utor assiduè "in[a] Reipubl.[a] præsidio) cum gladiis miseram. Interim tertia ferè[d] vigilia exacta, cùm jam[d] pontem cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unàq; Vulturtius: fit in eos impetus, educuntur & ab illis gladii, & à nostris: res erat[d] Prætoribus nota solis, ignorabatur à cæteris. Tum interventu" Pontini atq; Flacci, pugna, quæ erat commissa, sedatur: literæ, quæcunq; erant in eo comitatu, integris signis[d] Prætoribus traduntur: ipsi comprehensi ad me, cùm jam dilucesceret, deducuntur.

al. in Republ.) præsidio cum gl.

L. Pomtini, *al.* Pomtinii,

Et cúm] Circumstantiæ temporis & loci ad perpetuam narrationis fidem interponuntur. Pons autem Milvius extra urbem est versus Hetruriam. ***Eodem autem***] Tertia caussa adjuvans, nempe de militibus, qui suis item adjunctis ornantur. ***Præfectura***] Ubi nundinæ agebantur, & magistratus Romanus jus dicebat, præfectura erat. Reate autem, Sabinorum est oppidum, umbilicus Italiæ, Varronis patria. ***Interim***] Præcedentium caussarum eventus exponitur adjunctis temporis, loci, item factis. ***Literæ***] Hæc prima pars est comprehensionis de literis & indicibus.

Atque horum omnium scelerum improbissimum[c] machinatorem Cimbrum Gabinium statim ad me" nihil dum suspicantem vocavi: Deinde item" accersitur P. Statilius, & post eum Cethegus: tardissimè autem Lentulus venit, credo quòd in literis dandis præter consuetudinem proxima nocte vigilarat. Cum verò summis ac[c] clarissimis hujus civitatis viris, qui audita re frequentes ad me manè convenerant, literas priùs à me aperiri, quàm ad

L. nihil dum tale susp.

al. accersitus est P. St.

L. referrem, plac. [a]*Senatum*" *referri placeret, ne, si nihil esset inventum, temerè à me tantus tumultus*[c] *injectus*[a] *civitati videretur:*" *negavi me esse facturum, ut de periculo*' *publico non ad consilium publicum*[d] *rem*
integram[c] *deferrem. Etenim, Quirites, si ea, quæ erant ad me delata, reperta non essent: tamen ego non arbitrabar in tantis*[a] *Reipubl. periculis esse mihi nimiam*[a] *diligentiam pertimescendam.*[a] *Senatum frequentem celeriter, ut vidistis, coëgi: atque interea statim admonitu Allobrogum, C. Sulpicium Prætorem fortẽ virum misi, qui ex ædibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret: ex quibus ille maximum sicarum numerum & gladiorum extulit.*

ATQUE HORUM] Secunda pars comprehensionis de quatuor conjuratis, suis adjunctis illustrata. *Credo*] Cavillatur somnum Lentuli ex efficiente caussa. *Cùm vero*] Interponitur ad majorem fidem reprehensio, quasi nimiæ diligentiæ argumentum ex adjunctis est. *Negavi*] Refutatio reprehensionis ex conjugatis: De publico periculo publicé disserendum. *Etenim*] Confirmatio ex dissimili: In publici periculi quamvis falsa suspicione, tamen diligẽtia non accusanda. *Senatum*] Complexio refutationis. *Atq; interea*] Interponitur comprehensæ conjurationis indicium ex telis Cethegi.

Introduxi Vulturtium sine[d] *Gallis: fidem ei publicam jussu*[a] *Senatus dedi: hortatus sum, ut ea, quæ sciret, sine timore indicaret: tũ ille dixit, cùm vix se ex magno timore*[c]" *recreasset,*" *á P. Lentulo se habere ad Catilinam mãdata & literas, ut servorum*[c] *præsidio uteretur, & ad*[d] *urbem quàm primùm cũ exercitu accederet: id autem eo consilio, ut cùm*[d] *urbem omnibus ex partibus, quemadmodum descri-*

al. recepisset,

descriptum distributumque erat, incendissent, cædemq; [d] infinitam [d] civium fecissent, prestó esse: ille, qui & fugientes [c] exciperet, & se cum his urbanis ducibus conjungeret. Introducti autem [d] Galli jusjurandum sibi & literas á P. Lentulo, Cethego, Statilio, ad suam gentem datas esse dixerunt, atq; ita sibi ab his, & á L. Cassio esse præscriptum, ut [a] equitatum in Italiam quámprimum mitterent: pedestres sibi [a] copias non defuturas: Lentulum autem sibi cõfirmasse, ex [d] fatis Sibyllinis Aruspicumq; respõsis, se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnũ hujus urbis atq; imperium pervenire esset necesse: Cinnam ante se & Syllam fuisse: eundemq; dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum hujus urbis atq; imperii, qui esset decimus annus post [d] virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem, vigesimus. Vet. cod. libris Sibyll.

INTRODUXI] Prima pars narrationis adhuc fuit, quomodo comprehensi cõjurati: indicia & quæstiones sequũtur, primúm Vulturtii: Res illustratur adjunctis. *Introducti*] Indicium Allobrogum sequitur, actis & scriptis primó communiter expositum. *Equitatum*] Equitatus Gallicus jam olim celebris fuit. Quingenti equites Helvetii (ait Cæsar) quatuor millia Romanorum equitum loco pepulerũt: imo, quod incredibile feré est, equites minus triginta Galli, Maurorum equitum duo millia fugarunt, ut in bello Africano Hircius. Regio veró equitationi apta, & in ea nobiles opulenti disciplinam illam veterem videtur adhuc conservasse. Hæ siquidem caussæ sunt equitatus, ut Aristoteles in Politicis docet. *Lentulum*] Separatim indicantur Lentuli dicta, qui & sibi regnum, & urbi exitium futurum confirmabat. Paralogismus veró sophisticus ex illis fatis, Lentulo ejusmodi fuit:

Tertius Cornelius Romæ regnabit: cúm tres Corne-

lios regnaturos fata prædixerint, duoque jam regnarint, Cinna & Sylla:

Lentulus est ille tertius Cornelius:

Regnabit igitur.

Propositio illa fatidica mentiri potuit, & assumtio falsum polliceri. *Virginum*] Fabiam Vestalem significat, de qua jam in summo argumento dictũ est. Hac de re locus in oratione Ciceronis in toga candida habita sic fuerat adversus Catilinam: Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis & despicis: an eam quam reliqua vita es consequutus, cúm ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quó non adventus tuus, etiam cúm culpa nulla subesset, crimen adferret? Ad hęc Ciceronis verba Asconius ait, Fabia virgo Vestalis caussam incesti dixerat, cúm ei Catilina objiceretur; eratq; absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terẽtiæ Ciceronis. Ideo sic dixit, Etiã si culpa nulla subesset. ita & suis pepercit, & nihilo leniús inimico summi opprobrii turpitudinẽ objecit. *Incensionem*] Capitoliũ, opus regium, Romę magnificum fuit, paulóque ante Syllanam tyrãnidem incensum: incendii tamen caussa latuit, ait Appianus primo bellorum civilium.

Hanc autem Cethego cum cæteris controversiam fuisse dixerunt, quód cúm Lentulo & cæteris [a] *Saturnalibus cædem fieri, atq;* [d] *urbem incẽdi placeret, Cethego nimiúm id longum videretur. Ac ne lõgum sit, Quirites,* [a] *tabellas proferri jussimus, quæ á quoque dicebantur datæ. Primúm ostẽdimus Cethego:* [d] *signum cognovit: nos linum incidimus, legimus: erat scriptum ipsius manu Allobrogum Senatui & populo sese, quæ eorum Legatis confirmasset, esse facturum: orare, ut item illi facerent, quæ sibi Legati eorum*" *præcepissent. Tum Cethegus, qui paulo ante*" *aliquid de gladiis ac sicis, quæ apud illũ ttidem erant deprehensæ, respondisset,* " *dixissetque se semper bonorum* [d] *ferramentorum studiosum*

L. recepissent.
L. aliquid tamen de gl.

sum fuisse: recitatis literis[c] debilitatus atque[c] abjectus, conscientia[c] convictus repenté conticuit. [v] *Introductus Statilius, cognovit[a] manum & [d] signum suum. Recitatæ sunt[a] tabellæ in eandem feré sententiam: confessus est.*

L. Introductus est Statilius: cognovit & signũ, & manum suam.

HANC AUTEM CETHEGO] Separatim rursus indicantur Lentuli, sed & Cethegi dicta de urbis exitio controversa. Fuit autem Lentulus tardior, & somnus ejus antea notatus est; ideo rem differebat: Cethegus veró natura ferocior & manu promtior: itaque, ut dictum est, de ignavia cæterorum conquerebatur, maximumque in celeritate bonum putabat. Saturnalia veró quæ quinque vel septem, ut opinio hic varia est, diebus, 14 Calend. Decemb. celebrari incipiebant, idcirco delecta erant, quia dies illi omnis generis lætitiæ dediti erant, ut voluptatibus occupata civitas minús insidias sentiret. ut apud Virgilium capta Troja dicitur:

Invadunt urbem vino somnoque sepultam.

Ac ne] Trãsit á quæstionibus indiciorum ad reorum quæstionem & confessionem: ac primúm ut Cethegus signum literarum suarum cognoverit, & quæ fuerit earum sententia. Signum veró nunc appellat, sigilli alicujus imaginem, imó quo tabellas occludimus, aut cera imprimimus. Talis imago fuit in signo Lentuli, imago avi Lentuli, ut mox dicetur. Sic octavius Sphinge usus est, mox imagine Alexandri Magni, novissimé sua, qua signare insecuti principes perseverarunt, ait Suetonius. Tale signum in annulo signatorio, qui postea dictus est, imprimi solebat. *Tum Cethegus*] Intercessit quædam Cethegi defensio de sicis & gladiis per Sulpicium Prætorem ex ædibus Cethegi exportatis, deque iis in epistola mentio quædam fuerat, unde convictus est Cethegus. *Ferramentorum*] Instrumẽtum quodvis ferreum ferratúmve, ferramentum dicitur. Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes? 2 de Nat. deor. dixit Cicero de fabrorum instrumentis: sic ferramenta tonsoria & quorũlibet artificũ dicũtur. Synecdoche igitur hîc est ꝑ telis & gladiis, & militaribus instrumẽtis. *Intro-*

ductus] Quæstio & confessio Statilii propter similitudinem superioris breviús expressa. *Manum*] Metonymia pro scriptura, seu litera: ut ad Attic. Cicero, Alexidis manum amabam, quód tam propé accedebat ad similitudinem literæ tuæ.

Tum ostendi tabulas Lentulo: & [20] quæsivi, cognosceretne [d] signum. Annuit. Est veró, inquam, [d] signum quidem notum, imago avi tui [c] clarissimi viri, qui amavit unicé [a] patriam, & cives suos: quæ quidem te á tanto scelere etiam [c] muta revocare debuit. Leguntur eadem ratione ad [a] Senatum Allobrogum populumq; literæ: si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atq; ille quidem primó negavit: póst autem aliquanto, [b] toto indicio exposito atq; edito, surrexit: [20] quæsivit á [d] Gallis, quid sibi rei esset cum iis: quamobrem domum suam venissent: itemq; á Vulturtio. qui cúm illi breviter cõstanterq; respondissent, per quem ad eum, quotiesq; venissent: quæsissentq; ab eo, nihilne secum esset [b] de [d] fatis Sibyllinis locutus: tum subitó ille scelere [c] demens, quanta vis conscientiæ esset, ostendit. Nam cúm id posset inficiari, repenté præter opinionem omnium confessus est: ita eum non modo [a] ingenium illud, & dicendi [a] exercitatio, qua semper valuit, sed etiam propter vim sceleris manifesti atq; deprehensi, impudentia, qua superabat omnes, improbitasq; defecit.

L. toto jam ind.

L. de libris S.

TUM OSTENDI] Quæstio & confessio Lentuli: primúm de signo, ex cujus adjuncta imagine commiseratio quædam objurgationi permista interponitur. *Avi tui*] Hic est P. Lentulus, de quo quarta Catilinaria: Atque illo tempore hujus avus Lentuli clarissimus vir, armatus Gracchum est persecutus, & grave vulnus accepit, ne quid de

summa dignitate Reipubl. minueretur. *Leguntur*] Hác quæstionem latiús fortasse prosequitur, ne tantus vir indicta caussa oppressus videatur. Repræsentatur autem prosopopœja quadam defensio Lentuli inconstans, veluti malé conscii, qui primó negat, tum confitetur. *Edito*] Id est, prolato & recitato: ut pro Cluentio dicitur, Tabellæ quæstionis plures proferuntur, quæ recitatæ vobisque editæ sunt. *Qui cúm*] Confutatio contrariis signis, & Lentuli dictis instructa. *Tum subitó*] Concluditur confessio Lentuli, & adjunctis exaggeratur. Res erat incerta, reus disertus, impudens, improbus; tamen confessus est. *Ingenium*] Periphrasis est eloquentiæ ex caussa naturali, nempe ingenio, & exercitatione. De eloquentia veró P. Lentuli Suræ in Bruto Cicero, cúm de Curione & Lentulo sic conclusisset: Ita tanquam Curio copia nõnulla verborum, nullo alio bono tenuit oratorum locũ: sic Cn. Lentulus cæterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit. Neque multó secus P. Lentulus, cujus & excogitandi, & loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, corporis motus plenus & artis, & venustatis; vocis & suavitas & magnitudo: sic in hoc nihil præter actionem fuit; cætera etiam minora quám in superiore. Hæc de P. Lentulo Cicero, quem pauló anté Suram nominaverat. *Impudentia*] Impudentiæ & improbitatis exemplũ Plutarchus in Cicerone exponit. Cúm enim Lentulus accusaretur, quód publicam pecuniam dilapidasset, spreto crimine & contemto in Senatu cavillatus est. Rationem dixit sibi nequaquam reddendam, sed præbendam suram, ut pueri solent, qui in ludo sphæræ peccaverint. Hinc Sura cognominatus est. Hic etiam cúm in judicio quodam judices corrupisset, & duabus sententiis superasset, In altero, inquit, impensa frustra facta est: satis enim erat una sententia superare.

Vulturtius veró subitó proferri literas atque aperiri jussit, quas sibi á Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atqui ibi vehementissimé[c] perturbatus Lentulus, "tamen[d] signum & [a] manum suam L. tamen & signũ & m.

cognovit. erant autem ſcripta ſine nomine, ſed ita: QUI SIM, EX EO QUEM AD TE MISI, ″COGNOSCES. CURA UT VIR SIS. ET COGITA, QUEM IN LOCUM SIS PROGRESSUS: ET VIDE QUID JAM TIBI SIT NECESSE, CURA UT OMNIUM TIBI AUXILIA ADJUNGAS, ETIAM INFIMORUM. *Gabinius deinde introductus, cúm primó impudenter reſpondere cœpiſſet, ad extremum nihil ex iis, quæ Galli inſimulabant, negavit. Ac mihi quidem, Quirites, cúm illa certiſſima ſunt viſa argumenta atq; indicia* [d] *ſceleris, tabellæ,* [d] *ſigna,* [a] *manus, denique uniuſcujuſq; confeſſio: tum multó illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas.* [a] *Sic enim obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnunquam inter ſe aſpiciebant, ut nō jam ab aliis indicari,″ ſed ipſi á ſe viderentur.*

al. ſcies.

L. ſed indicare ſe ipſi viderentur.

VULTURTIUS] Convincitur iterum Lentulus alio teſtimonio, literarum nempe ad Catilinam: quarum exemplum recitatur hîc ad majorem fidem, cúm ſuperiorũ ſententia tantúm poſita ſit. *Qui ſim*] Hæc epiſtola eſt eadẽ ſententia in Salluſtio, ſed non verbis iiſdem, & fortaſſe Salluſtius in eadem ſuis verbis, quám Ciceronis uti maluit. *Gabinius*] Poſtremó quæſtio Gabinii & confeſſio propter ſimilitudinem breviús comprehenſa. *Ac mihi*] Peroratur ſumma quæſtionis univerſæ, repetito conſcientię loco, qui poteſt in hunc ſyllogiſmum includi:

Conſcientia, certiſſimum ſceleris eſt argumentum:
Conjurati ſunt ea convicti:
Certiſſimo igitur argumento.

Propoſitio collatione minorum exaggeratur, cujus ἀπόδοσις periphraſin conſcientiæ continet ex adjunctis. *Sic obſtupuerant*] Aſſumtionis ſententia factis mirificé picta & expreſſa.

Indiciis

Indiciis expositis atq; editis, Quirites,[a] Senatum consului, de summa[a''] Republica quid fieri placeret. Dictæ sunt à[d] principibus[c] acerrimæ ac[a] fortissimæ sententiæ, quas[a] Senatus sine ulla varietate est[c''] consecutus: & quoniam nondum est perscriptum Senatusconsultū, ex memoria vobis, Quirites, quid[a] Senatus censuerit, exponam. Primùm mihi gratiæ verbis[c] amplissimis agūtur, quód[a] virtute,[a] consilio,[a] providentia mea[a] Respub. periculis sit maximis liberata: deinde L. Flaccus & C. Pontinus Prætores, quód eorum[a] opera[a] forti[a] fideliq; usus essem, meritó ac jure laudantur: atq; etiam viro forti, collegæ meo'' C. Antonio, laus impartitur, quód eos, qui hujus conjurationis participes fuissent, á suis &[a] Reipublicæ[a] consiliis[c] removisset. Atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, cúm se Prætura abdicasset, tum in custodiam traderetur: itemq; uti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes præsentes erant, in custodiam'' traderentur: atq; idē hoc decretum est in L. Cassium, qui sibi procurationem incendendæ urbis depopoścerat: in'' M. Ceparium, cui ad solicitandos pastores Apuliam esse attributam, erat indicatum: in P. Furium, qui est ex iis[a] coloniis, quas Fesulas L. Sylla deduxit: in'' Q. Manlium Chilonem, qui unà cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum[c] solicitatione[c] versatus: in P. Umbrenum libertinum hominem, á quo primúm[d] Gallos ad Gabinium perductos esse constabat.

L. Republ. | L. secutus. | C. Antonio, *abest á Vet. cod.* | L. darentur. | *al.* Q. Cep. | L. Q. Magiū Chil.

INDICIIS] Duæ partes narrationis adhuc fuerūt, comprehensio conjuratorum & inquisitio: tertia superest de S. C. quod primùm suis adjunctis laudatur, quia severum, & summo consensu factum. *Et quoniam*] Prolepsis,

quód nō recitetur ad verbum S C. Ubi notabis exemplum nostri fori dissimile: simul enim ac dicuntur, judicum nostrorum sententiæ scribuntur; tum non item: & ex orationibus Ciceronis constat unum certum eorum judiciorum scribam non fuisse. *Primùm mihi*] Prima pars S. C. de gratiis Ciceroni, Prætoribus, Antonio habitis, in quibus singulis adscribuntur suæ caussæ. *Viro forti*] Antonium Cicero in toga candida vehementer vexaverat, objeceratque ab eo spoliatos Achæos, disturbatum judicium: appellaratque in exercitu prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium. Vide Asconium in Commentariis ejus orationis. Cicero etiam in Pisonem de Antonio ait, Ego Antonium collegam cupidum provinciæ, multa in Republ. molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi. Quare laus ista tempori concessa est, non veritati tributa. *Atq; ita*] Secunda pars est S. C. de custodia & supplicio comprehensorum, quos novem nominatim recitat: quatuor primùm, de quibus jam dictum est. *Abdicasset*] Abdicare se libertate, tutela, magistratu, & consimilibus, pro deponere libertatem, tutelam, magistratum, Cicero dicit: aliquando nomen omittit, ut 2 de Nat. deor. Senatus censuit, ut Coss. abdicarent, abdicaverunt. Sallustius idem aliter dicit, Abdicare Praeturam. *Atque idem*] Reliquorum quinque comprehensorum crimen attingitur, quia de iis adhuc nil erat dictum. De Cassio pauló post rursus: Ceparium Sallustius ait é fuga retractum. De Furio nil dicitur, & videtur hic aliquid deesse. *Libertinum*] Libertinus appellatur, qui ex justa servitute manumissus est: contrá Ingenuus opponitur. aliquando etiam qui ex liberto natus est, etiam libertinus dicitur.

Atq; ea lenitate[a] Senatus est usus, Quirites, ut ex tanta [a]conjuratione, tantaq;[a] vi ac [a]multitudine [c]domesticorum hostium, novem hominum perditissimorum pœna [a]Republ. conservata, reliquorū mentes [c]sanari posse arbitraretur. Atq; etiam supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito,

rito, meo nomine decreta est, Quirites: quod mihi primum post hanc urbem conditam[a] togato contigit: & his decreta verbis est, quód[d] urbem incēdiis, cade[d] cives,[a] Italiam bello liberassem. Quæ supplicatio si cum[#] cæteris conferatur, Quirites, hoc interfit, quód cætera bene gestâ, hæc una, conservatâ[a] Republicâ, constituta est. Atque illud, quod[c] faciendum primúm fuit, factum atq; transactum est. Nam P. Lentulus quanquam[c] patefactus indiciis & confessionibus suis, judicio[a] Senatus non modó Prætoris jus, verumetiam[d] civis amiserat, tamen[d] magistratu se abdicavit: ut quæ religio C. Mario[c] clarissimo viro nō fuerat, quo minús C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, Prætorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

L. cęteris supplicationib. conf.

ATQUE EA] Collaudatur ad extremum narrationis, Senatus lenitas, ne cæteri conjurati commoveantur, quasi pœna ad hos novem solos sit perventura. In complures tamen postea severé animadversum est. *Atq; etiam*] Accedit ad supplicationem, cujus caussas narratio longior exposuit: exornat veró primúm adjunctis & caussis. Primus Cicero tam honorifica de caussa supplicationem meruit. *Quæ si*] Secunda exornatio ex dissimilitudine aliarum supplicationum. *Atque illud*] Digressio quędam de moderata Lentuli pœna. Quanvis ne civis quidem esset, tamen tanquam magistratus jussus est abdicare se Prætura: dissimile est. Hic historiā Plutarchus notavit in Cicerone, Purpura, inquit de Lentulo, in Senatu posita, vestem fortunæ congruentem induit. *Ut quæ*] Continuatur idem dissimili exemplo Marii, de quo initio 1 Catilinarię dictum est: amplissimé veró pro Rabirio perduellionis reo.

Nunc quoniam, Quirites,[a] sceleratissimi[a] peri-

culosissimisq; [d] belli nefarios duces captos jam & cõprehẽsos tenetis, existimare debetis, omnes Catilinæ [a] copias, omnes spes, atq; [a] opes his [c] depulsis [d] urbis periculis [c] concidisse. Quem quidem ego cúm ex [d] urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi esse P. Lentuli [a] somnum, nec L. Cassii [a] adipem, nec C. Cethegi [a] furiosam [a] temeritatẽ pertimescendã. Ille erat unus timẽdus ex his omnibus, sed tandiu, dum [d] mœnibus [d] urbis cõtinebatur: [9] [11] omnia norat, omnium aditus tenebat: appellare, tentare, solicitare poterat, audebat: [10] erat ei [9] consilium ad facinus aptum: consilio autem neque [a] lingua, neque [a] manus deerat. Jam ad [11] cæteras res conficiendas certos homines delectos ac descriptos habebat. Neq; veró cúm aliquid mandaverat, confectum putabat: [11] nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret: frigus, sitim, famẽ ferre poterat.

L. certas res

Nunc quoniam] Digreditur iterum, & ex his rebus gestis disputat victum esse Catilinam: quod ad plebis confirmationem & adhortationem supplicationis referri potest. *Quem quidem*] Dissimilitudo Catilinæ cum cæteris conjuratis, ut qui in urbe maximé timẽdus fuerit: antea veró disputavit ejectum minús timendum. *Lentuli somnum*] His tribus metonymiis significat tardum Lentulum & somniculosum, Cassium præpinguem, Cethegũ furiosum. Lentuli somnus etiam notatus est antea: Tardissimé autem Lentulus venit, credo quód in literis dandis præter consuetudinem proxima nocte vigilarat. *Ille erat*] ἀνταπόδοσις variis personæ adjunctis confirmata, quód acer, callidus, disertus, audax, multis adjutus, diligens.

[11] Hunc ego hominem [a] tam [c] acrem, tam paratũ, tam

tam audacem, tam callidum, tam in [a] scelere vigilantem, tam in [a] perditis rebus diligentem, nisi ex [c] domesticis insidiis in castrense [d] latrocinium compulissem (dicam id quod sentio, Quirites) non facilè hanc tantam [c] molem [d] mali á [c] cervicibus vestris [c] depulissem: non ille vobis [a] Saturnalia constituisset: neq; tantó ante [e] exitium ac [d] fati diem Reipublicæ denunciasset: neq; commisisset, ut [a] signum, ut literæ suæ, testes deniq; manifesti [d] sceleris deprehenderentur: quæ nunc illo absente sic gesta sunt, ut nullum in privata domo [a] furtum unquam sit tam palám inventum, quám hæc tanta in Rempublicam [a] conjuratio manifestó inventa atque deprehensa est. Quódsi Catilina in [d] urbe ad hanc diem remansisset: quanquam quoad fuit omnibus ejus consiliis occurri atq; obstiti, tamen ut [c] levissimé dicam, [c] dimicandum nobis cum illo fuisset: neque nos unquam, dum ille in urbe hostis fuisset, [?] tãtis periculis [a] Rempublicam, tanta pace, [a] tanto ocio, tanto silentio liberassemus. L. exitii ac F.

HUNC EGO] Sententia est hujus propositionis, Si Catilina ejectus non esset, periculum summum fuisset: ad cujus rationem proximus locus repetitur. *Non ille*] Amplificatur idem alia dissimilitudine Catilinæ & comprehensorum. *Quæ nunc*] ἀνταπόδοσις: At comprehensi illa omnia egerunt. augetur autem collatione minorum. *Quódsi*] Repetitur propositionis sententia, Si Catilina ejectus non esset, periculum summum fuisset.

Quanquam hæc omnia, Quirites, ita sunt á me administrata ut deorũ immortalium [c] [a] nutu atq; consilio & gesta & provisa esse videantur, idq; cúm

conjectura [c] consequi possumus, quód vix videtur humani [a] consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse, tum veró ita præsentes his temporibus opē & auxilium nobis tulerunt, ut eos pené oculis videre possemus.[21] Nam ut illa [10] omittam, visas nocturno tempore ab occidente [c] faces, ardoremq; cœli,[11] ut fulminum jactus, ut terræmotus, cæteraq;, quæ tam multa [d] nobis Consulibus facta sunt, ut hæc, quæ nūc fiunt, canere dii immortales viderentur: hoc certé, Quirites, quod sum dicturus, [a] neq; prætermittendum, neq; relinquendum est. Nam profectó memoria tenetis,[a] Cotta & Torquato Consulibus, complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas, cúm & simulacra deorum immortalium depulsa sunt, & statuæ veterum hominum dejectæ, & legum [a] æra liquefacta: tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit,[a] Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem uberibus lupinis inhiantem fuisse meministis. Quo quidem tempore cúm Aruspices ex tota Hetruria convenissent, cædes atque incēdia, & legum [c] interitū, & bellum civile ac domesticum, & totius [d] urbis ac [d] imperii [c] occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati, suo numine propé [d] fata ipsa flexissent.

L. ut fulminum jactus, ut terrę motus relinquam, ut omittá cætera, quæ tám.

QUANQUAM HAEC] Regreditur ad supplicationem ex repressæ conjurationis caussa, quam specie correctionis amplificat, tanquam non Cicero, sed dii represserint. *Idque cúm*] Approbatio ex adjunctis, deinde etiam testimoniis divinis, quæ latissimé postea differuntur, & in peroratione superioris orationis breviter attinguntur. *Nam ut*] Explicat testimonia divina ex physicis τῶν μετεώρων ostentis, de quorum veris caussis, exhalatione, atque astris, vide Arist.

vide Arist. 2 & 3 τῶν μετεώρων. Atque hæc ostenta leges expressa Ciceronis versibus primo de Divinatione. Dissimilitudo autem est notis *ut* & *certe* expressa. *Hoc certe*] ἀνταπόδοσις, qua separatur hoc ostentum de jactu fulminis, cujus vis est duplex: una confringēdi solida, resistentiaque; altera urendi. Vide Aristotelem 1 cap. 3 μετεώρων. Similis veró ostenti est illud Virgilianum,

Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cælo tactas memini prædicere quercus.

Cotta] Quo tempore prior conjuratio inita est. *Legum æra*] Duodecim tabulæ veterum legum æreæ fuerunt Romæ, ut Solonis ligneæ Athenis, ut Mosis lapideæ Hierosolymis. *Quo quidem tempore*] Interpretatio superioris ostenti Aruspicum testimonio confirmata.

Itaq; illorum responsis tūc & ludi decem per dies facti sunt: neq; res ulla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est: iidemq; jusserunt simulacrū Jovis facere majus, & in excelso collocare, & contrá atque anté fuerat, ad [d] *orientem convertere: ac se sperare dixerunt, si illud* [a] *signum, quod videtis, Solis* [a] *ortum, & forum, curiamq;* [c] *conspiceret, fore ut ea consilia, quæ clám essent inita contra* [c] *salutem* [d] *urbis atq;* [d] *imperii,* [c] *illustrarentur, ut á* [a] *Senatu populoq; Romano perspici possent. Atque illud ita* [,] *collocandum Consules* ["] *illi statuerunt: sed tanta fuit operis tarditas, ut neq; á superioribus Consulibus, neq; á vobis ante hodiernum diem collocaretur. Hic quis potest esse, Quirites,* [,] *tam* [c] *aversus á vero, tam* ["] *præceps, tā mente captus, qui neget hæc omnia quæ videmus, præcipuéq; hāc urbem, Deorū immortalium* [a] *nutu atque potestate administrari? Etenim cū esset ita responsum, cædes, incēdia, interitumq;* [a] *Reipubl. comparari,* ["] *& ea á perditis ci-*

L. illi locarunt:

L. præceps furore,

al. & ea per cives: qu.

tibus: quæ tum propter magnitudinem scelerum nonnullis incredibilia videbantur, ea non modò cogitata á [c] nefariis civibus, verùm etiam suscepta esse [c] sensistis.

ITAQUE ILLORUM] Procuratio aruspicii ad placandos Deos adversus illud ostentum ex Aruspicum scilicet monitis. *Isdemq; jusserunt*] Aliud Aruspicum monitum ad eandem placationem:

Si Jovis statua major ad Orientem fuerit conversa, conjuratio deprehendetur.
Sed primum:
Secundum igitur. (sumtio est:

Atq; illud] Procuratio aruspicii proximi, quæ connexi as-
Sed statua major facta, & conversa est ad Orientem.

Hic quis] Concluditur generaliter é superioribus testimoniis, divinitus conjurationem esse patefactam, quod specialiter deinceps agitur. *Etenim*] Repetitur summa superioris aruspicii, & eventu comprobatur.

Illud veró nónne ita præsens est, ut [a] nutu Jovis optimi maximi factum esse videatur, ut cúm hodierno die mané per forum meo jussu [a] & conjurati, & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipso tempore [d] signum statueretur, quo collocato, atq; ad vos Senatumq; converso, omnia [a] & [a] Senatus, & vos, quæ erant contra salutem omnium cogitata, [c] illustrata & [c] patefacta [c] vidistis. Quo etiam majore sunt isti odio supplicioq; digni, qui nō solúm vestris domicilis atq; [d] tectis, sed etiam deorum templis atque delubris sunt [a] funestos ac [a] nefarios ignes inferre conati: quibus ego si me restitisse dicam, nimiũ mihi sumam, & non sim feredus. Ille, [c] ille Jupiter restitit: ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille vos omnes salvos esse voluit. Diis ergo immortalibus [c] ducibus hanc [a] mentē, Quirites, voluntatemq;

L. Ille Jupiter

voluntatemq; suscepi, atq; ad hæc tāta indicia perveni. Jam veró illa Allobrogum solicitatio á Lentulo, cæterisq; domesticis hostibus, tāta res tam dementer credita & ignotis & barbaris, commissæq; literæ nunquam essent profectó, nisi á diis immortalibus huic tantæ audaciæ consilium esset ereptum. Quid veró, ut homines Galli ex civitate malé pacata, quæ gens una restat, quæ populo Romano bellum facere & posse, & nō nolle videatur, spem imperii & rerum amplissimarum ultró sibi á patriciis hominibus oblatam negligerent, vestramq; salutem suis opibus anteponerent: id nónne divinitus factum esse putatis, præsertim qui nos non pugnādo, sed tacendo superare potuerunt? L. id nō div.

Illud veró] Repetitur summa secundi aruspicii, itēque cum suo eventu comparatur & concluditur. *Quo etiam*] Digressio brevior in hos incendiarios. *Quibus ego*] Revertitur ad institutam correctionem, & concluditur rursus, Jovis ope conjurationē patefactam esse. *Jam vero*] Amplificatur eadem quæstio ex indiciorum superiorū adjunctis. *Quid vero*] Producitur amplificatio ex prœmio & fine conjurationis.

Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis vestris: nam multi sæpe honores diis immortalibus justi habiti sunt ac debiti, sed profectó justiores nunquam: erepti enim ex crudelissimo ac miserrimo interitu, & erepti sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, togati me uno togato duce & imperatore vicistis. Etenim recordamini, Quirites, omnes civiles dissensiones: neq; solúm eas, quas audistis, sed & has, quas vosmet ipsi meministis & vidistis. L. Sylla

P. Sulpitium oppressit: C. Marium custodem hujus urbis, multosq; fortes viros [a]partim ejecit ex [d]civitate, partim interemit. Cn. Octavius Consul [a]armis ex [d]urbe collegam suum expulit: omnis hic locus acervis corporum, & [d]civium sanguine [c]redũdavit. superavit postea Cinna cum Mario: tum verò [c]clarissimis viris interfectis, [c]lumina [d]civitatis [c]extincta sunt. Ultus est hujus victoriæ crudelitatem postea Sylla: "ne dici quidem opus est, [a]quanta diminutione [d]civium, & quanta [c]calamitate [a]Reipublicæ. Dissensit M. Lepidus à [c]clarissimo & fortissimo viro Q. Catulo: attulit non tam ipsius interitus, Reipublicæ luctum, quàm cæterorum.

fort. ne dici quidem potest, qu.

QUAMOBREM] Cõclusio est propriæ quæstionis, Quare supplicatio celebranda. *Nam multi*] Confirmatio ex collatione minorum, cujus πρότασις adjunctis exponitur. *Etenim*] Amplificatur magnitudo depulsi periculi comparatione quinque bellorum civilium, tanquam minorũ. Primum exortum est, quia Sulpitius Tribunus Syllæ belli Mithridatici provinciam sua lege eriperet, Marioque daret: tum pugna in foro commissa, filius Q. Pompeji Cos. & Syllæ item Cos. gener occisus est. Sulpitius Mariusque ejecti, Sulpitius proditus á servo interemtus est: duodecim principes Marianæ factionis hostes judicati, in quib9 Marius pater & filius fuere. Vide Liviũ lib. 77. *Cn. Octavius*] Secũdum civile bellum inter Octavium & Cinnam Coss. pro revocatione exulũm qui hostes judicati fuerant: tunc cincta gladiis concio fuit, sed vicere quibus pax charior fuit, quamplurimi autem cives cæsi sunt, Cinnaque pulsus est. *Superavit*] Tertium civile bellum inter Octavium & exules, Cinnam & Marium: tum Roma quaternis castris á Cinna, Mario, Carbone, Sertorio obsessa & capta est. Crudelis inprimis pater Marius fuit, sed filius crudelior. *Ultus est*] Quartum bellum civile inter Marianos

& Syl-

& Syllanos: tum finito bello septuaginta millia in pace cæsa sunt, præter innumerabiles in bello cæsos. Vide Florum de his bellis civilibus. *Disse-sit*] Quintum bellum civile inter Lepidum & Catulum pro funere & actis Syllæ.

Atq; illæ dissensiones erant hujusmodi, Quirites, quæ non ad[c] delendam, sed ad commutandam Rempublicam pertineret: non illi nullam esse Rempublicam, sed in ea, quæ[a] esset, se esse principes: neque hanc[a] urbem conflagrare, sed se in hac urbe[c] florere voluerunt. Atq; illæ tamen omnes[a] dissensiones, quarum nulla exitium Reipublicæ quæsivit, ejusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiæ, sed [b]internecione[d] civium dijudicatæ sint. In hoc autẽ uno post hominum memoriam maximo[a] crudelissimoq;[a] bello: quale bellum nulla unquam[a] barbaria cum sua gente gessit: quo in bello lex hæc fuit á Lentulo, Catilina, Cassio, Cethego constituta, ut omnes, qui[a] salva[d] [a]urbe salvi esse possent, in hostium numero[c] ducerẽtur: ita me gessi, Quirites, ut omnes salvi conservaremini: & cum hostes vestri[a] tantum[a] civium superfuturum putassent,[a] [b]quantum infinitæ cædi restitisset: tantum autem[a] urbis, quãtum flamma obire non potuisset: & urbem, & cives integros incolumesq; servavi. al. interidone

ATQUE ILLAE] Concluditur protasis, & eventis amplificatur. *In hoc autem*] Antapodosis primæ comparationis, quód licet hoc bellum crudelissimum fuerit, tamen omnes incolumes sunt conservati.

Quibus pro tantis rebus, Quirites,[a] [b]nullum ego á vobis præmium virtutis, nullum[c] insigne honoris, nullum monimentũ laudis postulo, præterquã

hujus [a] diei memoriam sempiternam. In animis ego vestris [?] omnes triumphos meos, omnia [c] ornamenta honoris, monimenta gloriæ, laudis [c] insignia, [c] condi & [c] collocari volo. [?] Nihil me [c] mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique hujusmodi, quod etiam minùs digni assequi possint: memoria vestra, Quirites, nostræ res [c] alentur, sermonibus [c] crescent, literarum monimentis [c] inveterascent, & [c] corroborabuntur: eandemque [d] diem intelligo, quam spero æternam fore, & ad salutem [a] urbis, & ad memoriam [a] consulatus mei [c] propagatam: unoque tempore in hac Republ. duos cives extitisse, quorum [?] " alter fines vestri imperii, non terræ, sed cæli regionibus terminaret: alter ejusdem imperii domicilium sedemque servaret. Sed quoniam earum rerum, quas ego gessi, non est eadem [a] fortuna atque conditio, quæ illorum qui externa bella gesserunt, quòd mihi vivēdum sit cum illis quos vici ac [c] subegi: illi hostes [?] aut interfectos, aut oppressos reliquerunt: vestrum est, Quirites, si cæteris " recta sua facta prosunt, [?] mihi mea nequando obsint, [?] providere. [a] mentes enim hominum audacissimorum [a] sceleratæ ac [a] nefariæ ne vobis nocere possent, ego providi: ne mihi noceant, vestrum est providere: quanquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil jam ab istis noceri potest.

fort. sua recté facta pr.

QUIBUS] Concluditur prima quæstio (*Quare supplicationem celebrate*) sed fructus & finis laborum proponitur in argumento. *In animis*] Repetitur idem finis & fructus verbis paululum immutatis. *Nihil me*] Amplificatur idem fructus dissimilitudine, Nihil me mutum delectat, sed viva laus & æterna. *Memoria*] ἀνταπόδοσις, ad quam illustrandam allegoria é vitæ gradibus & partibus adhi-

adhibetur. *Propagatam*] Similis anté metaphora fuit Catilinaria 2: Non breve nescio quod tempus, sed multa secula propagarit Reipublicæ. *Unoq; tempore*] Secunda amplificatio ex comparatione Pompeji & Ciceronis: quæ versibus illis celebrata,

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ:
O fortunatam natam me Consule Romam!

illis inquam versibus celebrata magnam Ciceroni invidiam comparavit. Testis est invidiæ refutatio in Pisonem: Nõ ulla tibi, inquit, invidia nócuit, sed versus tui. Nimis magna pœna te Consule constituta est, sive malo poëtæ, sive libero. Scripsisti enim versus, *Cedant arma togæ.* Quid tũ? Hæc res tibi fluctus illos excitavit. At hoc nusquam opinor scriptum fuisse in illo elogio, quod te Consule in sepulchro Reipub. incisum est: Velitis, jubeatis, ut, nõ quód M. Cicero versum fecerit, sed quód vindicarit. Veruntamen quoniam te nõ Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poëtam armis persequare: scire cupio quid tandem isto in versu reprehendas, *Cedant arma togæ.* Tuę dicis, inquit, togæ summum imperatorem esse cessurum. Quid nunc te asine literas doceam? non opus est verbis, sed fustibus. Nõ dixi hanc togam, qua sum amictus; nec arma, scutum & gladiũ unius imperatoris: sed quod pacis est insigne & ocii, toga, contrá autem arma tumultus, atque belli, more poëtarum locutus, hoc intelligi volui, bellum ac tumultũ paci atque ocio concessurum: & cætera quę latiús illic explanãtur. Qui locus idem feré est in Antonium Philip. 2. Atq; etiã quodã loco facetus esse voluisti, &c. Satis est enim similem locũ indicasse. Quem locũ etiam Quintilianus attingit lib. 11: In carminibus utinã pepercisset, quæ non desierunt carpere maligni, &c. *Sed quoniam*] Correctio est ex dissimilitudine proximæ comparationis ad quandã imminentis invidiæ cõmiserationem & cautionẽ. *Si cæteris*] Argumẽtum est ex collatione parium. *Mentes*] Aliud parium argumentum. *Quanquam*] Correctio ex alio dissimili ad confirmandum bonos, & debilitandum improbos, ubi securitas Ciceronis ex populo, Republica, conscientia ipsius conjurationis, fortitudine Ciceronis ostenditur.

⁹ Magnum enim est in vobis[a] præsidium,[c] quod mihi in perpetuum comparatum est: [a] magna in Republica[a] dignitas, quæ me semper tacita defendet: magna vis est conscientiæ: quam qui negligent, cúm me [c] violare volent, se ipsi indicabunt. Est etiam in nobis is [a] animus, Quirites, ut non modó nullius [a] audaciæ cedamus; sed etiam omnes improbos ultró semper lacessamus. [c] Quód si omnes [a] impetus domesticorum hostium depulsi á vobis, se in me unum [c] converterint, vobis erit providendum, Quirites, qua cōditione post hac eos esse velitis, qui se pro salute vestra obtulerint [a] invidiæ, [a] periculisque omnibus: mihi quidem ipsi quid est, quod jam ad vitæ [c] fructum possit acquiri? præsertim cúm [c] neq; in honore vestro, neq; in gloria virtutis, quicquam videam [c] altius, quó quidem mihi libeat [c] ascendere. Illud perficiam profectó, Quirites, ut ea quæ gessi in Consulatu, privatus tuear, atque [c] ornem: ut si qua est [a] [10] invidia in conservanda Republica, suscepta, lædat invidos, mihi valeat ad gloriam. [c] Denique ita me in [a] Republica tractabo, ut meminerim semper quæ gesserim, curemq; ut ea [a] virtute, non casu gesta esse videantur.

QUÓD SI] Proponit é suo periculo conjunctum Reipubl. periculum: Si opprimatur Cicero, nemo Rempubl. postea tueri volet. *Mihi*] Correctio ad imminentis invidiæ contemtum declarandum, quód gloriæ satis vixerit, nec tanti jam vita sit. *Præsertim cúm*] Eadem sententia proxima Catilinaria pleniús: Neq; enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti. *Illud*] Confirmat asseveratione quadam cōstantiam suam, & invidiæ adjuncta proponit. *Denig;*] Confirmatur idem effectis, & eorum caussis.

Vos Quirites, quoniam jam nox est, veneramini illum Jovē custodem hujus urbis, ac[10] *vestrûm, atque in vestra*[d] *tecta discedite: & ea, quanquam jam periculum est*[c] *depulsum, tamen æquè ac priori nocte fecistis,*[a] *custodiis,*[a] *vigiliisq; defendite. Id ne vobis diutius faciundum sit, atq; ut in perpetua pace esse possitis, providebo.*

V o s] Peroratio adhortationis ad supplicationem celebrandum. Additur admonitio ad defensionem urbis.

ANALYSEOS RHETORICÆ & Logicæ in tertiam Catilinariam summa.

AN Orator hac oratione populum docuit & movit? Certè. & testimonium eventus hujus é Salustio nobis est. Plebs siquidem quæ prius bello favebat, mutata mente, Catilinæ consilia execrari, Ciceronem ad cœlum tollere, veluti ex servitute erepta, gaudium atque lætitiam agitabat. Nanque alia belli facinora, prædæ magis, quàm detrimento fuere: incendium veró crudele, immoderatum, ac sibi maximé calamitosum putabat: quippe cui omnes copiæ in usu quotidiano, & cultu corporis erant. Atque hæc ἀπόδειξις est ὅτι. διὰ τί, inquies. caussas inquam, quas é præsenti oratione possumus, sigillatim adhuc expositas, colligamus universas, & διὰ τί cognoscemus. Elocutio in Tropis bona, & crebra. Metonymia locis sexaginta, totidem feré Synecdoche, Ironia nullo, Metaphora octoginta: sed enim geminatio inprimis spectanda est. *Ex flamma atq; ferro erepta: Consilio neq; lingua, neq; manus deerat*, &c. Metonymiæ primi modi sunt: *Sceleratissimi, periculosissimiq; belli*, &c. *Funestos ac nefarios ignes*, &c. secundi: *Contra salutem urbis atque imperii*, &c. tertii. Sed metaphora, ut semper aliàs, excellit: *Clarissimis viris interfectis, lumina civitatis extincta sunt*, &c. *Me-*

moria vestra, Quirites, nostræ res alētur, sermonibus crescent, literarū monimētis inveterascent & corroborabūtur. Synecdoche nō solúm simplex, sed composita minimā feré gratiam ex omnibus tropis habet. Geminatur tamē aliquādo, ut, *Mucrones á jugulis vestris rejecimus.* E figuris verborum Epizeuxis est duobus locis, Anaphora viginti: Epistrophe, Symploce, Epanodos, Anadiplosis, Climax, Epanalepsis, nullo: Polyptoton duodecim: Paronomasia sex: Numerus, ut jam monui, in totis verborū figuris resonat, separatim tamē persæpe in hac oratione sentitur, frequētissimé autem in Epistrophe: *Ad me vocavi, rem omnem exposui, quid fieri placeret, ostendi.* Clarior numerus est propter antecedentem Anaphoram: *Nullum ego á vobis præmium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monimentum laudis postulo.* Sed sine verbi Anaphora, numeri & Anaphora & Epistrophe Symploces orbem conficiūt: ut, *Urbem ex omnibus partibus incendissent, cædemq; infinitam civium fecissent,* (urbem, cędem) initiis, (incendissent, fecissent) extremis similes numeri sunt. Epanodos numeri superiore oratione fuit: *Magis mihi videntur vota facturi contra Rempub. quám arma laturi.* Ibidem Epanalepsis: *Instruite nūc Quirites contra has tam præclaras Catilinæ copias vestra præsidia, vestrosq; exercitus: & primúm gladiatori illi confecto & saucio Coss. imperatoresque vestros opponite.* Reliquarū figurarū numerosa exēpla si studiosiús animadverteris, facilé deprehendes. E figuris sententiarum, nisi tum fuerit, *Pereant sane,* &c. nullo loco est Optatio: Prolepsis tribus: Prosopopœja, sed obscurior, duobus, ut Digressio, ut Dialogismus: Præteritio uno, reliquæ nusquā. ita jam perspicimus figuras sentētiarum figuris verborū rariús á Cicerone adhiberi: nec tamen idcirco fortiorem ejus orationē judico. Logicę ac rei vis major est. E locis inventionis topicę, caussa in fine quatuor locis adhibetur, in efficiente uberior est de Cicerone, Allobrogibus, Prætorib⁹, militibus: atq; aliis pręterea locis: Effecta multa: Subjectum & Dissentaneum nusquam. Adjūcta sunt locis quatuordecim, Similia uno: Paria, ut Minora, tribus. Sed Paria illa magis animadvertēda, quia rariora, *Non minus,* & *quám,* &c. *Tantum* & *quantum,* &c. Majora locis undecim,

cim, ſeptem in illa forma *Non modò, ſed*, &c. Majoris ſpeciem notabis eo loco, *Hac omnia quæ videmus, præcipueq; hanc urbem*. Diſſimilia ſunt locis tribus & viginti-ſex in illa forma *Quanvis, tamen*, &c. In quorum duobus *Quanquam* nullum eſt: quod brevius aliquando fit. *Quæ quidem te à tanto ſcelere etiam muta revocare debuit: Etiam* pro *quanvis*. Totidem locis in forma *Non hoc, ſed illud*. Quo in genere ἀνταποδόσεως nota interdum reticetur: ut, *Nihil me mutum delectat*, &c. *Memoria veſtra noſtra res alentur*. Ergo diſſimilia é comparatis omnibus frequētiſſima ſunt, Notatio nuſquam, Conjugatio ſemel, Partitio manifeſta nulla eſt, Deſcriptio locis quatuor: ad quam, ut jam monui, referendę ſunt ὑποτυπώσεις, ut illa cōvictæ conſcientiæ: *Sic obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnunquam inter ſe aſpiciebant*, &c. Ex omnibus argumentis ad factæ conjurationis fidem primarium eſt in hac oratione teſtimonium, ex indiciis Vulturtii, Allobrogum, ex jurejurando, literis, ex fatis Sibyllinis, Aruſpicum, ex confeſſione reorum, ex ſenatusconſulto, ex oſtentis & reſponſis Aruſpicum. Diſpoſitionis autem analyticæ ars multó minor eſt. Syllogiſmi pauci: in prima figura vix unus: in connexo primo, duo, iique omnes obſcuré concluſi: & illud nimirum tot exemplis jam verum eſſe conſtat, quám plurima naturalis intellectus judicio eſſe contēta: perpauca ſyllogiſtico judicio ſubjici, & tamen quæ ſubjiciuntur, raró plenis ſyllogiſmis concludi. Ut tamē verum, ſummumque ſyllogiſticæ Analyſeos fructū capias, ſummam orationis univerſæ in ſyllogiſmum unū redige, hoc (ſi lubet) modo:

Si Cicero, Deorum auxilio, Rempubl. conjuratione liberavit, ſupplicatio ejus nomine celebran-
Sed primum: *(da eſt:*

quia conjuratos comprehendit, convicit, puniendos curavit, denique bello crudeliſſimo cives ſervavit: & Dii in phyſicis oſtentis, conjuratorumque, & Gallorum dementia ſe præſentes duces oſtenderunt:

Secundum igitur.

Sed hic ſyllogiſmus meliús eſſet initio præpoſitus. Atque id prioris eſt Analyſeos: Methodi veró & poſterioris Analy-

ſeos ars non magna eſt: Quæſtio ſupplicationis magis eſt indicata, quàm expreſſa initio: deinde perpetuis argumentis ſine partitionis aperta diſtinctione, diſputata, & tandem concluſa. Si prudens & ſciens artis ordinem neglexerit orator, ſolicitudinem de Rep. curamq; indicare voluit. Sed hæ tamen logicæ ſunt & topicæ inventionis, & Analyticæ diſpoſitionis virtutes: quas ſi ad rhetoricæ elocutionis ornatum aggregemus, habebimus in hac oratione poſitas cauſſas κατὰ τί, quamobrem Cicero populum Romanum docuerit & moverit. Intereaque indoctorum nebulonum impudentem inſcitiam perſpiciemus. qui libris, vel potiús barbaris calumniis editis diſputare auſi ſunt, nullam in oratoribus Logicam eſſe, & cúm ſtatuat Ariſtoteles artium principia ἱστορίαν καὶ ἐμπειρίαν, ex eis principiis incipiamus logicam artem veriús intelligere, veriús intellectam commodiús exercere.

M. T.

M. T. CICERONIS IN L. CATILINAM ORATIO QUARTA AD QUIRITES; P. Rami prælectionibus illustrata.

ARGUMENTUM.

DUM ea quæ suprà dicta sunt, aguntur in Senatu, & postridie legatis Allobrogum, & Tito Vulturtio, indiciis eorum comprobatis, præmia decernuntur, liberti & pauci ex clientibus Lentuli, diversis itineribus, opifices atq; servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant: partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio vexare Rempubl. soliti erant. Cethegus autem per nuncios, familiam, atque libertos suos electos & exercitatos orabat in audaciam, ut grege facto ad sese cum telis irrumperent. Eodem tempore ab ara sacrorum Bonæ deæ (quæ tum domi Consulis, *ut mos erat annuus, agebātur) flamma quadam longa & pura, sopito jampridem igne, tamen emicuit, quo Vestales per Terētiam conjugē Consuli nunciarunt, ne dubitaret ea perficere, quæ tum pro patria cogitaret, tanquam dea præsens magnum lumen ad ejus gloriam salutemq; portenderet. Eodem & frater, & P. Nigidius & philosophiæ & Respubl. studiis* Ciceronis *valde conjunctus, impellebant. Quare Consul & conjuratorum insidiis, itemq; divinis ostentis, & amicorum consiliis permotus, dispositu præsidiis, uti res atq; tempus monebat, convocato Senatu refert, quid de conjuratis fieri placeat. Prima deliberatione, cùm duæ sententiæ fuissent, altera de morte, altera de ejectione Catilinæ, mitiorem Cicero secutus est, ut conjuratio penitus exhauriretur, sicuti dictum est: Hic contrà cùm duæ sentētiæ sint, altera Syllani Cos. designati, de morte comprehensorum: altera Cæsaris, de custodia & bonorum publicatione, ad severiorem Senatum adhortatur. Hæc* Sallustius *& Plu-*

tarchus. Summa fere est:

Summi sceleris, & summis Reipubl. periculis conjuncti, animadversio severa & matura debet esse, si nulla crudelitas insit, si transigendi facultas adsit:

Hæc omnia sunt in hac caussa: summum scelus summis Reipublicæ periculis conjunctum, animadversionis crudelitas nulla est, facultas transigendi magna est:

Severa sit igitur & matura.

ORATIO IIII.

V[a]IDEO, *Patres conscripti, in me omnium vestrûm [a]ora atq; [a]oculos esse conversos: video [b]vos non solùm de vestro ac Reipublicæ, verùm etiam, si id [c]depulsum sit, de meo periculo esse [c]solicitos. Est mihi jucunda in malis, & grata in dolore vestra erga me voluntas:" " Sed eam, per deos immortales, quæso deponite, atque obliti salutis meæ, de[b] vobis ac de liberis vestris cogitate.*

VIDEO] Dissimile est initio: Cogitatis de mea salute, sed potiùs de publica cogitate. πρόθεσις pauló est longior. *Est mihi*] Ratio προτάσεως ex adjunctis, quód hæc cogitatio grata sit. *Sed eam*] ἀνταπόδοσις collationis.

Mihi quidem si hæc conditio consulatus data est, ut [b]omnes [c]acerbitates, omnes dolores [d]cruciatusq; [b]perferrẽ: ferã nõ solùm fortiter, "sed etiã libẽter, dũmodo meis laboribus vobis populoq; Rom. dignitas,

L. verùm etiam lib.

gnitas, salusq; [c] pariatur. Ego sum ille Consul, Patres Conscripti, cui [a] non [d] forum (in quo omnis [a] aequitas continetur) non [d] cāpus Consularibus auspiciis consecratus: non [d] curia, summum auxilium [d] omnium gentium: non [d] domus, " commune perfugium: non [d] lectus ad quietem datus: non denique haec sedes honoris, " sella curulis, unquam [c] vacua mortis periculo atque insidiis fuit. " Ego [a] multa tacui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore in vestro timore [c] sanavi. Nunc si hunc exitum Consulatus mei dii immortales esse voluerunt, ut vos, Patres Conscripti, populumque Romanum ex cæde " misera, conjuges, liberosq; vestros, virginesq; Vestales ex [c] acerbissima [c] vexatione, templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam, omnium nostrûm ex [a] fœdissima [a] flamma, totam [a] Italiam ex bello & vastitate eriperem, quæcunq; mihi uni proponetur [a] fortuna, [c] subeatur. Etenim si P. Lentulus suum nomen, [c] inductus á vatibus, [d] [a] fatale ad perniciem Reipublicæ fore putavit, cur ego non læter meum [a] Consulatum ad salutem [a] Reipublicæ propé [d] fatalem extitisse? Quare, Patres Conscripti, " consulite vobis: prospicite [a] patriæ: conservate vos, conjuges, liberos, fortunasq; vestras, populi Romani [a] nomen salutemq; defendite: mihi parcere, ac de me cogitare desinite.

al. commune omnium hominum perfugium: *adventitiū est.*

L. miserrima:

Mihi quidem] Ostendit charitatem suam in patriam, & connexo sic concludit:

Si Consulatus mihi fatalis est ad omnes dolores pro patria ferendum, feram:
Sed primum:
Secundum igitur.

Ego sum] Assumtio confirmata ex adjunctis periculis ubiq;

intentatis. Res augetur enumeratione partium & earum adjunctis. *Sella curulu*] Sella curulis, sella fuit eburnea in curru, quo magistratus vehebantur in forum.

Cuilibet hic fasces dabit, eripietq; curule
Cui volet importunus ebur:

Horatius 1 Epistolarum. Metri, puto, caussa alterum r detrahitur, ut brevietur. *Nunc si*] Reliqua est de patriæ salute assumtio, inductione partium amplificata. *Etenim*] Continuatio est superioris propositionis ex dissentaneis. Lentulus enim velut hostis Ciceroni tanquam servatori opponitur. Sic enim interdum contraria contrariorũ consequentia opponuntur, ut Institutionibus nostris exponitur. *Quare P.C.*] Concluditur prima quæstio, & dissimilitudo repetitur.

Nam primùm debeo sperare, omnes Deos, qui huic urbi præsident, pro eo mihi ac mereor, relaturos gratiam esse: deinde si quid obtigerit, æquo animo paratoq; moriar. [a] Neq; enim turpis mors forti viro potest accidere, neq; [c] immatura Consulari, nec misera sapienti. Nec tamen ego sum ille [c] ferreus, qui fratris charissimi atq; amantissimi præsentis mœrore non movear, horumq; omnium [a] lacrymis, à quibus me circumsessum videtis. Neque meam mentem non [a] domum sæpe revocat [c] exanimata uxor, [c] abjecta metu filia, & parvulus filius, "qui mihi videtur [c] amplecti Rempubl. tanquam obsidem Consulatus mei: neq; ille, qui expectans hujus exitium diei, astat in conspectu meo gener. Moveor his rebus omnibus, sed in eam partem, ut salvi sint vobiscum omnes, etiã si [a] vis aliqua me [c] oppresserit, potiùs quàm & illi & nos una [a] Reipublicæ peste pereamus. Quare, Patres Conscripti, [c] incumbite ad [a] Reipublicæ salutem, [c] circumspicite omnes [c] procellas,

al. quẽ mihi vid. ampl. Resp.

cellas, quæ [c] impendent, nisi [c] providetis. [a] Non Tib. Gracchus, qui iterum Tribunus plebis fieri voluit: non C. Gracchus, qui agrarios concitare conatus est: non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit, in discrimen aliquod, atque in vestræ [a] severitatis judicium adducitur: sed tenentur ii, qui [a] ad [d] urbis [a] incendium, ad vestrûm omnium [a] cædem, ad Catilinam accipiendum Romæ restiterunt.

al. qui C. Muminium
al. qui C. Nũmium, L. qui C. Memmiũ unũ occidit,

Nam primúm] Confirmatio quæstionis ex adjuncta spe deorum & Ciceronis fortitudine. *Neque enim*] Approbatur fortitudo ex conjugatis, Moriar & mors. Ubi notabis adjuncta cum subjectis comparata. *Immatura*] Repetitur autem 2 Philip. eadem sententia: Etenim si abhinc annis propé viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse Consulari, quanto veriús nunc negabo seni? *Nec tamen*] Prolepsis per correctionem ex præsentibus amicorum lacrymis, quibus Cicero moveatur. Videtur iis lacrymis repugnare superior historia, quę Ciceronẽ ab amicis impulsum facit: nisi cũ adhortatione permistum mœrorem intelligas, ut mortes, quas gloriosas prædicamus, etiam deploramus. *Tanquam*] Hac brevi similitudine gratiam posteris suis á Republ. debitam innuit. *Moveor*] Solutio prolepseos ex majorum collatione, quód magis periculo publico moveatur. *Quare*] Concluditur rursum prima quæstio, & affirmatur periculis adjunctis. *Non Tiberius*] Amplificatio ex dissimilibus exemplis, de quibus initio primæ Catilinariæ. *In discrimen*] Periphrasis est ex subjectis, pro, accusatur. *Sed tenentur*] Antapodosis dissimilium exemplorum ex dissimili conjuratorum facto & facti fine.

Tenẽtur literæ, [d] signa, [a] manus, denique uniuscujusque cõfessio. [c] Solicitãtur Allobroges, [a] servitia excitantur, Catilina accersitur. Id est initum cõsilium, ut interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum

quidem populi Romani [a] nomen atq; ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur." Hæc omnia indices detulerunt: rei confessi sunt: " vos multis jam [c] judiciis judicastis: primùm, quòd mihi gratias egistis [c] singularibus verbis, & mea virtute atque diligentia perditorum hominum [c] patefactam esse conjurationem decrevistis: deinde quòd P. Lentulum, ut se abdicaret prætura, coegistis: tum quòd eum, & cæteros, de quibus judicavistis, in custodiam dandos censuistis: maximéque quòd meo nomine supplicationē decrevistis: qui honos [a] togato habitus ante me est nemini." Postremò hesterno die præmia legatis Allobrogum, Titoque Vulturtio dedistis [c] amplissima. Quæ sunt omnia ejusmodi, ut ii qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione à vobis damnati esse videantur.

al. Postremó quód hest.

TENENTUR] Approbatio finis ex testimoniis, de quibus antea. *Solicitantur*] Repetitur ἀνταπόδοσις, sed finis augetur graviús ex adjunctis. *Servitia*] Metonymia est pro servis, quomodo rursus postea Gallos excitavit, servitia concitavit. *Hæc omnia*] Repetitur approbatio facti ex iisdem testimoniis, quibus additur testimonium senatus ex decreto hesterno, quod per partes explicatur. Sētentia syllogismi est:

> *Rei delatum crimen confessi, & laudatis indiciis quæsitorum in custodiam traditi, videntur damnati:*
>
> *Tales sunt conjurati:*
>
> *Videntur igitur jam esse damnati.*

Assumtio præcedit. *Singularibus*] Singulare propriè dicitur, quod unicum est: ut, Singularem Deus hunc mundū, atque unigenam procreavit, ait Cicero de Universitate. Et 2 Agraria, Singularis homo sic dicitur. Hic autem non capitur propriè, sed metaphoricōs. quod declarant superioris

orationis

orationis de eadẽ re illa, Primùm mihi gratiæ verbis amplissimis agũtur,&c. Hic *singularibus* & illic *amplissimis* *Verbis* idẽ est. *Quæ sunt*] Sententia propositionis est, Damnati videtur ii, quibus ista contigerunt: hoc idẽ Sallustius notavit, Sed eos frequens senatus judicaverat pauló anté contra Rempubl. fecisse.

Sed ego institui referre ad vos, Patres conscripti, tanquam integrum,[a] [11] *& de facto quid judicetis, & de pœna quid censeatis. Illa prædicam, quæ sunt consulis. Ego magnum in Republ.* [c] *versari* [a c] *furorem, & nova quædam* [c] *misceri, &* [c] *concitari mala jampridem* [c] *videbam: sed hanc* [10] *tantam, tam exitiosam haberi conjurationem á* [d] *civibus nunquam putavi. Nunc quicquid est, quocunque vestræ* [a] *mentes* [c] *inclinant atq; sententiæ, statuendum vobis ante noctem est. Quantum facinus ad nos delatum sit,* [c] *videtis: huic si paucos putatis* [c] *affines esse, vehementer* [c] *erratis.* [c] *Latiús opinione* [c] *disseminatum est hoc malum:* [c] *manavit nó solùm per* [a] *Italiam, verùm etiam* [c] *transcendit* [a] *Alpes, &* [c] *obscuré* [c] *serpens, multas jam provincias* [c] *occupavit. Id* [c] *opprimi* [c] *sustentando ac* [c] *prolatando nullo pacto potest. Quacunq; ratione placet, celeriter vobis vindicandum est.*

SED EGO] Proponitur problema futuræ deliberationis. *Illa prædicã*] Locus attẽtionis ex adjuncto personæ ad cohortationẽ maturandi judicij, cujus argumentũ est ex adjũcta periculi magnitudine. *Nunc quicquid*] Sententia complexionis: Quare celeriter est statuendum. *Quantum*] Repetitur magnitudo periculi, & augetur efficientibus, quód multi sint ejus authores. *Id opprimi*] Repetitur eadem complexionis sententia, & dissimilibus augetur.

Video duas adhuc esse sententias: unam D. Syllani, qui censet eos, qui hæc [c] delere conati sunt, morte esse mulctandos: Alteram C. Cæsaris, qui mortis pœnam removet, cæterorum suppliciorum omnes [c] acerbitates [c] amplectitur. Uterq; [a] & pro sua dignitate, & pro rerum magnitudine, in summa severitate [c] versatur. [a] Alter eos, [a] qui nos omnes, qui populum Romanum vita privare conati sunt, qui [c] delere [d] imperium, qui populi Romani [a] nomen [c] extinguere, [c] punctum temporis frui vita & hoc communi [a] spiritu non putat oportere: atq; hoc genus pœnæ sæpe in improbos cives in hac Republ. esse usurpatum recordatur: Alter intelligit, mortem á diis immortalibus non esse supplicii caussa constitutam, sed [a] aut necessitatem naturæ, aut laborum ac miseriarum quietem esse. Itaq; eam sapientes nunquã inviti, fortes etiam sæpe libenter oppetiverunt. [d] Vincula veró, & ea sempiterna, certé ad [c] singularem pœnam [a] nefarii [a] sceleris inventa sunt. Itaq; municipiis dispertiri jubet.

al. municipibus disp.

VIDEO] Partitio est sententiarum adhuc dictarũ. Prior est Syllani designati Consulis morte reos multantis: posterior Cæsaris mortem removentis, perpetuum carcerem & bonorum publicationem decernentis: ubi prudentiam Ciceronis animadverte, Cæsarem laudantis, ut cujus sententiam non probaret, ejus tamen personam nihil offenderet. *Uterq;*] Laudatur utraque sententia ex adjuncta severitate. *Alter eos*] Deliberatio Syllani ex factis reorum & exemplis similibus, morte puniendos eos esse: utrũque argumẽtum tractatum est prima Catilinaria, de morte Catilinæ. *Alter intelligit*] Deliberatio Cæsaris, qua primúm Syllanus refellitur, deinde sententia Cæsaris ponitur. Refellitur autem Syllanus ex dissimili: Mors non est pœna, sed pœnarum requies. Idem Sallustius in oratione, quam

quam Cæsari affinxit: nec enim arbitror Cæsarem ea loquutum esse, sed excellentius orasse judico. Verba autem Salustii sunt: De pœna (inquit) possum equidem dicere id quod res habet, in luctu atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissolvere, ultrá neque curæ, neque gaudio locum esse. *Itaq; eam*] Illustratio ex adjunctis, quód mors contemnatur, aliquando etiam appetatur. *Vincula*] Sententia Cæsaris de perpetuo reorum carcere efficientibus exornata.

" *Habere videtur ista res iniquitatem, si imperare velis: difficultatem, si rogare. Decernatur tamen, si placet. Ego enim suscipiam, & , ut spero, reperiam, qui id, quod salutis omnium caussa statueritis, non putet esse suæ dignitatis recusare. Adjungit gravem pœnam municipibus, si quis eorũ [d] vincula ruperit: [c] horribiles [a] custodias circũdat, & dignas [a] scelere hominum perditorum sancit, ne quis eorum pœnam, quos condemnat, aut per Senatum, aut per populum [c] levare possit. [c] Eripit etiam spem, quæ sola hominem in miseriis consolari solet: bona præterea publicari jubet: vitam solam relinquit nefariis hominibus: quam si [c] eripuisset, multas uno dolore animi ac corporis, & omnes [a] scelerum pœnas ademisset. Itaq; ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos ejusmodi quædam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt: quód videlicet intelligebant, his remotis non esse mortem ipsam pertimescendam.*

HABERE] Perstringitur á Cicerone breviter hæc sententia ex adjunctis, quód iniqua sit, aut difficilis. *Decernatur*] Correctio, qua se in utramvis partem paratum esse indicat. *Adjungit*] Ratio altera sententiæ Cæsarianæ, item ex caussis custodiæ. *Quæ sola*] Sic de spe Tibullus:

Tum mala finiſſem letho, ſed credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore ſemper ait.

Bona præterea] Poſtremum caput ſententiæ Cæſaris de publicatione, ſeu (ut recentiores dixerunt) confiſcatione bonorum. *Vitam ſolam*] Laudatur ſeveritas hujus pœnæ, quaſi morte gravioris. *Itaq;*] Amplificatio ex ſimilitudine inferorum, quorum fictis pœnis ſit hæc vera pœna ſimilis. Pœnas veró inferorum Cicero prima Tuſcul. videtur fictas putare.

Nunc, Patres Conſcripti, ego mea video quid interſit. Si eritis ſecuti ſententiam C. Cæſaris, quoniam hanc is in Republ.[c] *viam, quæ*[a] *popularis habetur,*[c] *ſecutus eſt, fortaſſe minús erunt,*["] *hoc monitore & authore hujuſce ſententiæ, mihi populares*[a] *impetus pertimeſcendi: Sin illam alteram*[c] *ſecuti eritis, neſcio an amplius mihi negocii*[c] *contrahatur: ſed tamen meorum periculorum rationes*[a] *utilitas Reipublicæ*[c]["] *vendicat. Habemus enim á C. Cæſare, ſicut ipſius*[a] *dignitas, & majorum ejus*[a] *amplitudo poſtulabat, ſententiam tanquam obſidem perpetuæ in Rempubl. voluntatis. Intellectum eſt, quid interſit inter*[c]["] *levitatem concionatorum, & animum veré*[a] *popularem ſaluti populi conſulentem.*

hoc auctore, & cognitore hu. *libri manuſcripti.*

L. vincat.

fort. lenitatem

N u n c] Diſceptatur ambigué utraque ſententia ex adjuncto periculo Conſulis, altera minús invidioſa, altera nõ magis periculoſa. In prima conjugata ſunt, populares populares. *Sed tamen*] Hac metaphora ſignificat rationes periculorum ſuorum ad Rempubl. pertinere, ut ſi nolet, ſit Reipubl. ſubeantur. *Habemus*] Redit ad Cæſarem, & collaudat ex hac ſententia, tanquam de Republ. bene ſentientem: quod de induſtria factum videri poteſt, ne Cæſar (cujus ſententia non probabatur) conjurationis nomine ſuſpectus eſſe videretur. *Intellectum*] Amplificatio

laudis

laudis ex dissimilitudine & differentia aliorum popula .1.
ubi notabis popularis definitionem, qui saluti populi consulit.

Video de istis, qui se populares haberi volunt, abesse non neminem, ne de[a] capite videlicet civium Rom. sententiam ferat:" is & nudiustertius in custodiam cives Romanos" Cethegum & Publ. Lentulum dedit, & supplicationem mihi decrevit, & indices hesterno die maximis premiis affecit." Jam hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quaesitori gratulationem, indici premium decrevit, quid de tota re & caussa judicarit. At verò C. Caesar intelligit legem Semproniam esse de civibus Romanis constitutam: qui autem Reipublicae sit hostis, eum civem esse nullo modo posse: deniq; ipsum latorem legis Semproniae jussu populi poenas Reipublicae[c] dependisse:" idem etiam ipsum largitorem Lentulum & prodigum non putat, cùm de pernicie Reipublicae, & exitio hujus urbis tam[c] acerbè, tamq; crudeliter cogitarit, appellari posse popularem. Itaque homo mitissimus atq; lenissimus non dubitat Publ. Lentulum aeternis[a] tenebris[a] vinculisq; mandare: & sancit in posterum, ne quis hujus supplicio[c] levando se[c] jactare, & in[c] perniciē[a] Reipublicae posthac popularis esse possit: adjungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi[d] cruciatus & corporis, etiam[a] egestas ac[a] mendicitas consequatur. Quamobrem[a] sive hoc statueritis, dederitis mihi comitem ad concionem populo Romano charum atq; jucundum: sive illam Syllani sententiam[c] sequi malueritis, facilè me atq; vos á crudelitatis vituperatione defendetis.

Cethegum & P. Lentulum, *lib. vet. non habent.*

L. idē ipsum Lentulū largitorem, & prodigum, non p.

VIDEO]Senator quidam notatur, qui de civium capite judicare noluerat:ab eo tamen jam judicatum esse Cicero ex ejus factis disputat:

Qui reo custodiam, quæsitori gratulationem, indici præmium decrevit, jam judicavit:
Id Senator hic egit:
Judicavit igitur.

Assumtio præcedit. *At vero*]Laudatur iterū Cęsar, quód contra legum exceptionem tam severé sentiat in Lentulum veluti non civem:

Hostis non est civis:
Lentulus est hostis:
Non igitur civis.

Argumentum est ex dissentaneis: propositio exemplo C.Gracchi confirmatur, de quo sic pro Rabirio perduellionis reo:C.Gracchus legem tulit, ne de capite civium Romanorum injussu vestro judicaretur. Quód autem jussu populi pœnas dependisse Gracchus hîc dicitur, caussæ pręsenti magis concessum, quám ex historia deductum. Nam S.C.per Opimium Consulem, populo tamen ad arma vocato, cæsus est, ut in procemio primæ Catilinariæ dictū est. *Idem*]Vis assumtionis mista complexioni:

Sed Lentulus est hostis, ut ex factis ejus apparet:
Non igitur civis.

Itaq; homo] Concluditur sententia Cæsaris, & ejus capita recolliguntur de custodia & publicatione. *Ut omnes*] Amplificatio ex adjunctis malis. *Quamobrem*]Concluditur ambigué, ut disceptata est, deliberatio duarum sententiarum. *Populo charum*] Definitio popularis, cujus & alia pauló anté fuit, populi saluti consulens.

Atq; obtinebo eam multó leniorem fuisse. Quāquam, Patres Conscripti, quæ potest esse in tātis [a] sceleris immanitate punienda, crudelitas? Ego enim de meo sensu judico. [b] Nam ita mihi salva Republ. vobiscum perfrui liceat, ut ego, quód in hac caussa vehementior sum, non atrocitate animi moveor:

veor: (quis enim est me mitior?) sed [c] *singulari quadam humanitate & misericordia.* [9] *Videor enim mihi hanc urbem videre,* [c] *lucem* [d] *orbis terrarum, atque* [c] *arcem* [d] *omnium gentium, subitó uno incendio concidentem:* [c] *cerno animo* [10] ″ *sepultam* [d] *patriam, miseros atq; insepultos acervos* [d] *civium.* [c] *Versatur mihi ante oculos* [a] *aspectus Cethegi & furor in vestra* [a] *cæde* [c] *bacchantis. Cúm veró mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse se ex* [d] *fatis sperasse confessus est,* [a] *purpuratum esse hunc Gabinium, cum exercitu venisse Catilinam:* [a] *tum lamentationem matrumfamiliás, tum fugam virginum atque puerorum, ac* [c] *vexationem virginum Vestalium* [c] *perhorresco: & quia mihi vehementer hæc videntur* [10] *misera atq; miseranda, idcirco in eos qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemq; præbeo.*

L. sepulta in patria miseros,

ATQUE OBTINEBO] Jam manifestiús inclinat in Syllanum, & per correctionem disputat ex repugnātibus, nullam crudelitatem hîc esse:

Summi sceleris animadversio non est crudelitas:
Hic summi sceleris est animadversio:
Non igitur crudelitas:

Ego enim] Interponitur hîc iurisjurādi quoddam testimonium, Cupio sic salvus esse, ut ego moveor non crudelitate, sed misericordia. Contrarium interponitur, *Quis enim me mitior?* *Videor*] Assumtio est,

Summi sceleris hic est animadversio:

quod per illustrationem eventorum & adjunctorum conjurationis vehementer exaggeratur. *Et quia*] Complexionis loco (*Quare crudelitas hic non est*) hæc sententia ponitur.

[11] *Etenim quæro, si quis paterfamiliâs liberis suis*

L. supplicium de servo nô quàm acerbiss.

à [a] servo interfectis, uxore occisa, incẽsa domo, [a] supplicium de servis quàm [c] acerbissimum sumserit: utrúm is clemens ac misericors, an inhumanus & crudelissimus esse videatur? Mihi veró [c] importunus ac [c] ferreus, qui non [a] dolorem suum & [a] cruciatum dolore nocentis & cruciatu lenierit. Sic nos in his hominibus, [a] qui nos, qui conjuges, qui liberos nostros [c] trucidare voluerunt, qui singulas uniuscujusque nostrûm domos, & hoc universum [a] Reipublicæ domicilium [c] delere conati sunt, qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in [c] vestigiis hujus urbis, atque in cinere deflagrati [d] imperii collocaret, si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur: sin [c] remissiores esse voluerimus, summa nobis crudelitatis in [a] patriæ civiumq; pernicie fama [c] subeunda est. [b] Nisi veró cuipiam L. Cæsar vir fortissimus & amantissimus [a] Reipublicæ crudelior nudiustertius est visus, cúm sororis suæ fœminæ [c] lectissimæ virum præsentem & audientem vita privandum esse dixit, cúm avum jussu [d] Consulis interfectum, filiumq; ejus [a] impuberem, legatũ à patre missum, in carcere [a] necandum esse dixit.

L. necatum esse

[a] Quorum [a] quod simile fuit factum? quod initum [c] delendæ Reip. consilium? [d] Largitionis [a] voluntas tum in Republ. [c] versata est, & partium quædam [a] contentio.

Etenim] Disputatur idem insigni similitudine, ubi familia cum civitate comparatur. *Mihi vero*] Subjectio est ad interrogationem proximam. *Sic nos*] Apodosis similitudinis illustrata variis conjuratorum cõsiliis, ubi assumtio est connexi & conclusio:

> *Sed cives nostros conjurati tanquam servi interficere voluerunt;*

Crude-

Crudeles igitur in eis ulciscendis non erimus.
Nisi veró] Confirmatur eadem quæstio, quód hîc crudelitas nulla sit, L. Cęsaris authoritate & sententia, qui Lentulũ sororis suæ Juliæ maritum sententia sua damnaverat. Hæc veró mulier Antonio Critico, Antonii Oratoris filio priús nupserat, unde Antonius triumvir natus est, qui in Cicerone supplicium Lentuli vitrici postea ultus est. Vide Plutarchum in Antonio. *Cum avum*] Exempla similia fuerant, quibus Cæsar usus erat ad confirmandam sententiã. Narratio autem hîc parum perspicua. Historia de Fulvio, & ejus filio intelligenda est, de qua vide Plutarchum in Gracchis. *Necandum*] Vide num legendum sit, *Necatum*, ut congruat cum tempore superioris proximi verbi, *interfectum*: aut pro *Esse* legatur *Fuisse*. *Quorum*] Correctio proximorum exemplorum veluti dissimilium.

Atq; illo tempore hujus avus Lentuli, [c] clarissimus vir, armatus Gracchũ est persecutus, & [c] grave tum vulnus accepit, ne quid" de summa dignitate [a] Reipub. [c] minueretur. Hic ad [c] evertenda [c] fundamenta [a] Reipub. " [d] Gallos accersivit, [a] servitia concitavit, Catilinam evocavit, " attribuit nos trucidãdos Cethego, cæteros cives interficiendos Gabinio, [d] urbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiẽdamq; Catilinæ. [16] Vereamini, censeo, ne in hoc [a] scelere tam [c] [a] immani ac [c] [a] nefario nimis aliquid severé statuisse videamini: cúm multó magis sit verẽdum, ne [c] remissione pœnæ crudeles magis in [a] patriam, quám ne severitate animadversionis nimis vehemẽtes in [c] acerbissimos hostes fuisse " videamini. Sed quæ exaudio, Patres Cõscripti, dissimulare non possum. [c] Jactantur enim voces, quæ [c] perveniunt ad aures meas, eorum qui vereri videntur, ut habeam satis [c] præsidii ad ea quæ vos statueritis, hodierno die trãsigenda. Omnia provisa, parata, & cõstituta sunt, Patres Cõscripti,

L. de dignitate summa Reip.

quid. videamur. Sed ea quæ ex.

cùm mea ſumma cura atque diligentia, tum multò etiam majore populi Romani, ad ſummum imperium retinendum, & ad communes fortunas conſervandas voluntate. [9] *Omnes adſunt omnium ordinum homines, omnium deniq; ætatum:* [9] *plenum eſt* [d] *forum, pleni omnes aditus hujus loci ac templi. Cauſſa enim eſt poſt* [d] *urbem conditam hæc inventa ſola, in qua omnes* [c] *ſentirēt unum atq; idem, præter eos, qui cùm ſibi viderent eſſe* [9] *pereundum, cum omnibus potiùs, quàm ſoli perire voluerunt. Hoſce ego homines excipio & ſecerno libenter: neq; enim in improborum civium, ſed in* [c] *acerbiſſimorum hoſtium numero habendos puto. Cæteri verò,* [11] *dii immortales,* [9] *qua frequentia, quo ſtudio, qua virtute ad communem dignitatem ſalutemq;* [c] *conſentiunt?*

L.plenũ eſt forũ, plena tẽpla circũ forum,pleni omn.

ATQUE ILLO] Exaggeratur indignitas belli ex diſſimilitudine duorum Lentulorum, avi & nepotis. *Gallos*] ἀνταπόδοσις ex factis Lentuli. *Veremini*] Concluditur ſuperiore pagina inſtitutus ſyllogiſmus:

Quare nulla crudelitas.

Argumentum repetitur, & collatione majorum augetur. *Sed quæ*] Occupat metum quendam de reorum liberatione, quaſi Coſ. nõ poſſit tranſigere quæ Senatus decreverit. Refellit autem efficientium cauſſarum facultate. *Omnes adſunt*] Amplificatio per diviſionem partium ex adjunctis. *Cauſſa*] Confirmatur proximus locus ex adjuncto conſenſu. *Præter eos*] Digreſſiuncula excipiuntur conjurati ex eorum fine & conſiliis. *Neq;*] Alia exceptionis proximæ ratio ex diſſimilibus. *Cæteri*] Redit ad propoſitam tranſigendi facultatem, & multarum partium inductione confirmat.

[11] *Quid ego hìc Equites Romanos commemorẽ? qui vobis ita* [11] *ſumma ordinis conſiliiq; concedunt, ut vo-*

L.ſummam

ut vobiscum de amore [a] Reipubl.[c] certent: quos ex multorum annorum dissensione ad hujus [a] ordinis societatem concordiamque revocatos, [a] hodiernus dies" vobiscum atque hæc [a] caussa' conjungit: quam 'conjunctionem si in Consulatu confirmatam meo, perpetuam in [a] Republ.[c] tenuerimus, confirmo vobis,[10] nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam [a] Reipublicæ partem esse venturum. Pari studio defendendæ [a] Reipublicæ convenisse video Tribunos ærarios fortissimos viros: Scribas item universos: quos cúm casu hic [a] dies ad ærarium" frequentasset, video ab expectatione sortis ad communem salutem esse conversos. Omnis ingenuorum adest multitudo, etiam [c] tenuissimorum. Quis est enim cui non hæc templa, aspectus [d] urbis, possessio libertatis, lux deniq; hæc ipsa, & hoc commune [a] patriæ solum cúm sit charum, tum veró [c] dulce atque jucundum? Operæprecium est, Patres Conscripti, libertinorum hominum studia cognoscere," qui sua virtute [a] fortunam [d] civitatis [c] consecuti, hanc veré suam patriam esse judicãt: quam quidem hinc' nati, & summo nati loco, non patriam suam, sed urbem hostium esse judicaverunt.

al. nobiscũ,

al. frequenteis advocasset, vid.

L. qui sua virtute, ac fortuna hujus civitatis jus cons.

QUID EGO] Prima pars inductionis de Senatoribus & Equitibus. *Quam*] Exornatio primæ partis ex adjuncta pace quæ perpetua futura sit. *Pari*] Secunda pars inductionis de tribunis ærariis, quos vulgus Francicum receptores generales appellat, ut Budæo placet. *Scribas*] Tertia pars de scribis, quorum quãtus ordo fuerit, ex quinta Ciceronis actione abundé percipies. Hi omnes & Romæ, & in provinciis curam tabularum publicarum, & custodiam habebant, & pericula magistratuum eorum fidei committebantur, ut ibi ait Cicero, & sæpe Romani

Imperatores superatis hostibus, optimé Republ. gesta, scribas suos anulis aureis in concione donarunt. Ergo scribæ erãt magistratuum graphiarii, secretarii, notarii, quos modó dicimus, & provincias tum magistratibus sortiebantur. *Omnis ingenuorum*] Quarta pars de ingenuis, quorũ studium ex subjectis ostenditur. *Patria solum*] Sic idem Ovidius de Ponto:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Opera precium] Quinta pars de libertinis, quorum studiũ similiter ex adjunctis ostenditur. Libertinus veró & Ingenuus contraria sunt adversa, non autem correlativa, ut quidam appellant. *Quam quidem*] Illustratio ex dissimili studio conjuratorum.

[21] *Sed quid ego hujusce ordinis homines commemorem, [b] quos privatæ [a] fortunæ, quos communis [a] Respublica, quos deniq; [a] libertas ea quæ dulcissima est, ad salutem [a] patriæ defendendã [c] excitavit? [10] Servus est nemo, qui modó tolerabili conditione sit servitutis, [b] qui non audaciam civium perditorũ* L. qui nõ hęc stare cupiat, *[c] perhorrescat, qui non obstare cupiat, qui non tantum [b] quantum audet, & quantum potest, conferat ad communem salutis voluntatem. Quare si quem vestrûm forté commovet hoc, quod auditum est, lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas precio sperantem [c] solicitari posse [a] animos egentium atque imperitorum: est id quidem cœptũ atq; tentatum: sed nulli sunt inventi tam [b] aut [a] fortuna miseri, aut voluntate perditi, [b] qui non ipsum illum sellæ atque operis & quæstus quotidiani locum, qui non cubile ac lectulum suum, qui denique non [a] [c] cursum hunc [10] ociosum vitæ suæ salvum esse velit: multó veró maxima pars eorum, qui in tabernis sunt, imó veró (id enim potius est dicendum)*

genus

genus hoc universum amantissimum est ocii. Etenim [b] omne eorum instrumentum, omnis [a] opera ac quæstus, [a] frequentia civium [d] sustinetur, [c] alitur ocio. Quorum si quæstus occlusis tabernis [c] minui solet, quid tandem incensis futurum [d] est? Quæ cùm ita sint, Patres Conscripti, [b] vobis populi Romani præsidia non [b] desunt, vos ne populo Romano deesse videamini [c] providete. Habetis Consulem ex plurimis periculis & insidiis, atque ex media morte, non ad vitam suam, sed ad salutem vestram reservatum.

al. sustentatur,

L. fuit?

SED QUID] Epilogus superiorum partium tãquam minorum cum postrema sequente collatarum. *Dulcissimus*] Vide Agrariæ 2 initium: Quid tam populare, quàm libertas, quam non solùm ab hominibus, verùm etiam à bestiis expeti, & omnibus rebus anteponi videtis? *Servus est*] ἀνταπόδοσις majorum de servis: quæ pars est inductionis extrema. *Quare si quem*] Concluditur ex his tam multis transigendi facultatibus, dispersum illum rumorem metuendum non esse. *Sed mihi*] Subjicitur ex subjectis & adjunctis ratio, cur ea sollicitatio non processerit. *Sella*] Periphrasis est tabernæ. Taberna enim significat locum ubi operarii & opifices opera sua faciunt, & aliquando ubi eadem etiam vendunt. A sella veró sellularii dicuntur à Livio lib. 8. Opificum vulgus, ait, & sellularii minimé militiæ idoneum genus. Iidem dicuntur à Plauto Sedentarii: Calceolarii, inquit, sedentarii, sutores. *Multo*] Continuatur eadem ratio é conjugatis: Opifices amant ocium; ociosi itaque volunt esse. Ubi notabis correctionem partis ex genere. *Etenim*] Confirmatio ex adjunctis ocii, quód hinc victus paretur. *Quorum*] Probatur idem collatione majorum. *Quæ cùm*] Concludit propositam facultatem, & hinc parium argumento senatum adhortatur. *Habetis*] Additur ad eandem facultatem Consulis voluntas, & dissimilibus exornatur.

Omnes [a] ordines ad conservandam Rempubl. [a] mente, voluntate, studio, virtute, voce consentiunt. " Obsessa facibus & telis [a] impiæ [a] cōjurationis, [b] vobis supplex manus tendit [a] patria communis: vobis se, vobis vitam omnium civium, vobis [c] arcem & Capitolium, vobis aras penatium, vobis " illum ignē Vestæ perpetuum ac sempiternū, vobis omnia templa deorum atq; delubra, vobis muros atque [d] urbis [d] tecta commendat. Præterea [b] de vestra vita, de cōjugum vestrarum ac liberorum [a] anima, de [a] fortunis omnium, de sedibus, de focis vestris hodierno die " vobis judicandum est. [b] Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui: qua non semper facultas datur. habetis [b] omnes ordines, omnes homines, universum populum Romanum (id quod in civili caussa " hodierno die primúm videmus) unum atq; idem sentientem. Cogitate quantis laboribus [c] fundatū [d] imperium, [b] quanta virtute [c] stabilitam [a] libertatem, quāta Deorum benignitate auctas [c] exaggeratasq; [a] fortunas una [a] nox pené [c] deleverit. Id ne unquam posthac non modó confici, sed ne cogitari quidem possit, vobis hodierno die providendum est. Atque hæc, non ut vos, qui mihi studio pené [c] præcurritis, [c] excitarem, locutus sum: sed ut mea [a] vox, quæ debet esse in [a] Republica [c] princeps, officio functa consulari videretur.

L. ignē illum Vestæ sempiternū, vobis omnium deorū templa, atq.

al. nobis

L. hodie primúm vid.

Omnes ordines] Repetitur summa superioris inductionis. *Obsessa*] Obliqua est patriæ supplicantis prosopopœja ad senatum commovendum, quā conjurationē ex subjectis rebus exaggerat. *Præterea*] Repetitur idem ex persona Ciceronis. *Habetis*] Repetuntur iterum facultates trāsigendi, primúm de Consule, tum de omnibus ordinibus.

ordinibus. *Cogitate*] Adhortatio brevis est ex periculis adjunctis ad fortiter agendum. *Exaggeratas*] Metaphora ab aggeribus fossarum.

—Et fossas aggere complent,

ait Virgilius. Agger autem, quemvis cumulum & acervum significat. Hinc exaggerare, pro accumulare. *Id ne*] Complexio enthymematis aucta collatione minorum. *Atq; hæc*] Correctio per caussam adhortationis, cui dissimile præponitur.

Nunc antequam ad sententiam [c] *redeo, de me pauca dicam. Ego,* [10] *quanta* [a] *manus est conjuratorum, quam videtis esse permagnam, tantam me inimicorum multitudinem suscepisse video: sed eam esse judico* [a] *turpem &* [a] *infirmam,* [a] *contemtam &* [a][c] *abjectam. Quòd si aliquando alicujus* [a] *furore &* [a] *scelere concitata* [a] *manus ista plus valuerit, quàm vestra ac* [a] *Reipubl.* [a] *dignitas:* [10] *me tamen meorũ factorum atq; consiliorum nunquam, Patres Conscripti, pœnitebit. Etenim mors, quam illi mihi fortasse minitantur, omnibus est parata: vitæ tantam laudem, quanta vos me vestris decretis honestastis, nemo est* [c] *assecutus. Cæteris enim semper bene gestæ, mihi uni conservatæ* [a] *Reipubl. gratulationem decrevistis.* [17] *Sit Scipio* [c] *clarus ille, cujus* [a] *consilio atque* [a] *virtute Annibal in Africam redire, atq; ex Italia decedere coactus est:* [c] *ornetur alter* [c] *eximia laude Africanus, qui duas* [a] *urbes huic imperio* [a] *infestissimas, Carthaginem, Numantiamq;* [c] *delevit: habeatur vir* [c] *egregius L. Paulus ille, cujus* [a] *currũ Rex potentissimus quondã & nobilissimus Perses honestavit: sit in æterna gloria Marius, qui bis* [a] *Italiam obsidione & metu* [a] *servitutis liberavit: anteponatur omnibus Pompejus, cujus res ge-*

al. redeam,

stæ atque [a] virtutes iisdem, quibus Solis cursus, regionibus ac terminis continentur: erit profectò inter horum laudes aliquid [c] loci nostræ [a] gloriæ, [b] nisi forte majus est patefacere nobis provincias, quò exire possimus, quàm curare ut etiam illi qui absunt, habeant quò victores revertantur.

NUNC ANTEQUAM] Digreditur in constantiæ suæ confirmationem, & adjuncti periculi contemtione exequitur. *Quod si*] Secundus confirmationis gradus, etsi moriendum sit, conscientia tamen me consolabor. *Etenim* Cõfirmatur ἀνταπόδοσις: adjũcta laude, cui dissimile præponitur. *Cæteris*] Probatur authoritate Senatus nemini parem gloriam contigisse: idque exemplis quinque tanquam minoribus, in quibus singulis sua laus ex effectis exponitur. *Atq; ex Italia*] ὑστερολογία quædam est: prius enim decedere ex Italia fuit: deinde redire in Africam. De majore Africano vide Livium lib. 30. *Alter Africanus*] Hic Africanus est minor, quem Cicero fecerat in libris de Republ. loquentem, filius Pauli adoptatus à superioris Africani filio. Hujus vitam Plutarchus scripserat, & ipse locis aliquot citat. Plinius perstrinxit in Viris illustribus. De Carthagine & Numantia vide Flor. lib. 2, cap. 1 & 18. *L. Paulus*] Hujus vitam Plutarchus perscripsit, & hoc totum bellum. *Marius*] Marius Teutones & Ambrones vicit ad aquas Sextias in provincia, eorumque socios Cimbros in agro Claudio. Vide Plutarchum in Mario. *Solis cursu*] Similis hyperbole fuit in 3 Catilinaria: Duos cives extitisse, quorum alter fines vestri imperii, non terræ, sed cœli regionibus terminaret. *Erit profectò*] ἀνταπόδοσις majorum hic esse debuerat, sed modestiæ caussa extenuatur.

Quanquam est in uno loco conditio melior externæ [a] victoriæ, quàm domestica: quòd hostes alienigenæ aut oppressi serviunt, [b] aut recepti, beneficio se [c] obligatos putãt: qui autem ex numero [d] civium, dementia

quid. aut recepti in amicitiam,

dementia aliqua depravati, hostes [a] patriæ semel esse cœperunt, eos cúm á [c] pernicie Reipublicæ [c] repuleris, [a] neq; [a] vi [c] coercere, neq; beneficio placare possis. Quare mihi cum perditis civibus æternum bellum susceptum esse video: quod ego vestro bonorumq; omnium auxilio, memoriaq; tantorum periculorũ, quæ non modó in hoc populo, qui servatus est, sed etiam in omnium gentium [a] sermonibus ac [a] mentibus semper [c] hærebit, á [a] me atq; á meis facilé [c] propulsari posse confido. Neq; ulla profectó tanta [a] vis reperietur, quæ [a] conjunctionem vestram Equitumque Romanorum, & tantam [a] conspirationem bonorũ omnium [c] perfringere & [c] labefactare possit.

QUANQUAM] Amplificatur eadem laus Ciceronis dissimilitudine superiorum exemplorum, quod superiore oratione attigit eo loco, Non est eadem fortuna, atque cōditio. *Qui autem*[ἀνταπόδοσις dissimilitudinis. *Quare mihi*] Concludit é proxima collatione imminens sibi periculum, & ejus contemtionem tamen opponit. *Neque ulla*] Subjicit efficientes caussas confidentiæ suæ. *Perfringere*] Eadem metaphora in 1 Catilinaria fuit: Tu non solúm ad negligendas leges & quæstiones, verúm ad evertendas perfringendasque valuisti. *Labefactare*] Metaphora est: proprié enim dicitur labes, ruina violenta aquę, tempestatis, grandinis. Et labefacere, aut labefactare, idem quod perfringere: Omnes dentes labefecit mihi, ait Terētius in Adelphis.

Quæ cúm ita sint, Patres Conscripti, [a] pro imperio, pro [d] exercitu, pro [d] provincia, quam neglexi, pro triumpho, cæterisque laudis [c] insignibus, quæ sunt á me propter [d] urbis [a] vestræque salutis custodiam [c] repudiata, pro clientelis hospitiisq; provincialibus, quæ tamen urbanis opibus non minore labo-

re tueor, quàm comparo: pro his igitur omnibus rebus, & pro meis in vos singularibus studiis, proque hac, quam[u] conspicitis, ad conservandam [a] Rempubl. diligentia, nihil aliud á vobis, nisi hujus [a] temporis, totiusq; mei [a] consulatus memoriam postulo: quæ dum erit vestris mentibus [c] infixa, firmissimo me [c] muro [c] septum esse arbitrabor. Quód si meam spem [a] vis improborum fefellerit atq; superaverit, commendo vobis parvum meum filium: cui profectó satis erit [c] præsidii [u] non solúm ad salutem, verúm etiam ad dignitatem, si ejus, qui hæc omnia suo solus periculo conservaverit, illum esse filium memineritis. Quapropter [a] de summa salute vestra, populiq; Romani, Patres Conscripti, de vestris conjugibus ac liberis, de aris ac focis, de fanis ac templis, de totius urbis tectis ac sedibus, de [d] imperio, de [d] libertate, de salute [a] Italiæ, deq; universa [a] Republica decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter. Habetis enim consulem, qui [a] & parère vestris decretis non dubitet: & ea, quæ statueritis, quoad vivet, defendere, & per seipsum [c] præstare possit.

L. perspicitis,

QUAE CÚM ITA] Postulat á senatu pro neglectis Cõsulatus commodis, & pro studiis in Rempublicã suis memoriam Consulatus tanquam custodem & vindicem. Hic locus feré idem in superioris orationis extremo fuit: Quibus pro tantis rebus, Quirites, &c. *Quæ tamen*] De hac continentia vide Epistolas ad Atticum, lib. 5, & Plutarchum in Cicerone, Quanvis exiguas opes haberet, tamen á clientibus neque mercedem, neque donum ullum accepit. *Quód si meam*] Commendat postremó filiolũ, eique quasi testamento legat meritorum paternorum gratiam. Eundem commiserationis locum hujus initio attigit: Et parvulus filius, qui mihi videtur amplecti Rempubl. tanquam obsidem

obſidem Cōſulatus mei. *Illum eſſe filium*]Conſimili memoria motus Octavius tādem filium Ciceronis collegam ſibi in Conſulatu adjunxit, eique ad patris ultionem permiſit, ut Antonii ſtatuas dejiceret, ſanciretque, ne quis in poſterum ex Antoniorum familia Marcus appellaretur. *Quapropter*] Digreſſio adhuc fuit: accedit tandem ad ſententiam, quam prçcipuam nullam dicit, ſed adhortatur ſenatum ad fortiter ſtatuendum, Syllanum tacité comprobans. Amplificatio eſt ex partibus conjurationi ſubjectis. *Habetis*] Proponit ad extremum, ſtudium & fiduciam trāſigendi. *Præſtare*] Præſtare, legale verbum hîc eſt, pro exitum rei ac diſpendium in ſe recipere. Sic præſtare fidem, damnum, incommodum, culpam, dictum, factum dicimus.

ANALYSEOS RHETORICÆ & Logicæ in quartam Catilinariam ſumma.

EVENTUS orationis qui conſecutus ſit, é Salluſtii & Plutarchi hiſtoria cognoſcitur, ſed Salluſtius Catonem facit Cæſari contradicentem & S.C. præcipuū authorem: Ciceronis non meminit. Poſt longas igitur Cçſaris & Catonis orationes (quas illis compoſuit) tādem ait: *Poſtquam Senatus in Catonis ſententiam diſceſſit, Conſul optimum factu ratus, noctem, quæ inſtabat, antecapere, ne quid eo ſpacio noVaretur; TriumViros, quæ ad ſupplicium poſtulabat, parare jubet: Ipſe diſpoſitis præſidiis, Lentulum in carcerem deducit: cæteris idem fit per Prætores. Eſt in carcere locus, quod Tullianum appellatur: ubi paulolum aſcenderis, ad læVam, circiter duodecim pedes humi depreſſus: eum muniunt undiq; parietes, atque inſuper camera lapideis fornicibus Vincta, ſed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis ejus facies eſt. In eum locum poſtquam demiſſus eſt Lentulus, Vindices rerum capitalium, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille Patricius ex gente clariſſima Cor-*

meliorum, qui Consulare imperium Romæ habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitæ invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario eodem modo supplicium sumtum est. Hæc Sallustius. *Rebus ita peractis, rediens Consul cùm videret frequentes in foro conjuratos, qui quid actum esset ignari, noctem expectabant, tanquã viri illi adhuc viverent, eripique possent, alta versus eos & sublimi voce ait: Vixerunt. Sic veró Romani infaustum omen effugientes, interiisse significabant. Jam advesperascebat, cúm e foro domum Consul rediret. Cæterùm deinceps non silentio civium agi, non ordine comitantium ipsum, sed voce ac plausu excipientium senator patriæ & conditor appellatus. Tum funalia per urbis vicos lucere, lampades, faces pro foribus astantium constitui: mulieres e tectis & speculis prospectare, in laudem & admirationem viri, comitatu optimi cujusq; & pompa magnificè domum redeuntis. Horum plerisq; qui maxima bella gesserant, quique triumphaverãt, nec exiguum terræ marisq; imperium pepererant, comitabantur inter se confitentes, populum quidem Romanum multis principibus & imperatoribus pro divitiis, spoliis, facultatibus gratiam debere: at pro sua libertate ac salute soli Ciceroni debere, qui tanto taliq; periculo civitatem liberasset. Nec enim quæ tum agebantur, prohibuisse, & authores ipsos suppliciis affecisse mirabile videbatur, sed quód omnium, qui unquam extiterant, maximum hunc motũ, sine clade, sine seditione, sine tumultu extinxisset.* Hæc Plutarchus, qui addit præterea Catilinæ copias harum rerũ rumore labi cœpisse, & ab Antonio victas fuisse. Ergo illa est ἀπόδειξις ὅτι, quód in hac caussa bonus orator Cicero fuerit. Caussæ tamen eventus ejus multiplices & variæ fuerunt: quæ veró sunt in hac oratione, sicut adhuc in cæteris Consularibus factum est, si retexantur, rhetoricæ elocutionis hæ sunt: Metaphora minimúm centum locis reperietur, Metonymia sexaginta, Synecdoche feré quadraginta, Ironia quatuor. Atq; id adhuc in octo totis orationibus experti sumus, de tropis si frequentissimum usum spectes, primum locum esse Metaphoræ, Metonymiæ secundum, tertium Synecdoches, minimum Ironię senties. Gratiæ tamen non

men non par judicium & idem erit. Metaphora nõ solùm usu plurima, sed movendis animi cogitationibus & similitudine transferendis etiam gratissima: ex eodem comparationis fonte, dissimilitudine suæ mutationis & translationis, Ironia secunda est. Hic motus animi, quia similitudinem & dissimilitudinẽ in Metonymia & Synecdoche non habet, minor est: ideoque in his voluptas minor: est tamen etiam magna, sed in geminatis maximè, quod dico, perspicitur. *Circũspicite omnes procellas, quæ impẽdent, nisi provideris*, geminata metaphora allegoriam hanc efficit. *Animi cruciatus & corporis, etiam egestas & mendicitas cõsequatur*, Metonymia geminata est: & ex omnibus tropis isto modo frequentissimè geminatur. *Cui non forum, non campus, non curia, non domus, non lectus, non denique hæc sella curulis unquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit*, &c. Atque hæc ornamenta videmus in omnibus Consularibus quàm frequentia, quàmque perpetua ferè sint: multa notavi, longè tamen plura, si attenderis, deprehendes. At figuræ non tam frequentes sunt, quod antè jam potuit intelligi, & hîc potest: In verbis nusquam Epizeuxis, Epistrophe, Symploce, Epanalepsis, Anadiplosis, Climax. Anaphora autem viginti sex locis est: Epanodos uno, Polyptoton octodecim, Paronomasia sex: sed in his duabus figuris alicubi deprehendes alteram alterius loco notatam. Numerus, ut antea monui, in omnibus illis figuris sentitur, & ob numerum solùm placent: sed sine dictionis ejusdem repetitione aut commutatione multis locis numerus resonat. Epistrophe numeri est. *Feram non solùm fortiter, sed etiam libenter. Gallos accersivit, servitia concitavit, Catilinam evocavit.* Epanodos est numeri, *Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, nec immatura consulari, nec misera sapienti.* Symploce numero cõpleta est, *Multa tacui, multa pertuli, multa cõcessi.* sed Anaphora dictionis incurrit: At absq; hac numerus idẽ est, *Et de facto quidjudicetis, & de pœna quid cẽseatis.* Item, *Aut fortuna miseri, aut voluntate perditi.* Hanc igitur laudẽ præceptis brevem, usu tam longè ac latè patentem, imò tam vehementer auribus, suis illecebris adulantem, studiosus eloquentiæ discipulus observabit.

E figuris sententiarum nusquam est Deprecatio, Addubitatio, Permissio, Dialogismus, Apostrophe, Reticentia, Sustentatio, Licentia. Præteritio veró, & Digressio, & Exclamatio binis locis: reliquæ singulis. Ita lacertos elocutionis & nervos (qui revera sunt in his conformationibus) hęc oratio multos non habet: rerum inventarum ac dispositarũ, id est Logicæ, tota vis est. Itaque de Topicæ inventionis generibus finis, & efficiẽs ternis locis incurrunt: forma & materia nullo: facta multis: subjecta quatuor: adjũcta plurimis: adversum duobus: repugnãtia uno: paria septem. In formula veró *Tãtum, quantum*, tribus: *Non minus quàm* uno. Aliquando planiús ostenditur, ut, *Pars studio defendendæ Reip.* &c. Illud pauló secus, sed tamen ex hoc loco, *cujus res gestæ atq; virtutes iisdem, quibus Solis cursus, regionibus ac terminis continentur.* Majora tredecim: in formula autem *Non solúm, sed*, quinque: In formulà *Cum* & *Tum* duobus. Reliquas varietates observato. Minora duobus: Similia quatuor, sed duobus breviora, duobus splendidiora de inferorum, de servorum homicidarũ collatione. Dissimilia quindecim: in formula autem *Non hoc, sed illud*, octo. Observabis quod jam monui, *Quanquam* frequenter omitti: *Si manus ista plus valuerit*, &c. *me tamen*, &c. Notatio nullo, Conjugatio tribus, Partitio in omni genere aliqua est: *Video duas adhuc esse sententias*, &c. generis est in species. *Primùm mihi gratias egistis*, &c. ex effectis est. *Non forum, non domus*, &c. ex subjectis est. *Omnes adsunt, omnium ordinum homines*, &c. ex adjunctis est. Definitio in descriptione quadam tredecim, præter evidentiam illam rerum, quam etiam huc referri volo: qualis illa est, hostilis in vexatione captæ urbis, furoris illustratio: *Cum veró mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse se ex fatis sperare confessus est, purpuratum esse hunc Gabinium, cum exercitu venisse Catilinam; tum lamentationem matrumfamiliás, tum fugã virginum atq; puerorum, ac vexationem virginum Vestalium perhorresco.* Testimonium quinque locis est. Atque hi topicæ inventionis loci sunt. Analytica dispositio syllogismos plené conclusos quatuor habet: duos in primo modo primæ figuræ, unum in tertio ejusdem, quartum in primo

connexo.

connexo. Atque in tam multis octo Consularium orationum exemplis, & in hac inductione tam longa, syllogismi rarissimũ usum videmus: lege totas & integras artes, multó rariorem, imó fortassis omnino nullum reperies: nec enim quæstiones, quid est, quotuplex est, propter quid est (quæ feré solæ sunt in artibus) syllogisticæ sunt, judiciis naturalibus contentæ sunt: & quæ sunt in usu communi syllogisticæ, ut an est hoc, an huic illud inest, tamen una syllogismi parte posita, reliquæ penitus intelliguntur & æstimantur, ut vanum sit tribus partibus totum syllogismum concludi. Analyticæ methodi exempla longé clariora sunt: summum problema deliberationis universæ ponitur initio, de conjuratis fortiter esse statuendum: dividuntur adhuc dictæ sententię, eæque comparatæ disputantur, hæc ut clemens laudatur, illa defenditur á crudelitate: imó clementior efficitur, ejusque exequendæ summa facultas ostenditur, eoque senatus impellitur. atque ea deliberationis propositio, divisio, contentio, conclusio, artificiosæ methodi est: prudentiæ veró fuit, interponere refutationem crudelitatis, ejusque cupiditatem á se detestari: ut ad eam severitatem charitate patriæ, & malorum graviorum comparatione orator impelli videatur, ejusque rei caussa primo, summoque loco pericula Consulis ostenduntur: Cæsar, qui tamen refellitur, egregié laudatur: sed patria (á qua summos honores Consul acceperit) Consulis pericula sibi vendicat: ut omnino boni quicquid est in caussa, retineatur, á malo tamen recedatur. Quæ collocatio, prudentiæ & naturalis tantúm judicii est, artis nil habet. Quamobrem si tanti eventus caussam καὶ διότι requiras ex hac oratione, videbis rhetoricæ elocutionis tot ornamenta, logica tot instrumenta tam congruenter apposita, ut istas caussas consideranti mirabilis eventus videri non debeat, cúm ad id efficiendum tot & tantæ facultates sint adhibitæ. Quid si Consularem dignitatem, quid si divinam actionem (cujus in scriptis libris mortuus spiritus jacet) animo concipias, quid erit in eventu præterea quod admirere? cur non potiús intellectas linguæ ac mentis tãtas virtutes admirere? Aristotelicaque principia secutus, in aliis exemplis non solúm ora-

torum, ſed poëtarum, Philoſophorum, Jureconſultorum, omniumque hominum rhetoricam artem & logicam, an veré tradantur in ſcholis, experiare, expertasque meditere? atque artium tantarum cauſſis omni genere exercitationis æmulandis, earum tandem verum ſolidumque fructum conſequare?

FINIS PRÆLECTIONUM IN QUATUOR CATILINARIAS.

M. T.



M. T. CICERONIS PRO M. CLAVDIO MARCELLO ORATIO,

P. RAMI ET GUILIELMI RODINGI commentariis illustrata.

ARGVMENTVM.



UM M. Claudius Marcellus in bello civili partes Pompeji secutus esset, eoque victo Cæsarem veterem suum inimicum metueret (ante annos enim quinque in consulatu Cæsarem palám oppugnaverat) Mitylenas concessit, ibique in studio bonarum artium hoc tempore beatissimé, quantum modò natura hominis patitur, vivebat, ut ex Bruto refert Seneca in cõsolatione ad Albinam, tum M. Tullius ad eum dedit epist. 7. & 8, lib. 4 ad Fam. hortans illum, ut Cæsari se summitteret. Cùm autem in senatu á L. Pisone mentio esset facta de Marcello, & cùm C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abjecisset, cunctus senatus consurrexit, & ad Cæsarem supplex accessit. Tum Cæsar, accusata acerbitate Marcelli, repente præter spem dixit, se senatui roganti de Marcello ne †ominis quidem caussa negaturum. Itaque cùm omnes ante M. Tullium rogati gratias Cæsari præter L. Volcatium Tullum egissent, Cicero, qui statuerat in perpetuũ tacere, sententiã rogatus pluribus verbis egit Cæsari gratias. Vide epist. 4, lib. 4, ad Fam. Cicero quoq; Marcello persuasit, ut Romam redire vellet: epist. 9, 10 & 11 ejusdem libri. Sed Romã non rediit: Athenis enim in Piraeo á Magio Chilone occisus est. Valerius lib. 9, cap. 11.

†*al.* hominis

Habuit hanc Orationem Cicero anno ætatis suæ LXI. urbis verò DCCVII. C. Julio Cæsare, & M. AEmilio Lepido Consulibus.

DISPOSITIO ORATIONIS *pro M. Marcello.*

HAEC oratio cõstat partim laudatione, partim cohortatione. Laudationis syllogismus hic est, & totius orationis princeps:

Clementia est laudabilis:
Cæsar restituto Marcello clemens fuit:
Laudabilis igitur.

Assumtione hortatur Cæsarem ad gloriam comparãdam, quam nondum solidam adeptus erat: sed ad principẽ illum syllogismum exornãdum & confirmandum adduntur & alii prosyllogismi.

Exorditur igitur Orator ab adjuncto personæ suæ, præterito nempe silentio, & præsenti dictione, & sic ad laudationis assumtionem ingreditur.

Exordii syllogismus hic est,

1. *Si M. Marcello restituto & mea & totius ordinis senatorii authoritas restituitur, non possum non tantam clementiam prædicare:*
Sed prius est: Ergo posterius.

Post exordium transit ad Marcelli felicitatem, eamque ex adjuncta omnium lætitia sic concludit:

2. *Cujus salute lætantur omnes, is fortunatus est:*
Marcelli salute lætantur omnes:
Fortunatus igitur est.

Cõplexio præcedit, propositio sequitur, argumento paris illustrata, cujus notæ sunt, *Non minor quàm.*

3. Deinde Cæsaris laudes & clementiam amplificat ex caussa solitaria & adjuvante: ejusque res gestas tanquam minores sic cum clementia comparat:

Ex ea re, Cæsar, majorem laudem ac gloriam adipisceris cujus solus author es, quàm ex ea cujus habes socium:
Sed clementiæ tuæ solus author es:

Hæc igitur majorem tibi parit gloriã, quàm victoria, cujus habuisti socios.

4. Adjuncta restitutionis repetit, quód restituto Marcello tota Marcellorum familia, & senatus dignitas restituatur: & laudem Cæsaris immortalem fore sic ratiocinatur:

Si restituto Marcello totam Marcellorum familiam & senatus dignitatem restituisti, nulla ætas tuis laudibus finem afferet. Sed illud est: ergo & hoc.

5. *Victor victoriæ est invictus:*

Cæsar est victor victoriæ:

Cæsar igitur est invictus.

6. *Qui pacis authores conservat, ostendit sibi pacem placuisse:*

At Cæsar pacis authores conservat:

Cæsari igitur pax placuit.

Hinc sequitur pars orationis altera, de querela Cæsaris de insidiis:

7. *Si essent insidiæ, essent ab amicis vel inimicis:*

Sed neutrum est: Nullæ igitur sunt.

8. Respondet Cæsaris voci, quód sátis naturæ & gloriæ vixisset:

Qui patriæ non satis vixit, is nec gloriæ, nec naturæ satis vixit:

Cæsar patriæ non satis vixit:

Nec naturæ igitur, nec gloriæ satis vixit.

Pro conclusione hortatur Cæsarem ad vivendum gloriæ.

9. Peroratio tandem orationis est, in qua superior exordii syllogismus repetitur, & argumento majorum illustratur:

Si in solicitudine caussam Marcelli egi, quanto magis solicitudine liberatus idem illi officium præstare debeo:

Sed antecedens est: consequens igitur.

M. T. CICERONIS PRO M. MARCELLO Oratio.

DIuturni silentii, P.C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit: Idemque initium qua vellem, quaeque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac pené divinam, tacitus nullo modo praeterire possum. M. enim Marcello vobis, P.C. Reique publ. reddito, non solúm illius, sed meam etiam vocem, & authoritatem, & vobis, & Reipublicae conservatam ac restitutam puto. Dolebam enim, P.C. ac vehementer" angebar, cúm viderem virum talem, qui in eadem caussa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poterat, nec fas esse ducebam, versari me in" vestro veteri curriculo, illo aemulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum, quasi quodam socio á me, & comite distracto. Ergo & mihi meae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperuisti, & his omnibus ad bene" de omni Republ. sperandum quasi signum aliquod sustulisti. intellectum est enim mihi quidem in multis, & maximé in me ipso, sed pauló anté omnibus, cúm M. Marcellum senatui, populoque Romano

L. angebar, virum talē: qui

L. nostro

L. de Rep. sp.

Romano & Reipubl. concessisti, commemoratis præsertim offensionibus, te authoritatem hujus ordinis, dignitatemq; Reipubl. tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre.

DIUTURNI] Exorditur orator ab adjuncto personæ suæ, præterito nempe silentio, & præsenti dictione; & tria hæc verba (*hodie desii silere*) prima periodo exornat pluribus verbis, item loco seu argumēto dialectico á diversis illustrat, cújus notæ sunt, *non, sed.* *Attulit*] Metaphora est: afferre enim propriè dicitur de re animata. Vide Rhetoricam Talæi. Sed quia tropi frequentes sunt, deinceps tibi litera a Metonymiam denotabit, b Ironiam, c Metaphoram, d Synecdochen. *Sentirem*] judicarem. c. Sentire enim verbum generale est, & propriè de sensibus dicitur. *Tantum enim*] Assumtionis sententia quædā hîc est principis syllogismi, variis adjunctis exornata á persona Marcelli. Est item & Polyptoton in *tantam, tantum.* *Inauditam*] Participium hoc aliam habet significationem, quám verbum inaudire. Hoc enim affirmat, illud negat. *Incredibilem sapientiam*] Incredibiliter sapientē. Metonymia hîc est adjunctorū pro subjecto. Per māsuetudinem enim, per clementiam, per summū modum, & sapientiam, intelligit Cæsarem mansuetum, clementem, cōtinentem & sapientem. *Pene divinā*] Brevis hîc similitudo intelligitur. *Tacitus*] Præsentis tēporis vox est, nō præteriti. Usus igitur linguæ Latinæ spectandus est, & inania ociosorū Grāmaticorū præceptá negligenda. *M. enim Marcello*] Adjunctū primū superioris assumtionis, q Tullius unà cum Marcello restituatur: quod argumēto majoris illustratur: non solúm Marcellus restituitur, verúm etiam mea vox & authoritas. Sed has notas semel indicasse satis fuerit lectori: usu enim autorū celebres atq; frequētes sunt, & oratorib. in deliciis, quemadmodum *cum tum*, & aliæ. *Vocem*] id est, facultatem dicendi. d. quia generalius ponitur pro speciali. *Dolebam*] Illustratio adjuncti primi ex dissentaneis vel diversis: Quanquam Marcellus in eadem caussa mecum fuit, nō tamen est in eadē fortuna: item á contradicentibus, Restitutus quidē eram, sed non restitutus mihi videbar, quoniam

Marcellus abesset. *Viderem*] intelligerem. c. *Virum*] Pro Marcellum. d. *In eadem caussa*] A partibus Pompeji. *Fortuna*] statu. Metonymia caussæ efficientis Deę Fortunæ (ut Poëtæ finxerunt) pro effecto. *Ducebam*] existimabam. *Curriculo*] c. in antiquo senatu & curia. Curriculum enim erat locus ubi currendo certabant. Horatius, *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum collegisse juvat.* *Æmulo*] c. Proprié amatores æmulantur suos in amore socios. *Imitatore*] c. Verbum pictorum est. *Studiorum ac laborum*] a. caussæ pro effectu: id est, eloquētiæ meæ: sic enim loquitur, ut suas laudes extenuet. *Socio*] sine tropo socium appellat, quem antea æmulum appellavit. *Comite*] c. Nam comes proprié viæ est. *Ergo &*] Complexio primi adjuncti. *Interclusam aperuisti*] Allegoria metaphoræ à rebus clausis. *Quasi signum*] tanquam militiæ. c. *Aperuisti, sustulisti*] Epistrophe: attende item numerum oratorium, in *aperuisti, sustulisti*, ∪∪∪–, -∪–, variatum, & sic deinceps in aliis clausulis sententiarum. *Intellectum*] Confirmatur judicium Cæsaris de senatu, quia suas offensiones senatui condonaverat. *Pauló ante omnibus*] Sic esse legendum monet P. Victorius lib. Var. lectionum cap. 18. Hic enim est ordo: intellectum est mihi quidem, sed pauló anté omnibus. Alii legunt *in omnibus*. *Concessisti*] dedisti. c. est enim localis motus: sic pro Ligario: Ut concessisti illum Senatui, sic hunc da populo. *Offensionibus*] c. Offendunt proprié qui incurrunt. *Ordinis*] a. quarti modi, adjuncti pro subj. senatus. *Doloribus, vel susp.*] a. pro dolenti & suspicanti tibi.

Ille quidem fructum omnis anteactæ vitæ hodierno die maximum cepit, cúm summo consensu Senatus," *tum præterea judicio tuo gravissimo & maximo: ex quo profectó intelligis, quanta in dató beneficio sit laus, cúm in accepto tanta sit gloria. Est* "*veró ille fortunatus, cujus ex salute non minor pené ad omnes, quám ad illum ventura sit, lætitia pervenerit. quod ei quidem meritó atque optimo jure conti-*

L. tū judicio tuo grav.

al. veré

contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis praestantior?

ILLE QUIDEM] Sententia complexionis est ad sequẽtem propositionem. *Fructum*] c. fructus enim proprié dicitur de arboribus. *Anteacta*] a. *Hodierno die*] pleonasmus pro hodie. *Cúm summo*] Illustrat argumento minorum, cujus notę sunt *cum tum*. *Consensi*] a. quarti modi. *Gravissimo*] accuratissimo: pondera proprié dicuntur gravia. *Dato beneficio*] Illustratio ex relatis dati & accepti. *Est veró*] Propositio prosyllogismi ex adjuncta Marcelli felicitate. *Fortunatus*] Fortunam poëtæ finxerunt: cujus inane nomen est in Christianitate. *Quod ei*] quę lætitia. *Quis enim*] Assumtionis sententia adjunctis Marcelli laudibus illustrata. *Studio*] Nomen hoc á Cicerone generaliter usurpatum est: hinc studium honoris, pecuniæ. Tempore autem Quintiliani factum est scholasticum. *Genere*] In Logica hoc generale est, hic speciale. Non dicimus *specie laudis*. *Praestantior*] c. Proprié præstare est ante aliquem stare. Sine tropo dixisset, quis est nobilior.

Nullius est tantum flumen ingenii, "nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaq; copia, quæ nõ dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit: tamẽ hoc affirmo, & hoc pace dicam tua; nullam in his esse laudem ampliorem, quàm eam quam hodierno die consecutus es. Soleo sæpe ante oculos ponere, idq; libenter crebris usurpare sermonibus; omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumq; populorum, omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate con- "*quid.* nulli

ficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. Nec verò disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quàm tuis non dicam cursibus, sed victoriis illustrata sunt. Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim. Sed tamen sunt alia majora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propria sint Imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum juvant. Maximam verò partem quasi suo jure Fortuna sibi vindicat: &, quicquid prosperè gestum est, id penè omne ducit suum. At verò hujus gloriæ, C. Cæsar, quam es paulò antè adeptus, socium habes neminem. totum hoc quantumcunque est, quod certè maximum est, totum inquam est tuum. nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. quin etiam illa ipsa rerum humanarũ domina, Fortuna, in istius societatem gloriæ se non offert, tibi cedit, tuam esse totam & propriam fatetur. nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: sed tamen ea vicisti, quæ & naturam & conditionem, ut vinci possent, habebant. nulla est enim tanta vis, tãta copia, quæ ferro, aut viribus debilitari frangiq; non possit. Verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobili-

L. lustratæ

al. cũ multis,

L. tanta vis quæ nõ ferro, & vir.

bilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. Itaque, C. Cæsar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solùm nostris, sed penè omnium gentium literis, atq; linguis: neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, & tubarum sono. At verò cùm aliquid clementer, mansuetè, justè, moderatè, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in victoria, quæ natura insolens & superba est, aut audimus, aut legimus: eo studio incendimur, non modò in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos sæpè, quos nunquam vidimus, diligamus. Te verò, quem præsentem intuemur: cujus mentem, sensusque & os cernimus: ut quicquid belli fortuna reliquum Reipublicæ fecerit, id esse salvum velis: quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur?

NULLIUS EST TANTUM] Assumtionis principis exornatio, ex persona Cæsaris, cujus res gestæ tãquam minores cũ clementia comparãtur. *Flumen ingenii*] a. quarti modi, pro eloquentia. *Nullius, nulla*] Polyptoton. *Dicendi*] d. orandi. *Non dicam*] b. *Exornare*] Ornare propriè est pulchrum facere, & mundus universus ab ornatu dictus. *Enarrare*] Epanodos. *Res gestas*] c. propriè bella gerimus. Gerere bellum cum Stoicis, 2 de finibus. *Tamen*] Clementia major est rebus tuis gestis. *Pace*]

a. quarti modi: pax aliquandò pro venia. *Ampliorem*] c. *Consecutum*] c. propriè enim est aliquem sequendo attingere: Sic 2 Catil. Aurelia via profectus est: si accelerare volent, ad vesperum consequentur. *Soleo*] Amplificantur res gestæ Cæsaris, collatione rerum ab imperatoribus Romanis, exteris gẽtibus, & regibus gestarum, tanquam minorum. *Ante oculos ponere*] Id est, diligenter & accuratè considerare: non est tropus. *Crebrius usurpare*] frequenter narrare. *Omnes*] Anaphora. *Imperatorũ*] αὐτοκρατόρων. ἔστι δὲ τιμὴ τοῖς στρατηγοῖς τόδε τὸ προσαγόρευμα παρὰ τῶν στρατῶν, καθάπερ αὐτοῖς ἐπιμαρτυρούντων ἀξίως σφῶν αὐτοκράτορας εἶναι· καὶ τήνδε τὴν τιμὴν οἱ στρατηγοὶ πάλαι μὲν περὶ πᾶσι τοῖς μεγίστοις ἔργοις προσίεντο, νῦν δ' ὅρον εἶναι τῇδε τῇ εὐφημίᾳ πυνθάνομαι, τὸ μυρίους πεσεῖν. Id est, Imperatoris nomine decorantur duces exercitus conclamatione, qua illos dignos imperio quasi testificantur: atq; hanc quidem appellationẽ duces olim magnis rebus gestis cupiebant: jam verò huic nomini præfinitum esse audio, ut decem millia hostium sint cæsa. Tacitus libro quarto: Tiberius id quoque Blæso tribuit, ut Imperator à legionibus salutaretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta Repub. gaudio & impetu victoris exercitus conclamabatur. Livius lib. 27. Tum Scipio, silentio per præconem facto, sibi maximum nomen imperatoris esse dixit, quo se milites sui appellassent. Qui imperatores appellati erant, illis insignia laureæ in fascibus præferebant, ut ait Cæsar lib. 3 de bello civili, id est, δάφνην τινὰ ταῖς ῥάβδοις περιῆπτον, ut loquitur Dio lib. 41. Hanc lauream detractam fascibus ad portam Esquilinam Pisonem abjecisse, Cicero in Pisonem ait. Cicero verò laureatos fasces retinuit, lictoresque laureatos nominat, epist. 9, lib. 7 ad Att. Vide Hotomannũ in procemio Institut. *Exterarum gentium*] Extra Italiã nati omnes exteri dicebantur. *Contentionum*] c. ab athletis, qui contendere dicuntur. *Numero præliorum*] Quinquagies enim collatis signis dimicavit. Vide Plin. lib. 7. *Possc conferri*] Minora sunt collata cum Cæsaris laudibus. *Nec, nec*] Anaphora. *Disjunctissimas*] maximè distantes. Altera προτάσεως exornatio præcipuè ab adjuncta celeritate, item à minoribus. *Nõ dicam*] b. *Victoris*]

a. te

a.te victore.quarti modi. *Illustrata*]c.patefactæ,apertę. Sol illustrat. *Quæquidem*]Colligitur summa κατ' ανάστασιν, item per collationem minorum. *Mens,amens*]Paronomasia. *Sed tamen*] Antapodosis majorum, quód res gestæ sint minores clementia, quia communes sint multorum. *Majora*] rebus tuis gestis. *Bellicas laudes*] res gestas. *Extenuare*]verbis minores facere. *Detrahere*]c. *Ducibus*]Antea dixit *Imperatoribus*. *Militibus*] Miles generalis vox est, & dicitur eques, pedes, &c. *Et certe*] Communio demonstratur ex caussis adjuvantibus & inductione partium. *Armis*]a.pro bello. *Virtus*]d. id est fortitudo. Genus pro specie est. Quemadmodũ etiã contrá sæpius ponitur fortitudo generis loco, pro virtute, quia reliquas virtutes antecellat. *Opportunitas*] Portus locus nautis commodus: hinc opportunitas locorum, id est,commoditas. *Auxilia*] c. Auxiliares copiæ. *Classis*] multitudo navium. *Commeatus*] c. proprié avium est. *Ducit*] judicat. *Gestum, suum*]Epanodos. *At veró*] Pars est antapodoseos contrariæ propositionis:Clementia est tibi propria:quod dissentaneis declaratur. *Adeptus*] consecutus. Apiscor vetustum verbum est,adipiscor melius. *Totum hoc*] tota laus tua. *Quod certe*] quæ laus.Epanodos & Anaphora hic concurrunt. *Præfectus*] tribunus,legatus. *Nihil,nihil*]Anaphora. *Cohors*]peditum. *Turma*]equitum. *Decerpit*]c. proprié de fructibus arborum. *Fortuna*] Veteres fortunam pro Dea coluerunt.Hinc Juvenal.

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna Deam cæloq; locamus.

Vide Plinium lib. 2, cap. 7. *Cedit*] c. proprié loco cedimus. *Nunquam*] Illustratio ex adversis. Stultitia potiús opponitur sapientiæ. *Temeritas*] Audacia est cúm sequimur falsa pro veris. *Consilium*]Vocabulum Logicũ est. *Casus*]eventus fortuitus. *Admittitur*]c. Equi proprié admitti dicuntur. *Domitis gentes*]c. proprié equi domantur. Iteratur commutatis verbis protasis rerũ bellicarum,ubi subjectis adjuncta festivé conjunguntur. *Immanitate*] feritate. *Barbaras*] Barbarus hoc loco non

ita ut Grammaticis usurpatur, qui vocant Barbaros lingua aliqua perversè utentes. Hic quasi comparat gentes illas cum feris, quæ loqui non possunt. *Innumerabiles*] d. *Infinitas*] vox Geometrica. *Abundantes*] c. Aqua abundat cùm extra ripas currit: derivatur ab unda. *Vis*] robur. *Tanta vis, tanta*] Epizeuxis. *Ferro*] a. pro armis. *Debilitari frangi*] c. franguntur ligna. Sunt verba idem significantia: Cicero geminata vocat. *Verum animum*] Propositio principis syllogismi: Clementia est laudabilis. Sed descriptio clementiæ ex ejus effectis pro nomine clementiæ adhibetur. *Animum vincere*] a. quarti modi, pro animato, seu pro ira quæ est in animo. *Iracundiam*] Iracundia aliud est quàm ira, & habitum significat. *Cohibere*] c. propriè equi cohibentur. *Nobilitate*] generis. *Ingenio*] a. primi modi, pro eloquentia. *Non modò*] Argumentum est à majori. *Jacentem*] c. jacere dicuntur quæ humi prostrata sunt. *Jacentem* scilicet Marcellum. *Extollere jacentem*] Magis hæc hyperbata notanda, quàm imitanda: quare Quintilianus in Ciceronem animadvertit. *Non comparo*] Nota dissimilitudinis. *Comparo, judico*] Epistrophe. *Itaque C. Cæsar*] Revocatur contentio bellicarum laudum, & amplificatur adjuncta commemoratione posteritatis. *Celebrabuntur*] frequentibus sermonibus usurpabuntur. *Non solùm*] Nota argumenti majoris, in qua Ciceronianæ eloquentiæ deliciæ sunt. *Literis*] a. primi modi. *Linguis*] a. primi modi. Lingua pro sermone ipso ponitur. *Ætas*] a. quarti modi, pro hominibus. Nunquam ulla secula de tuis laudibus tacebunt. *Sed tamen*] Repetitur extenuatio rerum gestarum commutatis verbis. *Obstrepi*] c. perturbari. propriè obstrepere est tumultum facere & excitare. *At verò*] Repetitur mutatis verbis sententia propositionis ex effectis item clementiæ. *Clementer, mansuete*] a. quarti modi. *Inimica consilio*] a. secundi modi, quæ facit inimicos consilio. *Insolens*] a. quæ facit victores insolentes & superbos. Insoleo verò inusitatum verbum est. *Incendimur*] c. inflammamur. *Non modò*] A majori: Quid mirum nos rebus gestis incendi, cùm rebus fictis incendamur?

Fictis]

Fictis] c. fabulosis. Pictores propriè dicuntur fingere. *Diligamus* dichoræus-v-v. *Te vero*] Generalis complexionis sententia: quòd Cæsar sit laudabilis. *Intuemur*] studiosè & accuratè consideramus. *Os*] d. faciem. *Fortuna belli*] a. quarti modi. *Respubl*] d. Romanæ *Reliquum*] Quicunque bello non sunt occisi. *Quibus, quibus*] Anaphora. *Quibus, qua*] Polyptoton.

Parietes medius fidius, C. Cæsar, ut mihi videtur, hujus curiæ tibi gratias agere gestiunt, quòd brevi tempore futura sit illa authoritas in his majorum suorum, & suis sedibus. Equidem cùm C. Marcelli viri optimi, & commemorabili pietate atq; virtute præditi lacrymas modò vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit, quibus tu etiā mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam jam ad paucos redactam, penè ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus jure antepones. Hæc enim res unius est propria Cæsaris, cætera duce te gesta, magna illa quidem, sed tamen multo magnoq; comitatu. Hujus autem rei tu idem es & dux & comes: quæ quidem tanta est, ut trophæis, monumentisq; tuis nulla unquā allatura sit finem ætas. Nihil enim est opera aut manu factū quod aliquando nō conficiat & consumat vetustas: At verò hæc tua justitia & lenitas animi florescet quotidie magis, ita, ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum adferet laudibus. Et cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jā antè pietate & misericordia viceras, hodierno verò die teipsum vicisti.

L. monumētisque tuis non nulla allatura sit fin.

L. te ipse vic.

PARIETES]Hyperbole.a.tertii modi, &c. *Medius fidius*]parenthesis. Compositum videtur(ait Festus)& significare Jovis filium,id est Herculem: quód Jovem Græcé *Δία*, & nos Jovem;ac fidium,id est pro filio:quód sępe antea pro litera L,D utebantur.Quidam existimant jusjurandum esse,per divi fidem.quidam per diurni temporis,id est diei,fidem.Alii,Medius fidius, h. e. per Deum Fidium. Nam Fidius Deus est qui fidei pręest.Plaut.in Asin.per Dium Fidiũ quęris jurato mihi. *Hujus curiæ*]in qua hic senatus habetur. *Ut mihi videtur*]Mitigat hypetbolicã audaciã. *In his sedibus*]curiæ. *Majorum suorũ*] Senatorum. *Et suis*] domesticis. *C. Marcelli*] Sic legendum est, non *M. Marcelli*: fratris scilicet pietas, fratris adjũctum est in subjectum fratrem. *Quibus*] Marcellis.Tertium adjunctum é Marcelli persona, quód Marcelli omnes restituantur. *Lacrymas*] a. quarti modi. in deprecatione pro Marcello fratre. *Memoria*] recordatio: modó activé,modó passivé sumitur. *Pectus*]a.tertii modi,pro ipso animo. *Reddidisti*]dichoreus,-v-v. *Familiam*] Marcellorum. *Paucos*]Marcellos. *Pene ab*]Brevis similitudo. *Hunc tu igitur*] Complexio repetitur & exornatur repetita communione. *Diem*] restituti Marcelli. *Gratulationibus*] Gratulari est de alicujus prosperitate lætari: & gratulatio modó activé,modó passivé sumitur. *Illa*]Hic non est relativum, sed ornat. *Comitatu*] a. quarti modi. *Quæ quidem*] Clementiæ laus: & altera assumtionis exornatio á persona Cæsaris, quód gloria clementiæ sit diuturnior quibusvis monumentis. *Nihil enim*] Ratio ex genere: Omnia opere manuque facta consumuntur. *Vetustas*] homines qui fuerunt in vetustate. *Justitia & lenitas*] Periphrasis clementiæ. *Florescet*] celebrabitur. *Ita ut quantum*]Complexio comparationis,quantum minuentur trophæa, tantum gloria clementiæ augebitur. *Et ceteros quidem*] Tertium adjũctum é persona Cęsaris,quód sit clementior victoribus bellorum civilium, quódque seipsum,denique victoriam ipsam vicerat. *Victores*]Mariũ & Syllam. *Teipsum vicisti*] Phrasis est Ciceroni familiaris, nunquam fuisti clementior. *Viceras, vicisti*] Polyptoton.

Vereor ut hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atq; ego ipse cogitans sentio: ipsam victoriã vicisse videris, cùm ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cùm ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus. Rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est. non *Lamb. delet.*

VEREOR UT HOC] Locus attẽtionis ex adjuncta explicãdæ rei difficultate. Vereor est verbum negationis cujusdam. *Ut*] ne non. *Perinde*] Sic. aliquando caussalis est conjunctio. Hîc alia exemplaria habent *non perinde*, alia *non proinde*. Sed sive legas *perinde*, sive *proinde*, nihil interest: & particulam *non* tollendam esse rectè Lambinus monet, quia *Vereor ut*, idem valet quod *Vereor ne nõ*. *Auditu*] dum audietur. Ista supina sunt usu cognoscenda. *Victoriam*] Dea fuit apud Romanos, ut Fortuna. *Victoriam, vicisse, victis*] Polyptoton. *Remisisti*] condonasti. *Victis*] Tullio & Marcello. *Jure*] meritó & secundum legem. *Omnes victi*] Pompejani, qui Pompejum erant secuti. *Rectè igitur*] Prosyllogismi conclusio.

Atq; hoc C. Cæsaris judicium, P. C. quàm latè pateat, attendite. Omnes enim qui ad illa arma fato sumus nescio quo Reipubl. misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa teneremur erroris humani, à scelere certè liberati sumus. Nam cùm M. Marcellum, deprecantibus vobis, Reipubl. conservavit, memet mihi, & item Reipubl. nullo deprecante: reliquos amplissimos viros & sibi ipsis & patriæ reddidit: quorum & frequentiam & dignitatem hoc ipso in consessu videtis. Non ille hostes induxit in curiam, sed judicavit à plerisque ignoratione potiùs & falso atque inani metu, quàm L. ipsos,

cupiditate aut crudelitate civile bellum esse susceptum. quo quidem in bello" semper de pace agendum audiendumque esse putavi, semperque dolui non modò pacem, sed etiam orationem civium pacem efflagitantium repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla unquam secutus sum arma civilia: semperque mea consilia, pacis & togæ socia, non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum secutus privato officio, non publico, tantumq; apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modò cupiditate, sed ne spe quidem prudens & sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meũ consilium minimè obscurum fuit. Nam & hoc in ordine integra re multa de pace dixi, & in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tã injustus rerum" existimator, qui dubitet, quæ Cæsaris de bello voluntas fuerit, cùm pacis auctores conservandos statim censuerit, cæteris fuerit iratior. Atque id minùs mirum videretur fortasse tum, cùm esset incertus exitus & anceps fortuna belli. Qui verò victor pacis auctores diligit, is profectò declarat, se maluisse non dimicare, quàm vincere. Atq; hujus quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum & quanto cum dolore vidi, cùm insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatem extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Cæsar, nobis, quia illa vidimus, debet esse. Non enim jam caussæ sunt inter se, sed victoriæ comparandæ. Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in ur-

L. de pace semper audiendum putavi,

al. æstimator,

in urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos vis Martis perculit, non ira victoria: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret: quando ex eadem acie conservat quos potest. Alterius vero partis, nihil amplius dicã quám id quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modó armatis, sed interdum etiam ociosis minabantur. Nec quid quisq; sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur Dii immortales, etiamsi pœnas" á populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum, & tam luctuosum excitaverũt, vel placati jam, vel" etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad clementiam victoris & sapientiam contulisse. Quare gaude isto tuo tam excellenti bono, & fruere cúm fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus jucunditasque sapienti. Cætera cúm tua recordabere, etsi persæpe virtuti, tamen plerunq; fœlicitati tuæ gratulabere. De vobis quos in Republ. tecum simul" salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quæ nõ modó summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & consilii dignitas, ut hæc á virtute donata, cætera á fortuna cõmodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim aut pravitate aliqua lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certé non improba, & specie quadam Republ. Non enim culpa ulla

a lá Rep.

etiam *Lãb. non legit.*

salvos *Lãb. non habet.*

cupiditate aut crudelitate civile bellum esse susceptum. quo quidem in bello″ semper de pace agedum audiendumque esse putavi, semperque dolui non modó pacem, sed etiam orationem civium pacem efflagitantium repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla unquam secutus sum arma civilia: semperque mea consilia, pacis & togæ socia, non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum secutus privato officio, non publico, tantumq; apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modó cupiditate, sed ne spe quidem prudens & sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meũ consilium minimé obscurum fuit. Nam & hoc in ordine integra re multa de pace dixi, & in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tã injustus rerum″ existimator, qui dubitet, quæ Cæsaris de bello voluntas fuerit, cùm pacis auctores conservandos statim censuerit, cæteris fuerit iratior. Atque id minùs mirum videretur fortasse tum, cùm esset incertus exitus & anceps fortuna belli. Qui veró victor pacis auctores diligit, is profectó declarat, se maluisse non dimicare, quàm vincere. Atq; hujus quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum & quanto cum dolore vidi, cùm insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatem extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Cæsar, nobis, quia illa vidimus, debet esse. Non enim jam caussæ sunt inter se, sed victoriæ comparandæ. Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in ur-

L. de pace semper audiendum putavi,

al. æstimator,

in urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos vis Martis perculit, non ira victoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret: quando ex eadem acie conservat quos potest. Alterius verò partis, nihil amplius dicā quàm id quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modò armatis, sed interdum etiam ociosis minabantur. Nec quid quisq; sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur Dii immortales, etiamsi pœnas" á populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum, & tam luctuosum excitaverũt, vel placati jam, vel" etiam satiati aliquando omnem spem salutis ad clementiam victoris & sapientiam contulisse. Quare gaude isto tuo tam excellenti bono, & fruere cùm fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus jucunditasque sapienti. Cætera cùm tua recordabere, etsi persæpe virtuti, tamen plerunq; fœlicitati tuæ gratulabere. De vobis quos in Republ. tecum simul" salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quæ nõ modò summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & consilii dignitas, ut hæc á virtute donata, cætera á fortuna cõmodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim aut pravitate aliqua lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certè non improba, & specie quadam Respubl. Non enim culpa ulla

al. á Rep.

etiam *Lāb.* non legit.

salvos *Lāb.* non habet.

tua est, si te aliqui timuerunt, contráque summa laus, quód plerique minimé timendum fuisse senserunt.

Atq; hoc] Altera assumtionis proximæ exornatio, quód præsenti facto Pompejani liberati scelere sint. *Latepateat*] ad quam multos attineat. *Omnes*] Pompejani. *Respubl.*] a. quarti modi. *Nam cum*] Iteratur secundum adjunctum, quód Marcello restituto senatores restituantur. *Deprecantibus*] Deprecationis verbum est Rhetorum, cúm factum non jure defendimus, sed sontes misericordiam efflagitamus. *Amplissimos*] nobilissimos. *Frequentiam*] celebritatem. *Non ille hostes*] Excusatur modo quodam factum Cæsaris ex caussis belli civilis. *Ille*] Cæsar. *Incuriam*] in senatum. *Plerisque*] Pompejanis. *Falso*] qui fallit. Metonymia 2 modi. *Quo quidem*] Excusatio continuatur instituta cum laude clementiæ. *Pacem, orationem*] Epanodos. *Repudiari*] c. proprié in matrimonio. *Arma civilia*] a. bellum civile: hîc verba propria cum modificatis conjunguntur, *pacis & togæ*. *Hominem*] d. generis pro specie, Pompejũ scilicet. *Prudens sciens*] Nomina pro adverbus posita. *Tanquam*] Brevis est illa similitudo. *Quod quidem*] Cõtinuatur excusatio Ciceronis ab effectis. *Obscurum*] a. primi modi. nomen est opticum, ponitur præcipué opticis pro umbra. *Ordine*] Senatorio. *In ipso bello*] in rostris Pharsalicis. *Capitis mei*] d. *Ex quo*] Sentẽtia propositionis juncta complexioni: Qui pacis authores conservat, bellum noluit. *Existimator*] Judex. Alii legunt *æstimator*: sed *æstimator* verbum precii, *existimator* verbũ judicii est. *Ceteris*] qui bellum cupiebant. *Iratior*] Comparativus pro Superlativo. *Atq; id*] Exornatio é dissentaneis, ubi propositionis sententia repetitur. *Anceps*] dubia. proprié gladius anceps dicitur. *Fortuna belli*] a. primi modi. *Dimicare*] s. prælio decernere. *Atq; hujus*] Infertur excusatio Marcelli, tanquam sit restitutus, quia pacem suaserit. *Hujus rei*] d. studii pacis. *Nostri sensus*] a. nostra consilia. *Insolentiam*] arrogantiam. *Certorum*] Pompejanorum. *Victoria*] Si pervenisset ad Pom-

Pompejanos. *Ferocitatem*] c. proprié est in feris.& duplex metonymia,pro ferocem victoriam,& quæ reddit victores feroces. *Quó gratior*] Concluditur laus clementiæ, & amplificatur dissimilitudine victoriæ Pompejanorum,quæ crudelis fuisset. *Caussæ*]belli. *Victoria*]Quæ sunt effecta. *Terminatam*]finitam. *Gladium*]a. pro milite. *Urbe*]urbs pro Roma,d. *Vidimus,Vidimus*]Epanalepsis. *Amisimus*] in præliis civilibus. *Martu*] belli.a. primi modi. *Ira victoriæ*] pro Irata victoria & irato victore. Duplex tropus.a. *Ut dubitare*] Illustratio ex effectis confictis. *Si fieri posset*] Vocibus *possibile* & *impossibile* non utitur Cicero, sed *fieri potest*,*fieri non potest*,item *fas est* & *nefas est*. *Acie*] bello.a. *Alterius vero partis*] Antapodosis dissimilis victoriæ, quæ fuisset in Pompejanis. *Omnes*] qui eramus in illis castris. *Verebamur*] pudore quodam timebamus. *Iracundam*] insolentem, si Pompejani vicissent. *Quidam*] Pompejani. *Armatis*] qui erant in castris. *Otiosis*] neutram partem sequentibus. *Sensisset*] de belli caussis. *Ut mihi quidem*] Sententia complexionis principalis & proximæ collationis, Quare Dii victoriam Cæsari tribuerunt, quia clemens esset. *Placatis*] tanquam sacrificio aliquo. *Clementissimum*] clementem victorem. *Contulisse*] -v-v. *Felicitatis*] Fortunæ. Plutarchus scribit vocabulum Felix simplex esse,sed meliús,ut demonstratur ex Cicerone, per œ scribitur, ut deducatur á fœnore.i.abundantia,quasi abundans fœnore,id est, fœlicitate. *Quoties cogitabis*]Epistrophe. *Quæ non modó*] Paradoxon primum hîc disputatur. *Tantus, Tanta*]Polyptoton. *Splendor*] c. proprié appellatur in luce. *Laude*] vera.Iteratur breviter illa communio bellicarum laudum. *Noli igitur*] Complexio quinto loco iteratur. *Lapsis*] qui erraverint. *Opinione*]a.quarti modi. *Specie*]apparentia. *Senserunt, Timuerunt*] Epistrophe. *Contráque*] Barbarum est *e contra*.

PARS ORATIONIS altera.

L.Nūc venio ad grav. *al.* Nunc veró ven.

"*Nunc jam venio ad gravissimā querelam, & atrocissimam suspicionē tuam, quæ non tibi ipsi magis, quàm cùm omnib. civibus, tū maximé nobis, qui à te conservati sumus, providenda est. Quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, nostra cautio est: ut si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quàm parū prudens. Sed quisnam est iste tā demens? de tuis ne? tametsi qui magis sunt tui, quàm quibus tu salutem insperantibus reddidisti? an ex eo numero qui unà tecum fuerunt? non est credibilis tantus in ullo furor, ut quo duce omnia summa sit adeptus, hujus vitam" non anteponat suæ. At si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici. Qui? omnes enim qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt, ut aut nulli supersint de inimicis, aut qui superfuerunt, amicissimi sint. Sed tamen, cùm in animis hominum tantæ latebræ sint, & tanti recessus, augeamus sané suspicionem tuam: simul enim augebimus " diligentiam. Nā quis est omnium tam ignarus rerū, tam rudis in Republica, tam nihil unquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat tua salute contineri suam? & " ex unius tui vitam pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, & incertos eventus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimesco, doleoque cùm Respub.*

non *in quibusdam de est.*

al. & dilig.

L. ex unius tua, vitam pend. *Ver. c.* ex unius tua vita, pendere omnia?

pub. immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. Si veró ad humanos casus incertosque eventus valetudinis, sceleris etiam accedat insidiarumque consensio, quem Deum, etiamsi cupiat, opitulari posse Reipub. credamus? Omnia sunt excitanda tibi, C. Cæsar, uni, quæ jacere sentis belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa atque prostrata, constituenda iudicia, revocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda soboles, omnia quæ dilapsa jam diffluxerunt, severis legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore & armorum, quin quassata Respub. quicunq; belli eventus fuisset, multa perderet & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ: multaq; uterq; dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset. Quæ quidem tibi nunc omnia belli vulnera curanda sunt, quibus præter te mederi nemo potest.

L. Quæ tibi quidem nũc om. bel. vulnera sananda sunt.

Nunc jam venio] Pars orationis altera de querela Cæsaris, quæ primó ex adjunctis amplificatur. *Atrocissimam*] sævissimam. *Cúm tum*] Symbola hæc sæpé habuimus. *Cautio*] Cavere verbum est Jureconsultorum, qui suis consultoribus formam litigandi aut paciscendi præscribunt, ne suam caussam deteriorem faciant. Cautio igitur provisio est *Malim quám*] Notæ argumenti majoris. *Sed quisnam est*] Differitur per remotionẽ partium adjunctarum. Si essent insidiæ, essent ab amicis vel inimicis. Sed neutrum est: Ergo, &c. De amicis primúm agitur ex adjuncto furore. *Tam demens*] qui tibi sc. insidiaretur. *Tametsi*] Correctio. *Quo duce*] authore. *At si*] Refutatio secundæ partis de inimicis, item ex adjunctis, quód interempti sint. vel conservati. *Tui*] Cæsariani. *Sceleris*] contra te. *Amiserunt, retinuerunt*] Epistrophe. *Sed tamen cum*] Affirmatio insidiarum ex eadem com-

muni illa cautione. *Tanta, tanti*] Polyptoton. *Latebræ*] c.proprié ferarum. Occultæ sunt insidiæ, occulta sunt consilia hominum. *Recessus*] Quando cœpimus ex aliquo genere tropi, in eodem desinendū est, ut monet Quintilianus. *Augeamus*] Concessio. *Tam, Tam, Tam*] Anaphora. *Ignarus*] Ab in & narus, altero n mutato in g, ut non dicimus connatus, sed cognatus. *Rudis*] c.á corpore impolito. *Communis*] omnium. *Qui non intelligat*] Ordo grammaticus est, qui non intelligat suam salutem contineri tua. *Pendere*] sustentari. *Ejusdem dies*] Amplificat querimonia insidiarum per collationem majorum. Nam naturalis mors Cæsaris esset omnibus acerba, quantó acerbior violenta. *Dies noctesq;*] Valde, vehementer. Oratio debet crescere. Somnia Rhetorum sunt qui dicendum esse docent *dies noctesq;* potiús quám *noctes & dies*. *Humanos*] homini accidere solitos. *Valetudo*] verbum ambiguum est. *In anima*] d. *Mortalis, Immortalis*] Ex privantibus illustratio est, & sunt rara illa exempla. *Si veró ad*] Antapodosis. contraria redditio minorum. *Eventus*] ad morbum aliquem. *Consensio*] scelerata conjuratio. *Credamus*] Potentialis est modus, possimus credere. *Etiamsi cupias*] Ficta minora. Sic Virgilius:

Magnanime AEnea non si mihi Jupiter author, &c.

Omnia sunt] Proponit remedia insidiarum, eaque politica in Reipub. statu legitimo restituendo. *Excitanda*] stabilienda. *Jacere, excitare*] Opposita. *Prostrata*] afflicta. Allegoria seu continuatio ejusdem tropi. c. *Fides*] dictorum, pactorum, conventorum. *Libidines*] frenandæ cupiditates. *Propaganda*] c. proprié in vitibus, quia illæ longé panduntur. *Soboles*] á sobolesco dicitur. Verbum videtur esse Poëticum, sed tamen á Cicerone subinde usurpatur. *Non fuit recusandum*] Revocatur excusatio Cæsaris, ne restitutionem Reipubl. nimiúm accusare videatur. *Ardore animorum*] a. quarti modi. *Quassata*] afflicta. *Ornamenta dignitatis*] in bonis civilibus. *Præsidia stabilitatis suæ*] firmitatis. *Armatus*] In bello.a. *Togatus*] a. in pace. *Quæ quidem*] Concludit propositam Reipublicæ restitutionem. *Vulnera*] detri-

detrimenta,incommoda. *Curanda*]c. propric verbum medicum.

Itaq; illam tuam præclarissimam & sapientissimam vocem invitus audivi, satis te diu vel naturæ vixisse, vel gloriæ. Satis, si ita vis, naturæ fortasse: addo etiam, si placet, gloriæ: at quod maximum est, patriæ certè parum. Quare omitte quæso istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse: sæpè enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebrò dicere, satis te tibi vixisse. Credo, sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si tibi etiā soli natus esses. Nunc cùm omnium salutem civium, cunctamq; Remp. res tuæ gestæ complexæ sint, tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta quæ cogitas, nondum jeceris. Hic tu modum vitæ tuæ non salute Reipub. sed æquitate animi definies? Quid? si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est, cujus te esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. Parúmne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? immò verò alijs, quamvis multis satis, tibi uni parum. Quicquid enim est, quamvis amplum sit, id certè parū est tum, cùm est aliquid amplius. Quòd si rerum tuarum immortalium, C. Cæsar, hic exitus futurus fuit, ut devictis adversarijs Remp. in eo statu relinqueres, in quo nunc est, vide quæso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quàm gloriæ. Siquidem gloria est illustris, ac pervagata multorum & magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Hæc igitur tibi reliqua pars est, hic re-

stat actus, in hoc elaborandum est, ut Rempubl. constituas: eaq; tu in primis" cum summa tranquillitate & ocio perfruare. Tum te si voles, cùm & patriæ quod debes, solveris, & naturam ipsam expleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid enim est omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? quod cùm venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla "futura sit. Quanquam iste tuus animus nunquam his angustiis quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semperq; immortalitatis amore flagravit. Nec verò hæc tua vita" dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur: illa inquam, illa vita est tua, Cæsar, quæ vigebit memoria seculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Huic tu inservias, huic te ostentes oportet: quæ quidē quæ miretur, jam pridē multa habet; nunc etiā quæ laudet, expectat. Obstupescent posteri certè, imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias," monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos. Sed nisi hæc urbs stabilita tuis cōsiliis & institutis erit, vagabitur modò nomē tuū longè atq; latè, sedem quidem stabilē, & domicilium certum nō habebit. Erit inter eos etiam qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, cùm alii laudibus ad cælum res tuas gestas efferent: alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli civilis incendium salute patriæ restinxeris, ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis pòst seculis de te judicabunt: & quidem haud scio, an incorruptiùs

Vulg. composita, summa tranq.

L. est futura?

al. ducenda

L. monumēta innumera, tr.

ptiùs

ptiùs quàm nos. Nam & sine amore & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine invidia judicabunt. Id autem etiamsi tunc ad te, ut quidam falsò putant, non" pertinebit: nunc certè pertinet, te esse talem, ut tuas laudes nulla unquam oblivio sit obscuratura. Diversæ voluntates civium fuerunt, distractæq; sententiæ: non enim consiliis solùm & studiis, sed armis etiam & castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quædam: erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset: multi, quid sibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta Respub. est hoc misero fataliq; bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret: neque omnes quibus iratus esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos judicaret. Arma ab aliis posita, ab aliis erepta sunt. Ingratus est, injustusque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum:" ut jam ille sit melior, qui in acie cecidit, quàm qui in caussa animam profudit. Quæ enim pertinacia est quibusdã, eadẽ aliis constantia videri potest: sed quia jam omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate victoris: restat ut omnes unum velint, qui habent aliquid non solùm sapientiæ, sed etiam sanitatis: quia nisi te, C. Cæsar, salvo, & in ista sententia, qua cùm antea, tum hodie vel maximè usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salva esse volumus, & hortamur, & obsecramus, ut vitæ, ut saluti tuæ cõsulas: omnesq; tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipso sentio, quoniã subesse aliquid putas, quod cavendum sit,

al. permanabit.

L. Erat obsc. qu. *al.* erat enim obsc.

L. ut etiam ille mel. sit.

non modò excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositu, & corporum pollicemur.

ITAQVE ILLAM] Respondet Cæsaris voci, quód satis naturæ & gloriæ vixisset. Sed totũ refellitur partis unius negatione. *Invitus*] Nomen pro adverbio *invitè*. *Vocē*] d. *Praclarissimam*] a. *Satis*] Concessio. *Parum*] Vixisti. *Quare omitte*] Conclusio exornata authoritate Philosophorum, qui de contemnenda morte scripserant. *Prudentiam*] philosophiam. *Sapiens*] Philosophus philosophatur, sed cum utilitate Reip. *Sape enim*] Iteratur idem argumentum, quód non satis patriæ vixerit: unde transitus fit ad quæstionem de gloria. *Credo*] te dicere. *Audirem*] concederem, probarem. *Tibi soli*] propter te solum. *Nunc cum*] Assumtionis sententia, quód Cæsar de patria non multùm meritus sit. *Remp.*] a. 4 modi. *Fundamenta*] c. ab ædificiis. *Hic tu modum*] Sententia complexionis iteratur, & apertiús disseritur de gloria. *Definies*] metiens. *Parúmne igitur*] Præoccupatio, cui respondetur distinctione, quód aljis satis, non satis Cæsari. *Amplum* magnificum, gloriosum. *Quod si rerum*] Assumtio eadem iteratur, quód non multùm de patria meritus sit. *Statu*] c conditione. *Vide quæso*] Complexionis sententia obscuriús comprehensa. *Plus sit*] Majora. *Siquidem gloria*] Propositio syllogismi é definitione gloriæ. *Pervagata*] celebrata. *Hæc igitur*] Cohortatio est ad gloriam complexionis loco. *Reliqua pars*] De gloria & meritis erga patriam. *Hæc, hic*] Polyptoton. *Actus*] c. á comœdiis vel tragœdiis. *Eaq;*] Respub. sic legit Lambinus, & vocem *composita* post *in primis*, quæ est in vulgatis libris, dicit se in manu scriptis non reperisse: idcirco delevisse. Contrá præpositionem *cum*, quæ non erat in vulgatis, repertam in manu scriptis restituit. Sed hoc varietatis in his reperit, quód alii habent, *eaq; tu in primis cum summa tranquillitate & ocio perfruare*: alii, *eaq; tu in primis cum summo ocio perfruare*.

Debes] tanquam æs alienum. c. *Naturam*] cursum naturæ compleveris. c. *Quid enim est*] Assumtionis iteratio

ratio tertia ex voce *diu*, quód finita vita, qualis est hæc humana, non sit diuturna. *Diu*] Qua voce tu es usus. *Quanquam*] Correctio, quód vita Cæsaris non sit caduca, sed immortalis. *Contentus*] comprehensus: hæc vox nunquam nisi cum ablativo usurpanda. *His angustiis*] c. hac brevitate vitæ. *Flagravit*] incensus fuit. c. *Nec veró*] Iteratur idem commutatis verbis. *Continetur*] Dichoræus est: cibo, potione, & spiritu retinetur vita animalis, ut ait Cicero. *Spiritus*] Verbum est non modificatum, sed proprium. *Vigebit*] confirmabitur. c. Vigere proprié dicuntur quæ viriditatem quandam habent. *Seculorum*] a. hominum quovis sæculo viventium. *Posteritas*] a. 4 modi. *Alet*] c. *Semper intuebitur*] Quæ florebit in sempiternum. *Huic tu inservias* Complexionis iteratio 3, quód Cæsar sit magis admirabilis quám gloriosus. *Huic, huic*] Anaphora. *Ostentes*] magnificé, gloriosé. *Quæ quidem*] æternitas. *Obstupescent*] attoniti mirabuntur. Illustratio complexionis ex dissentaneis seu diversis variarum partium admirabilium. *Rhenum*] Germaniam. *Oceanum*] Britanniam. *Nilum*] pro Ægypto. In his duplex tropus est: a. 4 modi & d. *Munera*] In milites, in populum. *Sed nisi hæc urbs*] Redditio dissentaneorum de gloria ex ipsius loco. *Institutis*] legibus. *Erit inter*] Amplificatio altera ex adjunctis sermonibus admirantium & vituperantium. *Qui nascentur*] Periphrasis posterorum. *Efferent*] c. magnificé commendabunt. *Illud* incendium. *Hoc*] quod tu restinxeris. *Servi igitur*] Complexionis iteratio quarta amplificatur adjuncta veritate futuri judicii. *Incorruptiús*] Veriús, justiús. *Nos*] præsentes. *Nam & sine* Confirmatur posteritas per remotionem dissentanearum affectionum. *Judicabunt*] Epistrophe. *Id autem*] Prolepsis est adversus Epicuream opinionem de mortalitate animorum. *Quidam*] Epicurei. *Pertinebit*] te mortuo. Lambinus ait libros scriptos habere partim *permanabit*, partim *permanebit*: posterius rejicit: *permanabit* non damnat, sed vulgatam lectionem magis probat. *Tunc*] cúm mortuus fueris. *Nunc*] quando vivis. *Certé*] saltem. *Obscuratura*] c. deletura. *Diversæ voluntates*]

Revertitur ad excusationem belli civilis ex obscuritate rerum, eamque declarat inductione variarum caussarum. *Dissidere*] c. quasi in diversis partibus sedere. *Clariss.*] c. hic etiam optica est. *Expediret*] c. á feris quæ laqueo sunt irretitæ. *Perfuncta respub.*] Complexio inductionis, ad cujus illustrationem repetitur laus clementiæ. *Inflammaret*] c. augeret. *Leniret*] c. restingueret. *Ab aliis posita*] Discessum est á bellis. *Aliis*] Romanis. *Ingratus est*] Accusatur breviter conjuratio ut ingrata & injusta. Argumentum est á conjugatis, & syllogismi propositio sine assumtione. *Armatum*] c. *Ut jam ille*] Exornatio á minoribus, quód occisi in acie fuerint tolerabiliores. *Profudit animam*] a. primi modi, quód anima sit effectrix vitæ. Petrus Victorius lib. variarum lectionum 17, cap. 21, censet addendam esse negationẽ, & legendum *non profudit*: quasi hoc sentiat M. Tullius, eum magis esse ferendum, qui in ea caussa quam semel probarit, usque ad extremum spiritũ perseveraverit, & in acie ceciderit; quám qui mortem in acie non oppetiverit: quia hæc constantia videri potest. Hanc P. Victorii correctionẽ Lambinus repudiat. Non enim (ait) M. Tullius comparat civem in sententia & caussa perseverantem, cum eo qui non perseverarit: sed contrá duos perseverãtes & obfirmatos inter se contendit; alterum qui in acie cecidit, caussamque usq; ad extremum vitæ diem defendit; alterum qui armis jam alteri caussæ extortis, belloque alterius partis victoria confecto, & dijudicato, perseveret tamẽ in caussa devicta, animumque retineat armatum: atque hunc esse longé illo deteriorem. ratio est. Nam ille videri potest constans: hic est injustus & ingratus. *Sed quia jam omnis*] Complexionis loco exoptatio ad concordem pro Cæsare propugnationem. *Fracta*] dissipata, dissoluta. a. *Quare omnes*] Iteratur idẽ, & promissione propugnationis confirmatur. *Consulas*] provideas. *Sentio* c. á corpore ad animum, id est iudico. *Subesse*] c. *Excubias*] pro excubitoribus. a. 4 modi. Excubiæ sunt nocturnæ sive diurnæ. Excubare est extra cubare. Vigiliæ tantúm nocturnæ sunt. *Pollicemur*] dichoræus, - u - u. spondemus.

Sed ut unde est orsa, in e odẽ terminetur oratio mea:

mea: maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæsar, majores etiã habemus. Nam omnes idem sentiunt, quod ex omniũ precib. & lacrymis sentire potuisti. Sed quia non est adstantibus omnibus necesse dicere, à me certè dici volunt, cui necesse est quodammodo, & quod volunt, & q M. Marcello à te huic ordini populoq; Romano & Reipub. reddito, præcipuè id à me fieri debere intelligo. Nam lætari omnes, non ut de unius solùm, sed ut de communi omniũ salute sentio: quod autẽ summæ benevolentiæ est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello optimo, & amantissimo fratri, præter eum quidem cederem nemini, cùm id solicitudine, cura, labore, tã diu præstiterim, quàm diu est de illius salute dubitatum: certè hoc tempore, magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, præstare debeo. Itaq; C. Cæsar, sic tibi gratias ago, ut me omnibus rebus à te non conservato solùm, sed etiam ornato, tamẽ ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri jam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

SED UT UNDE] Peroratio cũ actione gratiarũ, primùm publico nomine senatus, cujus studium è præsenti facto ostenditur. *Terminetur*] c. definiatur. Termin⁹ celebrabatur à Romanis pro deo: dicitur in agris lapis, qui distinguit meũ à tuo. *Agimus*] verbis. *Habemus*] animis. *Sentiũt*] Judicãt omnes qui adsunt. *Omniũ*] Senatorũ. *Sed quia non est*] Caussa quamobrem Tullius pro senatu dicat, repetitur ex officio in senatũ & Marcellum. *Adstantibus*] senatoribus. *Dicere*] Verbum Rhetoricum est. *Et quod volunt*] Lambinus ait libros veteres habere *& quod fieri decet, & quod*, &c. pauló pòst autẽ non habere hæc verba, *præcipuè id à me deberi*: sed hoc tantùm, *& reipubl. reddito, fieri intelligo.* vulgatam tamen lectionem

probat. Pauló póst, ait idem Lambinus, veteres libros non habere neque *solum*, neque *omnium*, sed ita in eis legi, *non de unius sed de communi salute*. sed *solum* delendum censet: *omnium* retinendum. *Intelligo*] Dactylus -vv. *Nam lætari*] Repetitur adjuncta illa communis lætitia. *Non solum, sed etiam*: Nono loco jam habuimus hanc comparationem. *Quod autem summæ*] Secunda gratiarum actio privato Ciceronis nomine ex adjuncta Marcelli amicitia, & ex eo restituto lætitia. *Quæ mea*] qualis declaratur collatione duplici majorum ex officiis. *Cedere*] c. proprié advenienti locum dare, cedere scilicet benevolentia. *Præstiterim*] exhibuerim. *Itaq;*] Concluditur gratiarum actio, & collatione item amplificatur. *Rebus omnibus*] bonis. *Ornato*] amplificato, aucto. *Innumerabilia*] d. *Cumulus*] c. proprié lapidum & rerum corporearum.

FINIS PRÆLECTIONUM IN ORAT.
PRO M. MARCELLO.

M. T.



M. T. CICERONIS EPISTOLA NONA AD P. LENTVLVM, DIALECTICIS RERVM SVMMIS A P. RAmo breviter illustrata.

PERJUCUNDÆ *mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam benevolentiam? cúm illud ipsum gravissimum & sanctissimum nomen pietatis, levius mihi meritis erga me tuis esse videatur. Quód autem grata tibi mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundãtia quadam amoris, ut etiam grata sint ea, quæ prætermitti sine nefario scelere non possint. Tibi autem multó notior atque illustrior meus in te animus esset, si hoc tempore omni, quo sejuncti fuimus, & unà, & Romæ fuissemus. Nam in eo ipso, quod te ostendis esse facturum, quodq; & in primis potes, & ego á te vehementer expecto: in sententiis senatoris, & in omni actione atque administratione Reipublicæ floruissemus.* L. quo disjuncti fuim.

DIALECTICA SUMMA HUJUS EPISTOLAE.

HÆC epistola continet excusationem inconstantiæ, cujus nomine Cicero á Lentulo & plerisque aliis

notatus est propter reditum in gratiam cum Cæsare, Appio, Vatinio, Crasso. Hujus quæstionis argumenta summa sunt ex caussis & adjunctis. Reconciliationis caussæ sunt, finalis quidem ex pace, tum publica, ne discordia principum Resp. turbaretur; tũ privata, ut Cicero adversus Clodiũ tutior & pacatior esset: & efficiens, tum Pompejus, qui Ciceronem reduxit in gratiam cum Cæsare; tum Pompejus & Cæsar, qui cum Vatinio & Crasso recõciliarunt. Adjuncta etiam personarum valde adhibentur, amicitia & dignitas Pompeji & Cæsaris: sed ad hæc argumenta illustranda, nullum feré de reliquis argumentis omittitur. Facta, comparationes omnium generum frequenter assumuntur; item partes aliquãdo, & finitiones, & testimonia. Ita, quod ad inventionem attinet, satis superque rerũ magna copia est. Syllogismi & judicii par esse commendatio non potest. Nam cúm multa obscuré & captiosé conclusa, tum digressiones á proposito leviculæ, & repetitiones non admodum necessariæ, & rerum suarum laudationes immodicæ, judicium Ciceronis, vel malum potiús quendam genium demonstrant, quo clarissimæ alioqui tanti viri virtutes nonnihil obscurantur. Methodi laus est hic integrior. Nam & initio proposita rerum summa est: deinde facta partitio, tum partium ordine secuta expositio, & tandem per epilogum repetitis summis capitibus conclusa peroratio. Sed hæc suis locis singula clariús intelligentur. Videtur autem hæc epistola ad Platonis imitationem, sicut alia pleraq; Ciceronis, conscripta. Ut enim Plato septima epistola (quæ apud illum est longissima) levitatem sibi objectam præcipué purgare voluit, quód ad Siculos tyrannos tam sæpé venisset: sic in hac epistola Cicero, quód ad hos veluti tyrannos se adjunxisset: & quædam testimonia hic citantur á Cicerone ex illa Platonis epistola.

PERJUCUNDAE] Principió insinuatione quadam Cicero utitur ad molliendum Lentuli animum, si quid inde infensus esset. Insinuationis argumentum est ex adjunctis personæ, quæ majoribus sic augentur: Gratissimus sum tibi absenti, gratior tamen fuissem præsenti. *Quid enim dicam*] Prolepsis ad confirmationem verbi, ubi pietatis significatio notatur. Pietas enim est amor erga propinquos,

quos,patriam,Deos,& Deorum erga homines. *Pietatis*]In oratione post reditum Lentulum appellat parentem & Deum salutis & vitæ suæ. *Quód autem*] Prolepsis est alia per subjectionem caussæ: Gratissimus tibi videor, sed tuo amore,non meo merito. *Abundantia*] Metaphora á fluminibus, ubi abundare pro redundare proprié dicitur. Sic Virgilius quarto Georgico:

Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit.—

Tibi autē]Redditio majorū ex effectis cōfirmata. *Illustrior*]Obscurū & illustre ꝓprié cōtraria sunt.Sic Cicero in Lucullo: Sed negas te usque ad obscura progredi, illustribus igitur rebus insistis. *Floruissemus*] Metaphora ab arboribus. Cicero secunda Philippica: Nihil enim semper floret,ætas succedit ætati. ubi tirones florem Italiæ vocat.

De qua ostendam equidem pauló póst qui sit meus sensus, & status, & rescribam tibi ad ea quæ quæris. Sed certé & ego te authore amicissimo ac sapientissimo, & tu me consiliario fortasse non imperitissimo,fideli quidem & benevolo certé usus esses,quanquam tua quidem caussa te esse imperatorem,provinciamque benegestis rebus cum exercitu victore obtinere,ut debeo,lætor.Sed certé qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores & præstantiores præsens capere potuisses. In eis veró ulciscendis,quos tibi partim inimicos esse intelligis propter tuam propugnationem salutis meæ,partim invidere propter illius actionis amplitudinem & gloriam,mirificum me tibi comitem præbuissem.

DE QUA OSTENDAM]Hic locus quæstionem habet universæ epistolæ,sed obscuriús expressam. *Sed certé*] Altera redditionis confirmatio ex adjunctis personarum. *Quanquam tua*] Correctio ad laudem Lentuli ex ejus gestis rebus. *Imperatorem*] Hic erat titulus honoris,qui post victoriam á militibus exercitus duci tribuebatur.

Sic Plutarchus post victum in Africa Domitium, Pompejum, imperatorem dicit appellatum. Sic Cicero de se ad Cælium: Ita victoria justa imperator appellatus apud Issum: quo in loco, ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro esse superatum. *Sed certe*] Iteratio redditionis, & confirmatio tertia ex effectis. *Fructum*] Metaphora est á fundo, cujus proventus fructus appellantur. á fruor autem deducitur, & aliquando participium est, ut in Hortensio Ciceronis: Amœnitate summa fructus est. *Ulciscendis*] Ulcisci, modó pœnas ab aliquo sumere propter injuriam acceptam, modó ab injuria vindicare. Itaq; & amicos & inimicos ulcisci dicimur.

Quanquam ille perennis inimicus amicorum suorum, qui tuis maximis beneficiis ornatus, in te potissimúm fractam illam & debilitatã vim suam contulit, nostram vicem ultus est ipse sese: ea est enim conatus, quibus patefactis, nullam sibi in posterum, non modó dignitatis, sed ne libertatis quidem partem reliquit. Te autem etsi mallem in meis rebus expertum, quám etiam in tuis, tamen in molestia gaudeo eandem fidem cognoscere hominum, non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. De qua ratione tota jam videtur mihi exponendi tempus dari, ut tibi rescribam ad ea quæ quæris. Certiorem te per literas scribis esse factum, me cum Cæsare & cum Appio esse in gratia: teque id non reprehendere adscribis. Vatinium autem, scire te velle ostendis, quibus rebus adductus defenderim, & laudarim. Quod tibi ut planius exponam, altiús pauló rationem meorum consiliorum repetam necesse est.

Quanquam ille] Correctio ex effectis cõfirmata, ubi Clodius significatur: nec videntur tamen furta muliebria

bria intelligi, de quibus postea: sed vis post reditũ Ciceronis: de qua quarto ad Atticum. *In posterum*] Sic apud Livium, *in præsens* & *in futurum*, dicitur, 10 belli Punici: Omnia exposuit ordine patribus, ingenti omnium & in præsens lætitia, & in futurum spe. & á Quintil. *in præteritum*. Cicero pro *in præsens*, dicit *in præsentia*. Sic ad Cælium: Hæc ad te in præsentia scripsi. & septima actione: In præsentia quoniam ita necesse est, sed póst aliquid videbimus. *Tamen*] Consolatio brevis interjecta ex collatione majorum: Expertus es perfidiam hominum, sed minore malo quám ego. *Mercede*] Metaphora ab operariis, qui mercede locant operam. *De qua*] Insinuatio adhuc fuit: deinde quæstio revocatur & dividitur: sed personarum, de quibus loquitur, una omissa est: nihil enim de Crasso ponitur. Est veró animadvertendum quomodo levitas Ciceronis excusetur: probari enim absoluté non potest. Primum autem, quód Cæsari reconciliatus sit, declaratur adjunctis personæ, quód Cicero versatus sit constanter in Rep. & ex efficientibus caussis reconciliationis, quód á Pompejo sit rogatus. res ita concluditur.

Princeps in Rep. constanter versatus, ab amicis rogatus, potest aliquid gratiæ tribuere.
Sed Cicero princeps in Rep. constanter versatus, ab amicis de gratia Cæsaris rogabatur:
Potuit igitur aliquid gratiæ tribuere.

Pars assumtionis de constantia Ciceronis probatur testimonio senatus & Lentuli.

Ego me, Lentule, initio rerum atq; actionum tuarum, non solúm meis, sed etiam Reipubl. restitutum putabam: & quoniam tibi incredibilem quendam amorem, & omnia in te ipsum summa ac singularia studia deberem, Respubl. quæ te in me restituendo multum adjuvisset, eum certé me animũ merito ipsius debere arbitrabar, quem antea tãtummodo communi officio civiũ, non aliquo erga me singulari beneficio debitum præstitissem.

Hac me mente fuisse & Senatus ex me, te consule, audivit, & tu in nostris sermonibus collocutionibusq; ipse vidisti: etsi jam primis temporibus illis, multis rebus meus offendebatur animus, cùm te agente de reliqua nostra dignitate, aut occulta nonnullorum odia, aut obscura in me studia cernebã. Nam neque de monimentis meis ab iis adjutus es, á quibus debuisti, neq; de vi nefaria, qua cum fratre eram domo expulsus, neque hercule in iis ipsis rebus, quæ quanquam erant mihi propter rei familiaris naufragia necessariæ, tamen á me minimi putabantur, in meis damnis ex authoritate Senatus " *resarciendis, eam voluntatem, quam expectaram, præstiterunt.*

L. farciendis.

INCREDIBILEM AMOREM] Hic illius pietatis, de qua initio, ampla significatio est, quasi tantum Tullius Lentulo debeat, ut propter eum Reip. debeat. *Singularia*] Singularis propriè unicus dicitur. Sic apud Plinium: Democritus etiamnum effectus auget ejus qui singularis natus sit. & Cicero dicit in Catil. singularibus verbis actas sibi gratias, quæ unicum Ciceronem complecterentur. hinc metaphora pro excellenti. *Mente*] Mens pro voluntate sæpé usurpatur. Sic apud Terentium, Mala mens, malus animus. Est autem metonymia. *Etsi jam*] Amplificat cõstantiam collatione dissimilium rerum: Quamvis á multis desertus, tamen in sententia permanebam. Quod ipsum probatur ex subjectis rebus. *De monimentis*] Videtur significare Catonem, quem Cicero, cùm Clodiani tribunatus acta rescinderet, ut acta sui consulatus confirmaret, adversarium habuit, ut Plutarchus in Cicerone. *De vi nefaria*] Nam Clodius domum Quinti incendit, & Marci domũ in Ceramio incẽdere conatus est, sed repress' est á Flacco, ut est 4 ad Atticũ. *In iis ipsis reb.*] Expulso Cicerone Clodius domum & villas ejus incenderat, sed omnia publico sumtu restituta sunt. Nam ad reædificandam

dam domum Palatinam Cicero accepit H S vicies; ad Tusculanum, quingenta millia; ad Formianum, ducēta quinquaginta millia: ut 4 ad Atticum. *Naufragia*] Metaphora est á mari, ubi fracta navi bona amittuntur: sic naufragia & direptiones bonorum dicit ad Nigidiū: & Naufragos vocat in Catilinam, fortunis exhaustos. *Resarciendis*] Metaphora est á sartoribus, qui proprié vestem sarcire dicuntur & resarcire: sæpe autem μεταφορικῶς adhibetur, ut sarcire detrimentum, usuram temporis.

Quæ cúm viderem (neq; enim erant obscura) non tamen tam acerba mihi hæc accidebant, quám erant illa grata quæ fecerant. Itaq; quanquam & Pompejo plurimum, te quidem ipso prædicatore, ac teste, debebam: & eum non solúm beneficio, sed amore etiam, & perpetuo quodam judicio meo diligebam: tamē non reputans quid ille vellet, in omnibus meis sententiis de Republ. pristinis permanebā. Ego sedente Cn. Pompejo, cúm," ut laudaret P. Sextium, introiisset in urbem, dixissetq; testis Vatinius, me fortuna & felicitate C. Cæsaris commotum, illi amicū esse cœpisse: dixi me eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis, victoriisq; anteferre: dixique eodem teste, alio loco, eosdem esse, qui Bibulum exire domo prohibuissent, & qui me coegissent. tota veró interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus: in quo omnia dicta sunt libertate animoque maximo, de vi, de auspiciis, de donatione regnorū.

al. ut laudaret Pompejum, P. Sextius intr.

QVAE CÚM] Antapodosis collationis, quæ alia collatione augetur. *Itaq;*] Amplificat eandem constantiam simili collatione difficultatis. *Ego sedente*] Continuat probationem constantiæ ex suis factis, quibus liberum in Rempubl. animum suum demonstrat. *Laudaret*] Mos quondam Romæ fuit, laudari reos, ad commendationem caussæ, etiam á sociis populi & provincialibus. Cicero

ſeptima actione: In judiciis qui decem laudatores dare non poteſt, honeſtius eſt ei nullum dare quàm illum quaſi legitimum numerum conſuetudinis non explere. Poſtea Pompejus hanc legem ſuſtulit. Plutarchus in Catone Uticenſi. Erit poſtea locus hac de re, & laudatione Vatinii.

Afflictam] Propriè affligere eſt in terram proſternere. Sic in Piſonem, Statuam ejus deturbant, affligunt, comminuunt, diſſipant. *Eoſdem eſſe*] Cæſarem & Vatinium ipſum intelligit, qui tribunus fuit Conſule Cæſare, quo tempore Bibulus collega Cæſaris vi foro ejectus, adeò ut totum conſulatus annum domi delitеſceret. Vide Suetonium in Julio. *Interrogatio mea*] Orationem dictam in Vatinium, interrogationem vocat: ubi & de his rebus ita Vatinium interrogat: Volo ut mihi reſpondeas, feceriſne fœdera Tribunus plebis cum civitatibus, cum regibus, cum tetrarchis.

Neq; verò hac in cauſſa modò, ſed conſtanter ſæpe in Senatu. Quin etiam Marcellino & Philippo conſulibus Nonis April. mihi eſt Senatus aſſenſus, ut de agro Campano frequenti ſenatu Idibus Majis referretur. Num potui magis in arcẽ illius cauſſæ invadere, aut magis oblivisci temporum meorum, & meminiſſe actionum? Hac à me ſententia dicta, magnus animorum motus eſt factus, cùm eorum, quorum oportuit, tum illorum etiam, quorum nunquam putaram. Nam hoc Senatuſconſulto in meam ſententiam facto, Pompejus, cùm nihil mihi oſtendiſſet ſe eſſe offenſum, in Sardiniam & in Africam profectus eſt, eoque
al. ibi *itinere Lucam ad Cæſarem venit:" ubi multa de mea ſententia queſtus eſt Cæſar, quippe qui etiam Ravennæ Craſſum antè vidiſſet, ab eoq; in me eſſet incenſus. Sanè moleſtè Pompejum id ferre conſtabat: quod ego cùm audiſſem ex aliis," maximè ex*
fort. tum max.

meo

meo fratre cognovi: quem cùm in Sardinia Pompejus paucis post diebus, quàm Luca discesserat, convenisset: Te, inquit, ipsum cupio: nihil opportunius potuit accidere: nisi cum Marco fratre diligenter egeris, dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti.

AGRO CAMPANO] Hæc materies dissensionis fuit inter Cæsarem & Ciceronem, cùm Cæsar hunc agrũ viginti millibus civium, quibus terni pluréſve liberi fuissent, divisisset: qui ne divideretur, Cicero Consul Rullo vehementer obstiterat. *Hæc à me*] Adhuc de constantia Ciceronis probatio fuit, deinde pars assumtionis altera sequitur de precibus amicorum ad reconciliationem Cæsaris. *Motus animorum*] Animus aliquando significat affectum, quo fortes & animosi dicimur: quomodo hîc dicitur motus animorum, & postea, tantum animi fuisse in illo ordine: item, fracto animo: item, majorem animum daret. θυμὸν Græci vocant. *Sardiniam*] Vide Plutarchum in Põpejo de frumentaria provincia illi per Ciceronem decreta. *Lucam*] Vide Suetonium in Julio cap. 24, de iis quæ tum Lucæ Cæsar egerit. *Te, inquit*] Repræsentat prosopopœja querelas & preces Pompeji ad recõciliationem cum Cæsare. *Dependendum*] Allegoria à prædibus, qui pro debitore solvere coguntur. Sic ad Brutum: Quod spoponderis quemadmodum solvas, nisi is dependi facilè patitur pro quo spoponderis.

Quid multa? questus est graviter: sua merita commemoravit: quid egisset sæpissimè de actis Cæsaris cum ipso meo fratre, quidque sibi is de me recepisset, in memoriam redegit: seque, quæ de mea salute egisset, voluntate Cæsaris egisse, ipsum meum fratrem testatus est: cujus caussam dignitatemq; mihi, ut commendaret, rogavit, ut eam ne oppugnarẽ, si nollem, aut non possem tueri. Hæc cùm ad me frater pertulisset, & cùm antè tamen Pompejus ad me

L. ut integrã mihi de c. C. ad f. red. rem fervatem: *cum mandatis Vibullium misisset, " ut integrum mihi de caussa Campana ad suum reditũ reservarem: collegi ipse me, & cum ipsa quasi Republica sum collocutus, ut mihi tã multa pro se perpesso atq; perfuncto concederet, ut officium meum, memoreq; in benemeritos animum fidemq; fratris mei præstarem, eumq;, quem bonum civem semper habuisset, bonum virum esse pateretur.*

De actis] Agrarias leges intelligit, & cæteras in consulatu Cæsaris latas. actorum enim nomine leges intelliguntur, ut Philippica prima Cicero ipse docet. *Recepisset*] Metaphora à jure civili sumta, ubi venditionis vel dotis author aliquid recipit, id est excipit. Sic Plautus, Posticulũ hoc recepit, cùm ædes vendidit. ut hìc, Pompejus recepit. *Oppugnarem*] Metaphora bellica. Nam qui obsident, propriè dicuntur oppugnare; & qui intus defendunt, propugnare. *Hæc cum ad*] Addit aliam Pompeji obtestationem, & propositionis sententiam ficto prosopopœjæ colore inducit: Si princeps in Republ. constanter versatus rogetur ab amicis, potest aliquid gratiæ tribuere. Hæc propositio fucata est. nec enim si fraudem Reip. facias, ut fidẽ amico serves, bonus vir es. Et magis factum Ciceronis hìc coloratur, quàm probatur. *Collegi*] Metaphora est, in iracundia usurpari solita, quam Cic. 4 Tuscul. his verbis interpretatur. Itaq; iratos propriè dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente. horum enim potestas in totum animum esse debet. his autem sunt subtrahendi in quos impetum conantur facere, dum seipsi colligant. Quid est autẽ seipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursum in suum locum cogere? *Perfuncto*] Videtur absolutè dici, ut pro Cluẽtio: se perfunctos jam esse arbitrãtur. & apud Terentiũ, defunctus jam sum, simili modo dicitur. *Bonũ civem*] Civem bonum definit Aristoteles tertio politico, nõ bonitate morali, sed officio civili: nempe qui Rẽpubl. tuetur: ut optimus civis possit pessimus esse vir: ut in tyrannide, oligarchĩa, democratia. Itaq; alia boni viri virtus est, alia boni civis, inquit Aristoteles eo loco.

In

In illis autem meis actionibus, sententiisq; omnibus, quæ Pompejum videbantur offendere, certorũ hominum, quos jam debes suspicari, sermones referebantur ad me: qui cùm illa sentirent in Republica quæ ego agebam semperque sensissent; me tamen non satisfacere Pompejo, Cæsaremque inimicissimum mihi futurum gaudere se ajebant. Erat hoc mihi dolendum: sed multò magis illud, quòd inimicum meum (meum autem? imò verò legum, judiciorum, otii, patriæ, bonorũ omnium) sic amplexabantur, sic in manibus habebãt, sic fovebant. sic me præsente osculabantur: non illi quidem ut mihi stomachum facerent, quem ego funditùs perdidi; sed certè ut facere se arbitrarentur. Hic ego quantum humano consilio efficere potui, circumspectis rebus omnibus, rationibusq; subductis, summam feci cogitationum mearum omnium: quam tibi, si potero, breviter exponam. L. reb. meis omn.

IN ILLIS] Primum levitatis excusandæ argumentum adhuc fuit: secundum sequitur ex adjunctis, quòd inde Cæsaris & Pompeji odia contraherentur; ubi finis est reconciliationis: pax nempe Ciceronis. *Erat hoc*] Amplificatio proximi argumenti ex majoribus & eorum fine. *Amplexabantur*] Allegoria est à nutricibus, infantulos his blanditiis foventibus. *Stomachum*] Pro Muræna, movere stomachum eadem sententia dicitur; & ad fratrem, epistola plena stomachi & querelarum: hinc verbum stomachari, pro indignari. *Hic ego*] Locus attentionis ad tertium, quod sequitur, argumentum ex adjunctis personarum:

Si mali principes essent, nunquam me ad eorum caussam adjungerem:
Sed sunt boni:
Quare ad eorum caussam me adjungo.

Propositio variis collationibus augetur. *Rationibus sub-*

ductis]Allegoria est á rationibus nummariis,qualis est primo officiorum: Consuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores esse possimus, & addedo deducendoq; videre quæ reliqui summa fiat. vel potiús á dialectica syllogismi regula (quod probabilius est) ut si locus dialecticé exponatur, sensus sit: Quantum ratione dialectica comprehendere potui & judicare, propositis rebus universis, & rationibus inde subductis & conspectis, summam conclusionem feci. Propositio syllogismi, similis est additioni: assumtio, subductioni: complexio, summæ reliqui.

Ego si ab improbis & perditis civibus Rempublicam teneri viderem, sicut & meis temporibus scimus, & nonnullis aliis accidisse accepimus, non modó præmiis, quæ apud me minimúm valent, sed ne periculis quidem compulsus ullis, quibus tamen moventur etiam fortissimi viri, ad eorum caussam me adjungerem: ne si summa quidem eorum in me merita cõstarent. Cúm autem in Republ. Cn. Pompejus princeps esset, vir is, qui hanc potetiam & gloriam maximis in Rempubl. meritis, præstantissimisq; rebus gestis esset consecutus, cujusq; ego dignitatis ab adolescentia fautor, in Pretura autem, & in Consulatu adjutor etiam extitissem: cúmq; idem authoritate & sententia per se, consiliis & studiis tecum, me adjuvisset, meumq; inimicum, unum in civitate haberet inimicum: non putavi famam inconstantiæ mihi pertimescendam, si quibusdam in sententiis paulúm me immutassem, meamq; voluntatem ad summi viri, de meq; optimé meriti dignitatem aggregassem.

NON MODO PRAEMIIS] In hoc genere collationis propositio negationem alterã sæpé retinet, ut decimo ad Atticum: Regnum non modó Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile. Sic isto loco. Aliquando in alio genere dicendi eadem negatio reticetur, ut in Oratore

de

de Thucydide: Neque veró si historiam non scripsisset, nomen ejus extaret, cúm præsertim fuisset honoratus & nobilis. *Cum autem*] Assumtio per eversionem antecedentis, confirmata factis Pompeji & Ciceronis. *Non putavi*] Complexio argumenti, ubi summa argumenti repetitur. *Aggregassem*] Metaphora á pastore gregem cogente, Ciceroni familiarissima. Sic pro Muræna: Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo.

In hac sententia complectendus erat mihi Cæsar, ut vides, in conjuncta & caussa & dignitate. Hic multum valuit cúm vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi & Q. fratri cum Cæsare fuisse, tum humanitas ejus, ac liberalitas, brevi tempore & literis & officiis perspecta nobis, & cognita. Vehementer etiam res ipsa publica me movit, quæ mihi videbatur cótentionem, præsertim maximis rebus a Cæsare gestis, cum illis viris nolle fieri: &, ne fieret, vehementer recusare. Gravissimé autem me in hãc mentem impulit & Pompeji fides, quam de me Cæsari dederat: & fratris mei, quam Pompejo. Erant præterea hæc animadvertenda in civitate, quæ sunt apud Platonem nostrum scripta divinitus: QUALES *in Republ. principes essent, tales reliquos solere esse civeis.*

IN HAC SENTENTIA] Derivat ex eadẽ propositione cõplexionem aliam de Cæsare, quę variis adjunctis confirmatur. Primum, quód amicus sit Cæsar. Ciceronem autem Cæsar rogavit, ut quinqueviratum acciperet, in tribus sibi conjunctissimis cõsularibus esse vellet: legationem, quam vellet, quanto cum honore vellet, detulit, ut est in oratione de Provinc. consul. & ad Nigidium ita scribitur: Nec mihi quicquam tali tempore venit in mentem optare, quod non ultró mihi Cæsar detulerit. *Vehementer etiam*] Continuat propositum argumentum ex altero fine reconciliationis, pace nempe publica, quod magnorum principum

(qualis eſt Cæſar) diſcordias excitari, ſit reip. pernicioſum. de quo Ariſtoteles lib. 5. *Contentionem fieri*] Facere cõtentionem etiam aliter dicitur pro comparare, ut in Piſonem: Sed quoniam fortunarum facere contentionem cœpimus. *Quales in Rep.*] Redit ad argumentum de publica concordia, & illuſtrat generali Platonis authoritate, quam ipſam multarum partium inductione amplificat. ubi Cicero ingenii ſui levitatem & alienis egreſsionibus, & immodicis rerum ſuarum laudibus vehementer arguit. Platonicam autem hanc ſentẽtiam videtur in Legibus Cicero Platoni detrahere, cúm ait: Licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcunq; ſummi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuiſſe: quæcunq; mutatio morũ in principibus extiterit, eandem in populo ſecuturam. Idq; haud pauló eſt verius, quám quod Platoni noſtro placet, qui muſicorum cantibus ait mutatis, mutari civitatum ſtatus. Ego autem nobilium vita victuq; mutato, mores mutari civitatum puto. Eſt autem Platonis quædam ſententia 4 libro de legibus, μηδεὶς ὑμᾶς πειθέτω, ὦ φίλοι ἄλλῃ θᾶττον καὶ ῥᾶον μεταβάλλειν ἄν ποτε πόλιν τοὺς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ. Nullus vobis, ô amici, perſuadeat, aliter citiús & faciliús unquam civitatem legibus mutari, quám principum principatu. Prima pars inductionis eſt de conſulatu Ciceronis ad magnam ipſius laudem.

Tenebam memoria, nobis Conſulibus, ea fundamenta jacta ex Calendis Januariis cõfirmandi Senatus, ut neminem mirari oporteret, Nonis Decemb. tantum vel animi fuiſſe in illo ordine, vel authoritatis. Idemq; memineram, nobis privatis uſq; ad Cæſarem & Bibulum Conſules, cúm ſententiæ noſtræ magnum in Senatu pondus haberent, unum feré ſenſum fuiſſe bonorum omnium. Poſtea cúm tu Hiſpaniam citeriorem cum imperio obtineres, neq; Reſpub. Conſules haberet, ſed mercatores provinciarum, & ſeditionum ſervos, ac miniſtros: jecit quidam caſus caput meum, quaſi certaminis cauſſa,

caussa, in mediam contentionem, dissensionemq; civilem. Quo in discrimine cùm mirifica Senatus, incredibilis Italiæ totius, singularis bonorum omnium consensio in me tuendo extitisset: non dicam, quid acciderit (multorum est enim, & varia culpa) tantùm dicam brevi, non mihi exercitum, sed duces defuisse. In quo, ut jam sit in iis culpa, qui me non defenderunt: non minor est in iis qui reliquerunt: & si accusandi sunt, qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi, qui se timere simularunt.

fort. per quos accid. *vel* qui acc.

L. & qui se

FUNDAMENTA] Dicit autem Cicero in Pisonem, ponere fundamenta: & pro Milone, agere fundamenta. *Nonas Decembres*] Quas in ore semper habuit, ut Brutus ad Atticum: An quia non omnibus horis jactamus idus Martias, similiter atque ille nonas Decembres suas in ore habet? *Idemq;*] Secunda pars inductionis de quadriennio usque ad consulatum Cæsaris, ad Ciceronis item laudem. *Postea cùm*] Tertia pars inductionis á consulatu Pisonis & Gabinii ad eorum vituperationem, qua occasione in exilii sui calamitatem egreditur, & quorundam perfidiam coarguit. *Quasi certaminis*] Brevis similitudo sumta videtur á ludis Romanis, ubi pila aliqua tauri ad certamen irritabantur, ut ex hoc Martialis loco potest intelligi:

Qui modó per totam flammis stimulatus arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas;
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Mirifica Senatus] Referente Mummio, Senatus censuit tum vestem mutandam esse, & viginti millia juventutis Romanæ vestem mutaverunt. Vide Plutarch. in Cicerone. *In quo*] Hic orationis quæsita est suavitas, ex orbis concinnitate geminatæ in similibus & paribus.

Illud quidem certé nostrũ consilium jure laudãdum est, quód meos civeis & á me servatos, & me L. qui meos

servare cupienteis, spoliatos ducibus, servis armatis objici noluerim: declarariq; maluerim, quanta vis esse potuisset in cōsensu bonorum,"si iis pro me stante pugnare licuisset, cúm afflictum excitare potuissent. Quorum quidem animum tu non perspexisti solúm, cùm de me ageres, sed etiam confirmasti, atque tenuisti. Qua in caussa (non modò non negabo, sed etiam semper & meminero, & prædicabo libenter) usus es quibusdam nobilissimis hominibus, fortioribus in me restituendo, quám fuerant iidem in "tenendo. Qua in sententia si constare voluissent, suam authoritatem simul cum salute mea recuperassent." Recreatis enim bonis viris Consulatu tuo, & constantissimis, atq; optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pompejo præsertim ad caussam adjuncto, cùm etiam Cæsar, rebus maximis gestis, singularibus ornatus & novis honoribus, ac judiciis Senatus, ad authoritatem ejus ordinis adjungeretur: nulli improbo civi locus ad Rempubl. violandam esse potuisset.

al. si ii pro me stante, pugna non destitissent, cúm affl.

al. tuendo.

L. Recreati enim cúm essent boni viri Cons. t. & const. atq. opt. act. tuis excitati,

ILLUD QUIDEM CERTE] Interponit ex adjūctis suā quādam laudem ex amore, nēpe & suo in cives, & in se civium suorum. *Pro me stante*] Collatio majorum est: Si potuerunt excitare afflictum, potuerunt stantem retinere. *Quorum quidem*] Quarta pars inductionis, de Consulatu Lentuli, quo viri boni recreati sunt. *Fortioribus in me*] Collatio est minorum. *Qua in sententia*] Altera egressio in inconstantiam eorum, quorum perfidiam antea coarguit. syllogismus inconstantiæ ita fit:

Si fuissent constantes, retinuissent cum salute mea dignitatem suam:
Sed non primum:
Non igitur secundum.

Propositio adjunctâ Pompeji & Cæsaris societate ornatur.

Con-

Constare in] Dicit etiam Cicero constare sibi, humanitati, sententiæ. *Violandam*] Violare proprié de virginibus, ut apud Tibullum:

Parcite quod custodit amor, violare puellam.

Metaphora in Cicerone perpetua est: ut violare fidem, fœdus, amicitiam, Remp.

Sed attende quæso, quæ sint consecuta. Primúm illa furta muliebrium religionum: qui non pluris fecerat Bonam deam, quàm treis sorores, impunitatem scelerum, eorum sententiis est assecutus. qui, cúm Tribunus pleb pœnas á seditioso cive per bonos viros judicio persequi vellet, exemplum præclarissimum in posterum vindicandæ seditionis de Rep. sustulerunt: iidemq; postea non meum monimentũ (non enim illæ manubiæ meæ, sed operis locatio mea fuerat) monimentum veró Senatus, hostili nomine, & cruentis inustum literis esse passi sunt. Qui me homines quód salvum esse voluerunt, est mihi gratissimum: sed vellem non solúm salutis meæ, quemadmodum medici; sed etiam, ut aliptæ, virium & coloris rationem habere voluissent. L. Primúm ille fur mul. *al.* Primúm illa furia mul.

Sed attende] Assumtio est syllogismi, qua probari debuit inconstantia: sed corruptus est locus, & videtur sententia fuisse, Mirũ non esse qui tales antea fuerint, postea tam leves extitisse. vel Cicero ipse nimia levitatis excusandæ affectione turbatus, magis etiam quám antea vagatur. Nam cúm propositum esset ex consequentibus hominum inconstantiam demonstrare, antecedentia memorantur. Nec eorum quicquam probari potest, quæ interpretes huc afferũt: quod probabilius faciunt in hac quæstione digressiones tam multæ, & tam serus domum, id est ad propositũ, reditus, & Ciceroni naturalis quædam & ingenerata in digressionibus levitas. de qua in quæstionibus Brutinis. *Furta muliebrium*] Lectio varia est. aliás enim, *illa furia*, aliás *ille fur*. Si legas *illa furta*, vel *illa furia*, metony-

mia erit: ut scelus ludificatus est virginem, apud Terẽtium, pro scelerato. sic pro fure vel furioso. Si postrema lectio probetur, clarior erit lectio. *Bonam deam*] Historia de violatis sacris Bonæ deæ, deque hoc toto judicio, narratur á Cicerone primo lib. ad Atticum epistola 11. De tribus autem Clodii sororibus ab eo violatis, vide Plutarch. in Cicerone. Sororius adulter ideo vocatur Clodius á Cicerone. *Iidemque non meum*] Locus hic non videtur de domo Ciceronis intelligendus, sicut interpretes arbitrantur, sed de conjuratione magnificentiorem quendam & elegantiorem sensum habet, cujus damnatio senatus fuit, executio Ciceronis. Allegoria veró est á victoribus imperatoribus, qui de manubiis & hostili præda porticus, tẽpla, basilicas, arcus, aut aliquod aliud monumentum faciebãt, cujus dicatio ab imperatore alicui mandabatur. Ita cúm senatus sententiis suis conjuratos quasi profligasset, & ejus operis executorem Ciceronem fecisset, videtur Cicero monumẽti illius non author, sed faciendi locator extitisse. At illud judicium Clodius in expellendo Cicerone, tanquam civium parricidium damnaverat, & in publicas tribunatus sui tabulas hoc cruento & hostili nomine retulerat, quas postea Cicero reversus ab exilio in Capitolio concidit: ut Plutarch. in Cicerone. *Qui me homines*] Redit ad fictorum hominum perfidiam, & hoc syllogismo notat:

Veri amici curant salutem & dignitatem amicorum:
Isti non curant dignitatem meam:
Non igitur veri amici.

Propositio & assumtio cõparatis illustrantur. *Ut alipta*] Aliptes, unctor qui athletas certaturos ungebat. Juvenalis Satyra 3,

Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes.

Nunc ut Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit: sic quidam homines in capite meo solúm elaborarunt, reliquum corpus imperfectum ac rude reliquerunt. In quo ego spem fefelli non modó invidorum, sed etiam inimicorum

meo-

meorum: qui de uno acerrimo & fortissimo viro, meoq; judicio omnium magnitudine animi & constantia præstantissimo, Q. Metello Lucii filio, quondam falsam opinionem acceperunt: quem post reditum dictitant fracto animo & demisso fuisse. Est veró probandum, qui & summa voluntate cesserit, & egregia animi alacritate abfuerit, neq; saré redire curarit, eum ob id ipsum fractũ fuisse animo: in quo cúm omnes homines, tum M. illum Scaurũ, singularem virum, constãtia & gravitate superasset. Sed, quod de illo acceperant, aut etiam suspicabãtur, de me idem cogitabant, abjectiore animo me futurum; cúm Resp. majorem etiam mihi animum, quám unquam habuissem, daret: quæ jam declarasset sese non potuisse me uno cive carere: cúmq; Q. Metellũ unius tribuni plebis rogatio, me universa Resp. duce Senatu, comitante Italia, promulgantib. omnibus, referente Consule, comitiis cẽturiatis, cunctis ordinibus, hominibusq; incumbentibus, omnibus deniq; suis viribus recuperasset.

IN QUO] Continuat per speciem occupationis & refutationis egreßionem, & lõgiús vagatur, & Metelli comparatione suam constantiam vehementer effert. Amplificat autem propositionem variis comparatis & factis ipsius Metelli. *Lucii filio*] Lucii Macedonici, qui á Plinio Quintus vocatur, de cujus filio Numidico nunc agitur. Res gestas utriusque Plinius in viris illustribus notavit. *Est veró probandum*] Hic locus εἰρωνικῶς pronunciandus est, quod repugnantibus factis indicatur. *Sed quod de illo*] Redditio cõparationis, ubi superiorem se modis omnibus efficit. *Majorem animum*] Ad Atticũ 7 lib. Sed hæc opinor sunt in his libris, quos tu laudãdo animos mihi addidisti. sic nunc dare animum. *Rogatio*] Rogationis nomine continetur lex, plebiscitum, privilegium. *Universa R. p.*]

Amplificatio per divisionem & enumerationem partium. *Promulgantibus*] Promulgari proprié dicuntur leges, rogationes, quæstiones, quasi provulgari. Hic igitur Cicero significat non solúm referentis consulis, sed una omnium voce legem de suo reditu promulgatam. *Centuriatis*] Quæ Romæ quondã maxima fuerant, ut in oratione post reditum. fiebant ex censu, ætate, populo non per curias & tribus, sed per centurias diviso, & in his majores magistratus creabantur.

Neq. veró ego mihi postea quicquam assumsi, neq; hodie assumo, quod quenquam malevolentissimum jure possit offendere: tantúm enitor, ut neque amicis, neque etiam alienioribus, opera, consilio, labore desim. Hic meæ vitæ cursus offendit eos fortasse, qui splendorem & speciem hujus vitæ intuentur, solicitudinem autem & laborem perspicere non possunt. Illud veró non obscuré queruntur in meis sententiis, quibus ornem Cæsarem, al. quasi destiterim pristina caussa. *" quasi desciverim á pristina caussa. Ego autem cúm illa sequor, quæ pauló anté proposui, tum hoc non in postremis, de quo cœperam exponere. Non offendes eundem bonorum sensum Lentule, quem reliquisti: qui confirmatus consulatu nostro, nónunquam postea interruptus, & afflictus ante te consulem, recreatus abs te totus est: nunc ab iis, á quibus tuendus fuerat, derelictus: idque non solúm fronte, atq; vultu, quibus simulatio facillimé sustinetur, ii declarant, qui tum nostro illo statu optimates nominabãtur, sed etiam* al. sensu *" sententia sæpe jam, tabellaq; docuerunt.*

NEQUE VERÓ] Occurrit arrogantiæ suspicioni, ꝓpter amplificationẽ proximã, & invidiæ, quam sustinet, caussam proponit. *Assumsi*] Assumere velut arrogantiæ verbum est, ut pro Sylla: Non modó nihil mihi assumo in quo quispiam repugnet, sed etiam si quid ab omnibus conceditur, id red-

id reddo ac remitto. contrarium est detraho. sic opponuntur, arrogare, derogare. *Splendorem*] Definitio est invidorum. *Illud vero*] Hic levitatis crimen est, quod epistola tota refellitur. *Ego autem*] Colligit inductionis summam, & amplificat testimonio optimatum. *Tuendus fuerat*] Significat Pompejum & Crassum, qui tum consules erant. *Fronte*] Fronte & vultu bellis aliquid facere, sed intimis sensibus angi: ad Atticum 5 lib. & ad eundē 4, Pompejus fremit, queritur: Scauro studet, sed utrúm frō te an mente, dubitatur. *Optimates*] Duo genera semper in civitate fuerunt eorum qui versari in Rep. atq; in ea se excellentiús gerere studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates & haberi & esse voluerunt. qui ea quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda esse volebant, populares: qui autem ita se gerebāt, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur: Cic. pro Sextio.

Itaq; tota jam sapientium civium, qualem me & esse, & numerari volo, & sententia, & voluntas mutata esse debet. Id enim jubet idem ille Plato, quē ego authorem vehementer sequor, TANTUM *contendere in Republ. quantum probare tuis civibus possis: Vim neq; parenti, neq; patriæ afferre oportere. Atq; hanc quidem ille caussam sibi ait non attingendæ Reipubl. fuisse, quód cúm offendisset populum Atheniensem propé jam desipientem senectute,* *cúmque nec persuadendo, nec cogendo regi posse vidisset, cúm persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quód neq; desipiente populo, neq; integra re mihi ad consulendum, capesserémne Rempublicam, implicatus tenebar. Sed lætatus tamen sum, quód mihi liceret in eadem caussa & mihi utilia, & cuivis bono recta defendere.* L. tum cum nec persu.

ITAQUE TOTA] Concludit propositum locū de mu-

tanda sententia ad fugiẽdam principum discordiam, & illustrat alia Platonis authoritate. *Ille Plato*] De hoc Platonis consilio mentio est in ipsius epistolis quinta & septima: ubi Plato monet, Quemadmodũ sapiens medicus ad ægrotũ, qui possit & velit curari, debet accedere: sic sapienti ad Remp. accedendum, si sapientis consilio regi possit ac velit populus. *Atq; hanc*] Comparat dissimile consilium Platonis consilio suo. *Desipientem senectute*] Locus hic est in quinta epistola: τὸν δῆμον κατέλαβεν ἤδη πρεσβύτερον. *Nec persuadendo*] Videtur legendum *vel, vel*, pro gemino *nec, nec*, ut hic syllogismus comprehendatur:

Populus sapientis regendus est, qui vel consilio, vel vi regi potest:
Atheniensem populum nec consilio regere licebat, nec vi cogere fas erat:
Non igitur sapienti regendus.

Mea ratio] Redditio dissimilitudinis.

Huc accessit cõmemoranda quedam, & divina Cæsaris in me, fratremq; meum liberalitas; qui mihi, quascunq; res gereret, tuendus esset: nunc in tanta felicitate, tantisq; victoriis, etiamsi in nos non is esset, qui est, tamen ornandus videretur. Sic enim te existimare velim, cùm á vobis meæ salutis authoribus discesserim, neminem esse, cujus officiis me tã esse devinctum, non solùm confitear, sed etiam gaudeam. Quod quoniam tibi exposui, facilia sunt ea, quæ á me de Vatinio, & de Crasso requiris. Nam de Appio quòd scribis, sicut de Cæsare, te non reprehendere: gaudeo consilium tibi probari meum. De Vatinio autẽ, primùm reditus intercesserat in gratiam per Pompejum, statim ut ille Prætor est factus: cùm quidem ego ejus petitionem gravissimis in Senatu sententiis oppugnassem, neq; tam ipsius lædendi caussa, quàm defendendi, atque ornandi Catonis. Pòst autem Cæsaris, ut illum defenderem, mira con-

ra contentio est consecuta.

HUC ACCESSIT] Repetit superiora illa de Cæsaris liberalitate,& ita comprehendit:

Si Cæsar non esset in me & fratrem tam liberalis, tamen propter victorias ornandus esset:

Sed est: Ornandus igitur.

Assumtio præcedit. *Felicitate*] Felicitas fortunam secundam & prosperam significat. Hinc opponuntur pro Sylla, casu magis & felicitate,quàm virtute & cõsilio. & pro Manilia:Præstare felicitatem de seipso nemo potest:meminisse & commemorare de altero possumus.Cúm igitur Cicero finxit beatitudinis & beatitatis nomina,non putavit idẽ felicitatis verbo significari. *Cum á vobis*] Sic loquitur ad Atticum libro primo: Amoris veró erga te mei,cúm á fraterno domesticoq; amore discesi, primas tibi defero. Sic item ad Balbum lib. 6: Etenim omnes Cæsaris familiares satis opportuné habeo implicatos consuetudine & benevolentia, sic ut cúm ab illo discesserint, me habeant proximum. *Quod quoniam*] Transit ad reliquas partes quæstionis, & secundã de Appio propter similitudinem primæ præterit. De Vatinio tertius locus est, cujus in gratiam recipiendi & defendendi rationem primúm reddit. *Catonus*] Vide repulsam Catonis in præturæ petitione apud Plutarch. in Catone Uticensi, ubi virum optimum & gravissimum á nequissimo nebulone victum scribit.

Cur autem laudarim, peto á te, ut id á me néve in hoc reo, néve in aliis" requiras, ne tibi ego idẽ reponã, cúm veneris: tametsi possum vel absenti. Recordare enim quibus laudationẽ ex ultimis terris miseris; nec hoc pertimueris. nam á meipso laudantur, & laudabuntur iidem. Sed tamen defendendi Vatinii fuit etiam ille stimulus, de quo in judicio, cúm illum defenderem, dixi me facere" quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi: *al.* quæras, *fort.* idem quod in

Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuó. si quando illa dicet: Phædriam in-
Tromittamus comissatum; tu, Pamphilam

Cantatum provocemus. si laudabit hæc
Illius formam: tu hujus contra. deniq;
"Par pro pari referto, quod eam mordeat.

L. Tu par pari ref.

Sic petivi á judicibus. ut quoniam quidam nobiles homines, & de me optimé meriti, nimis amaret inimicum meum: meq; inspectante sæpé eum in Senatu modó severé seducerent, modó familiariter atq; hilaré amplexarentur: quoniamq; illi haberent suũ Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem eorum animos mediocriter lacessitus leviter repungere. Neq; solúm dixi: sed etiam sæpé facio, diis hominibusq; approbantibus. Habes de Vatinio: cognosce de Crasso.

Cur autem] Accedit ad laudationem Vatinii & culpam quodãmodo cõfitetur, sed pari Lentuli facto excusat. *Sed tamen defendenti*] Reddit alteram rationem defendendi Vatinii, nempe ut adversarios suos repungeret. & similitudine exempli Terentiani ex Eunucho declarat: quo in exemplo varia parium collatio est. *Sic petivi*] Redditio similitudinis, ubi argumentum defensionis clarius exponitur. *Seducerent*] Id est seorsum velut ad colloquia rerum graviorum ducerent. Sic Plautus in Aulularia: Eó nunc te secretó forás seduxi. hinc metaphora pro fallere, ut apud Terentium, Etiam nunc me seducere istis dictis postulas? *Hilare*] Ex Græco est: ἱλαρὸς, hilarus, & inde hilaré adverbium, quo sæpé Cicero usus, ut 5 de Finibus, Dicimus aliquem hilaré vivere. Igitur si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est. Hilariter Grammatici confirmant etiam dici. *Neque solum*] Amplificatio redditionis ex eventis. *Habes de Vatinio*] Respondit adhuc de Cæsare, Appio, Vatinio: Transit ad Crassum, de quo tamen nihil in partitione fuit: hic tamen quasi propositum esset, ita transitione conjungitur. contentio priús exponitur sic:

Si Crassus defendisset Gabinium sine mea contumelia, tulissem:

Sed

Sed non fecit:
Non igitur tuli.

Propositionis ratio præponitur ex adjunctis, quia eramus reconciliati.

Ego cúm mihi cum illo magna jam gratia esset, quód ejus omneis gravissimas injurias, communis concordiæ caussa, voluntaria quadam oblivione contriveram, repentinam ejus defensionem Gabinii, quem proximis superioribus diebus acerrimè oppugnasset, tamen si sine ulla mea contumelia suscepisset, tulissem; sed cúm me disputantem, non lacessentem læsisset: exarsi, non solúm præsenti, credo, iracundia (nam ea tam vehemens fortasse non fuisset) sed cúm inclusum illud odium multarum ejus in me injuriarum, quod ego effudisse me omne arbitrabar, residuum tamen" insciente me fuisset, omne repenté apparuit. Quo quidem tempore ipso, quidam homines, & iidem illi, quos sæpe nutu, significationeq; appello, cúm se maximum fructum cepisse dicerent ex libertate mea, meq; tum deniq; sibi esse visum Reipublicæ qualis fuissem, restitutum: cúmq; ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset: gaudere se dicebãt, mihi & illum inimicum, & eos, qui in eadem caussa essent, nunquam amicos futuros. *al.* inscientem me fugisset,

Omnes gravissimas] Hîc Vallæ solœcismus esset, qui docet, *omnis* cum positivo jungi, *quisque* cum superlativo; non contrá. Ideoque Priscianum errare sic loquentem, omnium judicio comprobatur eruditissimorũ: sed tamen usus & exempla lapsum esse Vallam potiús arguunt. Cicero secundo Oratorio, Omnia minima mansa (ut ajunt) nutrices infantulis pueris in os inserunt. Idem

pro Cecinna, Neque enim ratio afferri poteſt, cur, ſi cuiquam novo civi poterit adimi civitas, non omnibus patriciis, omnibus antiquiſſimis civibus poſſit. Idem ad Licinium lib. 5, Quamobrem velim ita & ipſe ad me ſcribas de omnibus minimis, maximis mediocribus, ut ad hominē amiciſſimum. *Gabinii*] Quem reum de ambitu fecerat Sylla, & de aliis criminibus alii: ut ad Fratrem Cicero. *Sed cùm*] Aſſumtio per antecedentis remotionem. *Exarſi*] Complexio amplificata collatione majorum. *Odium omne*] Omnis aliquando pro toto, ut hîc & aliás apud Ciceronem: Omne cœlum, omnis civitas, cauſſa. *Quo quidem*] Exponitur ſecūdo loco reditus in gratiam. argumentum eſt ex adjunctis, quód ex hac contentione contraherentur inimicitiæ ſummorum principum.

Quorum iniqui ſermones cúm ad me per homines honeſtiſſimos perferrentur, cúmq; Pompejus ita contendiſſet, ut nihil unquam magis, ut cum Craſſo redirem in gratiam, Cæſarq; per literas maxima ſe moleſtia ex illa contentione affectum oſtenderet, habui non temporum ſolúm rationem meorum, ſed etiā natura: Craſſuſq;, ut quaſi teſtata populo Romano eſſet noſtra gratia, pené á meis laribus in provinciam eſt profectus. Nam cúm mihi condixiſſet, cœnavit apud me in mei generi Craſſipedis hortis. Quamobrem ejus cauſſam, quod te ſcribis audiſſe, magna illius commendatione ſuſceptam, defendi in Senatu. ſicut mea fides poſtulabat. Accepiſti quibus rebus adductus, quamque rem, cauſſamq; defenderim, quiq; meus in Republica ſit pro mea parte capeſſenda ſtatus. De quo ſic velim ſtatuas, me hæc eadem ſenſurum fuiſſe, ſi mihi integra omnia ac libera fuiſſent. Nā neq; pugnandum arbitrarer contra tantas opes: neq; delendum, etiamſi id fieri poſſet, ſummorum civium principatum:

tum: neq; permanendum in una sententia conversis rebus, ac bonorum voluntatibus immutatis, sed temporibus assentiendum.

QUORUM INIQUI] Secundum reconciliationis argumētum ex efficientib. caussis, quia sit rogatus ab amicis, Pompejo & Cæsare. *Natura*] Sic pro Murena de sua lenitate: Ego autem has partes lenitatis & mansuetudinis (quas me natura ipsa docuit) semper egi libēter: Illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed á Rep. mihi impositam sustinui. *Crassusq;*] Illustratio reconciliationis ex eventu. *Testata*] Testata passivé capitur, sicut multa participia verborum deponentium. *A meis laribus*] Lares á veteribus genii dicebantur, alter bonus, alter malus. Hi colebantur in intimis ædibus: & lararium locus ille dicebatur. Hic per metonymiam pro ædibus. Cicero *δαίμονας* Græcé appellatos ait in Universitate. *Provinciam*] Syriam, ubi contra Persas occubuit. Plutarchus in vita Crassi. *Condixisset*] Condicere est denunciare, & convivatoris verbum. Plautus: Potare, amare, atque ad cœnam condicere. aliquando legale & forense verbum est, ut condicere nummos alicui, vel nummorum, est repetere. hinc condictio, pro actione. *Generi*] Cicero tres generos habuit, Pisonem qui tum obierat, & hunc Crassipedem, postea Dolabellam. *Quamobrem*] Concludit excusationem de Crassi defensione. *Accepisti*] Complexio est quæstionis universæ per epilogum antecedentium argumentorum sic contractum:

Si mihi omnia libera essent, tamen talis essem.
Non sunt autem:
Quare multo magis esse debeo.

Nam neq;] Hic repetitur Platonica illa sentētia, de concordia principum, & quód cedendum sit tempori. *Conversis rebus*] Hic repetitur locus iste, Non offendes eundem bonorum sensum Lentule.

NUNQUAM ENIM PRÆSTANTIBUS IN *Republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio: sed ut in navigando tempestati obsequi, artis est, etiamsi por-*

tum tenere nequeas: cúm veró id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum quem ceperis. potiús quám eo com

L. tamen *mutato, quó velis," tandem pervenire: sic cúm omnibus nobis in administranda Republica propositum esse debeat, id quod á me sæpissimé dictum est,* CUM DIGNITATE OTIUM: *NON idem semper dicere, sed idé semper spectare debemus. Quamobrem, ut pauló anté posui, si essent omnia mihi solutissima, tamen in Republ. non alius essem, atque nunc sum. Cúm veró in hunc sensum & alliciar beneficiis hominum, & compellar injuriis, facilé patior ea me de Republ. sentire, ac dicere, quæ, maximé cúm mihi, tum etiam Reipubl. rationibus putem conducere.*

PRAESTANTIBUS] Definitio est viri politici. *Sed ut in navigando*] Illustratio proximi loci, quód tempori cedendum sit. Argumentum similitudinis est, cujus propositio collationem minorum habet. *Tempestati obsequi*] Insigne est exemplum hujus loci quinto Æneidos de Palinuro, cúm suadet Æneæ cedendum tempestati. Locum ad illustrationem pulcherrimę sententiæ adjungam. sic igitur primúm poëta:

Ut pelagus tenuere rates, nec jam ampliús ulla
Occurrit tellus, maria undiq; & undiq; cælum;
Olli cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hyememq; ferens, & inhorruit unda tenebris.

Deinde Palinurus,

Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve pater Neptune paras? sic deinde locutus
Colligere arma jubet, validisq; incumbere remis:
Obliquatq; sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime AEnea, non, si mihi Jupiter author
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cælo:

Mutati

Mutati transversa fremunt, & vespere ab atro
Consurgunt venti, atq; in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. superat quoniam fortuna, sequamur,
Quoq; vocat, vertamus iter: nec littora longè
Fida reor fraterna Erycis, portusq; Sicanos,
Si modo ritè memor servata remetior astra.

Postremò poeta conclusionem Æneæ tribuit:

Tum pius Aeneas: Equidem sic poscere ventos
Iamdudum, & frustra cerno te tendere contrà:
Flecte viam velis.

Velificatione] Velificare & velificari, est vela dare aut facere Hinc velificatio. *Sic cũ omnibus*] Apodosis similitudinis, ubi portus cũ beatitudine, navigatio cũ sentẽtia comparatur. *Quamobrem*] Concludit probationem propositionis. *Cùm verò*] Assumtio, ubi minoribus antepositis majora redduntur. *Facilè patior*] Complexio syllogismi. Hæc phrasis Ciceroniana maximè est. Sic 5 lib. ad Pompejum: Apud me plus officii residere facillimè patior.

Apertiùs antẽ hæc ago, ac sæpius, quòd & Q. frater meus legatus est Cæsaris, & nullum meũ minimum dictum, non modò factum, pro Cæsare intercessit, quod ille non ita illustri gratia exceperit, ut ego eum mihi devinctum putarem. Itaque ejus omni & gratia, quæ summa est, & opibus, quas intelligis esse maximas, sic fruor, ut meis. Nec mihi aliter potuisse videor hominum perditorum de me consilia frangere: nisi cum præsidiis iis, quæ semper habui, hanc etiam potentium benevolentiam conjunxissem. His ego consiliis si te præsentem habuissem, ut opinio mea fert, essem usus eisdem: novi enim temperantiam & moderationem naturæ tuæ: novi animum, tum mihi amicissimum, tum nulla in cæteros malevolentia suffusum: contràq; cùm magnum, & excelsum, tum etiam apertum, & sim-

plicem. Vidi ego quosdam in te taleis, qualeis tu eosdem in me videre potuisti. Quæ me moverunt, movissent eadem te profectó. Sed quocunq; tempore mihi potestas præsentis tui fuerit, tu eris omnium moderator consiliorum meorum: tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curæ. Me quidem certé tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium, comitemq; habebis: neq; mihi in omni vita res tam erit ulla proposita, quám ut quotidie vehementiús te de me optimé meritum esse latere. Vale.

Apertiús autem] Illustrat assumtionis partem de beneficiis, ubi repetuntur de Cæsaris liberalitate dicta prius. *Illustri gratiá*] Gratia hîc significat actionē gratiarum. Sic ad Curionem: Neque enim sum veritus, ne sustinere tua in me innumerabilia beneficia non possem, cúm præsertim cōsiderem nullam esse gratiam, quam vel non capere animus accipiendo, vel remunerando, cumulandoque illustrare non posset. *Ut ego eum*] Hic ex fine argumentum est ad ea quæ finis gratia fiunt. *Sic fruor*] Frui generalis est significationis, & frui de omnibus rebus tam per se expetendis, quám propter aliud dicitur; ut frui voluptate, sapientia, divitiis, fundis: Uti veró, de rebus commodis. *Nec mihi aliter*] Illustrat reliquam partem assumtionis de injuriis. *Præsidiis*] Eloquentiam suam significat, & gratiam ex ea partam. *His ego*] Approbat ad extremum factum suum veluti consilio Lentuli, quod ex personæ adjunctis colligit. *Simplicem*] Simplex ex superioribus proximis verbis, quid significet proprié, declaratur. Sic in Lucullo: Cū simplici homine simpliciter agerem. *Vidi ego*] Approbat idem similibus, & rem totam concludit. *Sed quocunq;*] Peroratio extrema feré ex argumento proœmii, ad mutuæ benevolentiæ, tacitéque deprecationis significationem. Propositum verbum est finalis caussæ.

FINIS.



M. T. CICERONIS DE FATO LIBER; PETRI RAMI PRÆLECTIONIBUS EXPLICATUS.

PRÆFATIO.

MArcus Tullius Cicero quæstionem de Fato obscuram (ut ipse ait) eamque logicé totam disputaverat. Itaque quoniam logicus esse, & Dialecticus haberi volo, perlibenter hanc Fati quæstionem quotidianis prælectionibus explicandam suscepi: ut Dialecticæ nostræ usum discipulis meis exempli nobilis, imó veró perobscuri perque difficilis explicatione demonstrarem. Fuerat veró in utramque partem deducta disputatio. Duo Fatum constituebant, Posidonius, & Chrysippus: tres refellunt, Diodorus, Epicurus, Carneades: unus est disceptator & arbiter omnium Cicero. Posidonius igitur (ut initio aliquid de singulis attingamus, etiam pauló fusiús & prolixiús, ut summa rerum quædam priús intelligatur, quám ad tam obscurãm disputationem veniatur) Stoicus Philosophus fuit, idemque

tantus Astrologus, ut sphæram confecerit, cujus singulæ conversiones idem efficerent in Sole & Luna & in quinque Stellis errantibus, quod efficitur in cælo singulis diebus ac noctibus. Hic igitur cúm ita se Astrologiæ tradidisset, studio suo vehementiús oblectatus, fatum, id est, rerum omnium immutabilem & sempiternam necessitatem, naturæ siderumque contagioni attribuit. Hæc sententia est omnium, quæ de Fato feruntur, maxima maximéque celebrata, ut Porphyrius summus gentium philosophus affirmarit, quæcunq; Dii fata prædixissent, ex siderum motu prędixisse: & de Christianis Origenes sidera sic interpretatur esse temporum signa, ut cælum sit veluti quidam liber apertus omnia tempora descripta continens, sed eum tamen librum ab hominibus legi non posse. Totus in Cicerone locus hic feré amissus est: confirmatio certé tota periit, refutationis particula tãtúm superest. nos á Divo Augustino sententiam quandam hinc depromtam, & ab eo refutatam transtulimus: ex reliquiis tamen apparet, veré constanterque Posidonio responsum esse, astrorum magnas quidem esse affectiones, sed humanæ voluntatis, philosophiæque vires esse majores. Secunda pro Fato sententia est Chrysippi, Stoici item philosophi, in Dialecticis tam subtilis & acuti, ut in Græcia vulgó jactaretur, si Dii Dialecticis uterentur, non aliis, quám Chrysippeis usuros esse. Chrysippus itaque Fatum definiebat, caussarum seriem sempiternam, qua & præterita facta essent, & instantia fierent, & quæ sequerentur, essent

sent futura: in eaque serie caussas non solúm necessarias, sed voluntarias etiam & liberas copulabat, ut ejusmodi series catena quædam esset ex infinitis annulis inter se consertis & contextis, quorum firmiores essent alii, alii infirmiores: omnes tamẽ sic inter se catenati, ut dissolvi & disjungi non possent: fatumque ita definitum quatuor argumentis, naturæ contagione, divinatione, enunciationis definitione, & caussarum antecessione confirmabat: confirmatio ipsa tota periit, ut & Posidonii; refutatio minús mutilata est. In primo argumento oratio Ciceronis valde mutilata est, attamen ut anté Posidonio, ita nunc Chrysippo subtiliter & acutè respondetur, naturæ contagionem multas quidem ad res valere, ad omnes non valere, imó veró quævis naturæ vitia disciplina & voluntate superari posse. Secundi argumẽti tractatio magis imperfecta est, quam primi. Sed ex duorum philosophorum Diodori & Carneadis argumentis, duobus diversis & disjunctis locis utcunque percipitur. Diodorus veró Chrysippo occultiús insidiatur. Cúm enim fatum improbaret, Chrysippeum divinationis argumentum in Chrysippum ipsum (qui fatali caussarum ordini intexebat voluntarias & contingentes caussas) retorquebat: ut si divinatio esset, divinaque (ut loquimur) præscita, omnia divinitus præscita vera falsaque, ab æterno vera falsaque essent. Unde fallaciter & captiosé concludebat, Omnia vera necessaria, omnia falsa impossibilia, nihil medium, cõtingens, fortuitum, liberum: quod tamen Stoicus ille in suo

fato constituerat. Sic Diodorus everso uno fati argumento totum fatum evertebat. Sed Diodorea sententia licet verbo fatum oppugnet, re ipsa tamen non minús confirmat, quam series Stoica. Nam si omnia futura, necessarió futura sint; nil contingens, nil fortuitum, nulla denique libertas animis nostris relinquetur, sed omnia necessitate fatali occupabuntur. Sic enim verissimé differit Aristoteles περὶ τῆς ἑρμηνείας, sublato contingenti, fatum constitui. Hîc Cicero Chrysippum Diodori sophismatis explicare se nescientem verissimé quidem deridet, at Cicero ipse multó magis deridendus, vel potiús accusandus, qui sententiam tam improbam, tam improbé, & quidem permultis in locis repetitam comprobarit: aut certé cúm falsas sibi refellendas proponeret, non refutarit. In reliquis duobus fati argumentis, logica Chrysippi spinosior est. Hic enim sic agebat, ac primúm de enunciatione, Necesse est omnem enunciationem veram esse, aut falsam: ergo in contradictione rerum enunciatarum pars altera necessarió vera, pars altera necessarió falsa erit. De antecessione caussarum sic: Quicquid fit, antecedente caussa fit: ergo hujus facti est proxima quædam caussa: proximæ rursus alia abhinc secunda, secundæ tertia, tertiæ quarta, quartæ deinceps quinta, quintæ demum sexta: ut filii caussa pater, patris avus, avi proavus, proavi abavus, abavi atavus, atavi tritavus, eodemque modo in infinitum. Epicurus, qui Dialecticam non modó nesciebat, sed contemnebat, ad perfruendas voluptates cúm

fati


fati necessitate liber esse vellet, hæc dialectica argumẽta deridebat, omnemque enunciationem rerumque omnium catenatas illas caussas antecedere negabat: imó omnem efficientiam fortuitis atomorum declinationibus tribuebat. Cicero reprehensionem Epicuream ut ineptam & fatuam coarguit, & sic exagitat, ut miserabilius Epicuro nil esse videatur. At bone, imó etiã dialectice Deus, utinam homines dialecticã artem aut veram nossent, aut omnino nullam nossent. Enunciatio, & ex contrariis mediõ carentibus disjunctio, res sunt in vera Dialectica notissimæ: tamen harum præceptionum ignoratio Chrysippum, Diodorum, Ciceronem ipsum, tantos nempe dialecticos, in sententias tam impias impulit, ut crederent, si disjunctio necessaria esset, partes quoque disjunctionis alteram necessarió falsam, alteram necessarió veram, id est, alteram necessariam, alteram impossibilem esse: itaq; ille immutabilem & sempiternam seriem, hi sempiternam omnis veritatis necessitatem confirmarent: Cicero tamen utrumq; & enunciationis & antecessionis argumentum persequitur, illud ex se inconstanter, hoc cõstanter á Carneade. Carneades autẽ veluti corypheus (fuit enim philosophorũ omnium disputator acerrimus) adversus Chrysippum postremus inducitur. Hic fatũ una summa ratione tollebat, quia fato posito nihil esset in nostra potestate: sed præcipué contra divinationem disputabat, nec divinationẽ sine fato posse cõsistere cõclusionib. contortis efficiebat. Itaque Deo divinationem & omnem rerũ con-

tingentium ſcientiam adimebat. Tantam Carneadis impietatem Cicero probavit, & quod magis mirere, tandem tam confuſis opinionum quaſi fluctibus obrueretur, ad Chryſippeos ſcopulos ejectus, Chryſippi fatum fallaci & captioſo arbitrio comprobavit. Sic tota de fato quæſtio diſceptatur, ut per iſtam Ciceronis logicam neſcias utrúm Poſidonii, Chryſippi, á quibus fatum defenditur; an Diodori, Epicuri, Carneadis, á quibus fatum accuſatur; an Ciceronis, á quo hæc controverſia diſceptatur & judicatur; gravior culpa ſit. At dici fortaſſe pro Cicerone judice poteſt, librum injuria temporis valde corruptum, totamque philoſophiam Ciceronis locis communibus, & quidem Academica licentia declamatis eſſe compoſitam: ideoque in ea Ciceronis judicium requirendum non eſſe, ſed potiús eſſe ex divina tanti oratoris eloquentia liberalem quendam orationis fructum excerpendum. Fateor, inquam, trūcum eſſe librum: & initió confirmatione Poſidonii & Chryſippi tota, & in his ſenilibus, Academicisque declamationibus magis oblectationem temporis & eloquentiæ exercitationem, quám rerum accuratam æſtimationem Ciceroni propoſitam fuiſſe, ut ſi quid reprehendendum ſit, non potiús Ciceronem quám Græcos philoſophos (á quibus per ocium rerum forenſium ſcholas iſtas transferebat) reprehendi conveniat: nec tamen ſi quid hîc falſum vel impium ſit, idcirco etiam laudandum vel approbandum judico: tantam veró Ciceronis eloquentiam eſſe, nō ſolúm fateor, ſed etiam

præ-

prædico, ut mihi vel si res alienissimas tractaret, tamen propter divinum orationis ornatum legendus & cognoscendus, & in eo modis omnibus imitandus esse videretur. Veruntamen ut Ciceronem oratorem summum esse concedo, ita summum dialecticum esse confiteri non possum: quamobrem autem, é rebus ipsis in Brutinis antea quæstionibus, & nunc in hac de Fato quæstione patefacio & commonstro. Sed his satis: Ciceronem de Fato disserentem audiamus.

M. T. CICERONIS DE FATO LIBER; PETRI RAMI VEROMANDVI PRÆLECTIONIBUS EXplicatus.



Via pertinet ad mores (quos ἤθη Græci vocant, nos eam partem philosophiæ de moribus appellare solemus, sed decet augentem linguam Latinam, nominare moralem) explicanda vis est, ratioq; enunciationum (quæ Græci ἀξιώματα vocant) quæ de re futura quum aliquid dicunt, deque eo quod possit fieri, aut non possit, quam vim habeant, obscura quæstio est, quam περὶ δυνατῶν Philosophi appellant, totaq; est al. λογική: *logica, quam rationem disserendi voco.*

PROPONUNTUR in exordio duæ caussæ susceptæ disputationis hujus. altera est, quia pertineat ad moralem philosophiam fati disquisitio, quia si fatalis illa necessitas esset, frustra præciperetur de moribus, qui præceptis adjuvari nil possent: altera est, & præcipua, quód conjunctione philosophiæ fiat uberior eloquētia. Liber sine principio si cuipiam videatur, quód ad absolutionem sentētiæ aliquid desit, ut verbi gratia: De Fato nobis scribendum est, quia pertinet ad mores: falsa caussa videbitur, quia Ciceronis oratio syntaxin hanc habet: Explicanda vis est enunciationum, quia pertinet ad mores. Ponitur autem quæstio ipsa initio, quód περὶ δυνατῶν, id est (ut in schola vulgus loquitur) de futuris contingentibus, in hoc libro disputatio sit futura. ἤθη] ἦθος significat mores, id est, virtutes, vitia, omnes deniq; habitus & affectus animi: cujus proprio nomine, vt Quintil. lib. 6 sentit, caret sermo Romanus. *Quos ἤθη*]

ἠθικ.] Hæc parenthesis ad rationem novati verbi *moralem* attinet, qualia Cicero in philosophia multa novavit, ut beatitudo, beatitas, comprehēsio, retentio sententię, inane, inanitas, individuum: de qua novitate Cicero ipse in primo Academico, & tertio de Finib. & Plutarchus in Cicerone. Cicero hîc igitur ἠθικὴν philosophiam novo nomine reddit *moralem*, quod superiores periphrasi dicebant *de moribus*. *Appellare solemus*] Clausula est carminis heroici, vitiosa, nec imitanda. *Enunciationum*] Enunciationis verbum videtur etiam in hanc saltem sententiam, ut oratio sit verum falsúmve significans, Latinis tum inusitatum fuisse, & factum á Cicerone: appellatur autem etiam hoc in libro enũciatum, & pronunciatio: aliis locis pronunciatum, effatum. Aristoteles ἀπόφανσιν καὶ πρότασιν, enũciationem & propositionem: aliquãdo θέσιν, ὑπόθεσιν, αἴτημα, ἀξίωμα, λῆμμα, λῆψιν, positionem, suppositionem, postulatum, enũciatum, sumtum, sumtionem vocat. Enunciationum autem verarum genera ipse Aristoteles in Logicis duo facit, ἀναγκαῖον, καὶ δυνατὸν, necessarium, & possibile. Possibiles enunciationes vocat contingentes, & ita definit, ut earum affirmatio in negationem, vicissimque negatio in affirmationem convertatur. Sic enim ait duodecimo capite primo prior. συμβαίνει πάσας τὰς κατὰ τὸ ἐνδέχεσθαι προτάσεις ἀντιστρέφειν ἀλλήλαις. Ex qua definitione Aristotelis, si propiús attendatur, patebit Ciceronis definitionem vitiosam esse, quæ omnium enunciationum est communis, etiam necessariarum & impossibilium, non solúm possibilium & contingentium, quia & necessaria & impossibilia possunt fieri, aut non possunt. Aliud autem est copulatio contradicentium, posse fieri & non fieri; aliud disjunctio, posse fieri aut non fieri. Veré autem δυνατὸν καὶ ἐνδεχόμενον definiretur, quod possit fieri & non fieri possit. Quamobrem Cicero in disputationis suæ proposito & titulo labitur: ut minús mirum sit, in sequentibus tam sæpe lapsum esse. Est autem hic fati quædam definitio, quia de rebus necessariis vel impossibilibus quæstio nulla est, sed utrúm ἐνδεχόμενα καὶ δυνατὰ, contingentia & possibilia, quæ dicũtur, etiã revera sunt necessaria, si futura sint; vel impossibilia, si nõ sint. *Obscura*] Omniũ quęstionũ

quæ in philoſophia & religione tractata unquam ſunt, hæc maxima ſemper fuit. Nam ſi fatalis eſt neceſſitas, nullum numen divinum, nulla libertas hominum, nullum arbitrium liberum eſt. περὶ δυνατῶν] Titulus fuit Græcis philoſophis uſitatus in hac quæſtione, ſicut eſt hodie Chriſtianis de libero arbitrio: quod Græco etiam verbo ob id fortaſſe Cicero propoſuit, vel quia *poſſibile*, quo tamen erat uſus Plautus, durum illi videbatur. δυνατὸν autem & ἀδύνατον Cicero pro domo, & in Timæo dicit Latiné fas & nefas. Pro domo, Q. Catule negabas fas eſſe duos conſules eſſe in hac civitate inimicos Reip. In Timæo jocum illum Platonis, εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν, Indicare in vulgus nefas, convertit: quomodo Cæſar & Horatius aliquando loquuntur. περὶ δυνατῶν] In titulis librorum articulus adhiberi non ſolet, adhibetur tamen aliquando. Sic enim Ariſtoteles inſcripſit περὶ τῆς ποιητικῆς, Ariſtippus περὶ τῆς παιδείας, Epicurus περὶ τῆς ἀρχῆς, Chryſippus περὶ τῆς ῥητορικῆς, Idem περὶ τῆς ἀνωμαλίας, Galenus περὶ τῆς ἀποδείξεως. *Logica*] Logica & Dialectica idem ſunt, & eandem artem tum inventionis in argumentis, tum diſpoſitionis in propoſitione, ſyllogiſmo & methodo ſignificant, ut in dialecticis noſtris ampliſſimé leges: alicubi tamen Cicero cúm de Stoicis loquitur, diſpoſitionem ſyllogiſmi Dialecticā vocat, ut in Topicis, & Oratorio ſecundo, quia Stoici ſolum ſyllogiſmum, quo judicium fieret, tractabāt. At idem Cicero etiam in Oratore Dialecticam vocat totam inventionis & judicii artem. Quod veró Tullius ait, hanc quæſtionem totam eſſe logicæ, id multis quidem partibus eſt verum, ut qui logicam accuraté didicerit, poſſit pleraque in hoc libro dijudicare: qualis eſt elenchus definitionis proximæ: qualia ſunt feré toto libro ſophiſmata, aut quæ refelluntur á Cicerone, aut quæ ab eo ipſo fiunt: Aſtrologica paucula ſunt: phyſica complura. Quod autem Cicero ait hanc quæſtionem de futuris contingentibus totam eſſe logicæ, non ait duas quæſtiones eſſe, alteram moralem, περὶ τῆς εἱμαρμένης, de fato; alteram logicam, περὶ δυνατῶν, cúm περὶ δυνατῶν fati gratia diſputet, totamque & de fato, & περὶ δυνατῶν quæſtionem moralem judicet, eandemque etiam logicam, quia hanc quæſtionem

æstimare, & futuri contingentis vim rationemque explicare, logicæ proprium est:& sic in logica ab Aristotele περὶ τῆς ἑρμηνείας disputatur, quomodo futuri contingentis contradictio sit vera. Λογικὴ autem pro *logica* si legatur, quia hæc disputatio dialectica quædam sit, ratio lectionis perridicula fuerit: nec enim hîc ars dialectica docetur, quamvis de ejus quibusdam præceptis altercatio sit:& planè falsus sit sensus, Tota quæstio est Logica, si Logica substantivum sit, cúm hîc permulta physica sint.

Quod autem in aliis libris feci, qui sunt de Natura Deorum, itemq; in his, quos de Divinatione edidi, ut in utramq; partem perpetua explicaretur oratio, quó facilius id á quoq; probaretur, quod cuiq; maximé probabile videretur: id in hac disputatione de Fato, casus quidam, ne facerem, impedivit. Nam quum essem in Puteolano, Hirtiusq; noster Consul designatus iisdem in locis vir nobis amicissimus, & iis studiis, in quibus nos á pueritia viximus, deditus: multúm uná eramus, maximé nos quidem exquirentes ea consilia, quæ ad pacem & ad concordiam civium pertinerent. Quum enim omnes post interitum Cæsaris novarum perturbationum caussæ quæri viderentur, hisq; esse occurrendum putaremus, omnis ferénostra in his deliberationibus consumebatur oratio: idq; & sæpé aliás, & quodam liberiore quám solebat, & magis vacuo ab interventoribus die, quum ad me ille venisset. primó ea quæ erant quotidiana, & quasi legitima nobis de ocio & de pace.

QUOD AUTEM] Prolepsis, quód hæc de fato disputatio non in utramque partem disputetur perpetua oratione: cui respondetur ex decori ratione, quia solus Hirtius aderat, qui Tullium philosophantem audire cuperet, nul-

lus aderat, qui contradiceret. Hirtius enim discipulus Ciceronis fuit, ut mox dicetur. Disseritur autem res in utramque partem, & pro fato, & contra fatum: sed non oratione perpetua, & ab uno Cicerone, non á diversis. *Utranque partem*] Academiæ novæ (quam Cicero maximé probavit) mos hic fuit, nullam sectam præcipué sequi, quod in omnibus verisimile esset, consectari: quod aliquando fiebat, disputando in utramque partem, ut in tribus libris de Natura Deorum, in duobus de Divinatione: aliquando tractando & disputando sine contradictione, quod probabile videretur, ut in Officiis, in Paradoxis, in Catone, ut hic de Fato. Vide his de rebus Audomari Talæi Academiam. *Puteolano*] Notat reliquas circunstantias, tum locúm (habuit veró Cicero prædia etiam alia, ut Cumanũ, ubi Academicæ quæstiones: & Tusculanũ, ubi Tusculanæ scriptæ sint: notat autem Blondus Ciceronis villas octodecim) tum etiam tempus post interitum Cæsaris valde conturbatum. Sic antea in bellis civilibus ad Demetrii Magnetis exemplum περὶ ὁμονοίας commentatus erat Tullius, ad quam Pompejum & Cæsarem cohortaretur: sic postea Cęsare interemto, jecit fundamenta pacis in templo Telluris, & ἀμνηστίαν usurpavit, ut est 1 Philipp. *Interventoribus*] Interventores appellat alibi interpellatores, ut ad Atticum: Sed interpellatores illic minús molesti. Et in Offic. Dictitat se hortulos emere velle, ubi se oblectare sine interpellatoribus possit.

Quibus acceptis, Quid ergo, inquit ille, quoniã oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certé philosophiam illis anteposuisti, possum ne aliquid audire? Tu veró, inquã, vel audire, vel dicere. Nec enim (quod recté existimas) oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quanquam flagrantissimum acceperam: nec ea quæ nunc tracto, minuũnt, sed augent potiús illam facultatẽ. Nam cum hoc genere philosophiæ quod nos sequimur, magnam habet orator societatem. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur, & ei

*vicissim reddit ubertatē orationis, & ornamenta dicendi. Quamobrem, inquam, quoniam utriusq; studii nostra possessio est, hodie utro frui malis, optio sit tua. Tum Hirtius, Gratissimum, inquit, & tuorum omnium simile: nihil enim unquam abnuit meo studio voluntas tua. Sed quoniam mihi Rhetorica vestra" sat nota, teq; in his & audivimus saepe, & audiemus, atq; hanc Academicorum contra propositum disputandi consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanae disputationes, proponere aliquid ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo. An mihi, inquam, potest quicquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? Sed ita audies, ut Romanum hominem, ut timidè ingredientem ad hoc genus disputandi, ut longo intervallo haec studia repetentem. Ita, inquit, audiam te disputantē, ut ea lego, quae scripsisti: proinde ordire.** L. sunt nota,

QUIBUS ACCEPTIS] Altera & praecipua disputationis hujus occasio, quia philosophiae conjunctione augeatur eloquentia. Sic 1 Tusc. ait, Aristotelis exemplo se cum eloquentia philosophiam conjungere: & in Oratore negat eloquentiam perfectam fore sine philosophia. In Ciceroniano collegimus Ciceronem Graecè & Latinè declamasse ad ultimum vitae diem, ut de Plutarchi errore appareat, qui ad praeturam tantùm arbitratur. Decorū autem in personis interea notādum est, ut modestè quaeratur, ut liberaliter respondeatur, ut discipulus quamvis flagrantissimus, à magistro tamen incendatur. Fuit autem Hirtius etiā tum Consul designatus, Ciceronis discipulus, ut 9 libro ad Papirium scribit Cicero: Hirtium, inquit, & Dolabellam dicendi discipulos habeo, coenandi magistros. Puto enim te audisse, si fortè ad vos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos coenitare. Pansam, Balbum, Oppium, Cassium, aliosq; eodem tempore instituit Cicero, quorum consuetudine iterum in Republ. plurimùm valuit. *Subtilitatem*] Haec vera est dialecticae & rhetoricae

distinctio: subtilitas enim & inventionis in cogitandis argumentis, & prudentia dispositionis in enunciatione, syllogismo & methodo, tota est philosophiæ dialecticę & logicæ, ad quam tota feré pertinet ista disputatio, ut initio dictum est; Ornatus autem elocutionis in tropis, figuris, & pronunciationis in voce & gestu, totus est rhetoricæ, & omnino proprius: & ut inventio & dispositio dialecticæ, sic elocutio & pronunciatio rhetoricæ: Sed hanc distinctionem tam accuratam non videtur Cicero intellexisse, qui aliis in libris vaná illam Aristotelis & Zenonis distinctionem (de qua in Brutinis quæstionibus abunde dictum est) sequatur, quód Dialectica sit eloquentia constricta & contracta: Rhetorica, dilatata dialectica. *Tusculana*] In Tusculana villa habitæ: quæ tamen non omnes habent illam perpetuæ orationis contradictionem, cujus gratia prolepsis facta est. *Gratissimum*] Laudat Hirtius Ciceronis liberalitatem, & optionis sibi factæ partē alteram removet, ut retineat alteram. Disjuncti autem syllogismi quædam vis est hîc inclusa. Aut philosophemur, aut declamemus, ait Cicero: Non declamemus (ait Hirtius) sed philosophemur. *An mihi*] Concludit exordium modesta & decora sui extenuatione. *Romanum*] Quia Romani militaribus & politicis studiis magis erant dediti quám scholasticis disputationibus. Itaque Romanum dicit, non de schola atque á magistro scholasticisq; artibus eruditū, ut Oratorio 2 loquitur. Hinc ad disputationem (quæ nunc extat) magna lacuna interjecta est. Nec enim quæstio de more ponitur, quę fuerat ante illa, *Proinde ordire.* & apparet contra Stoicos fati assertores, Posidonium & Chrysippum, fuisse disputatum, quia de Posidonii argumentis quędam hic recolliguntur: & Cicero ipse tandem dicet, Videamus in assensionibus, quas prima oratione tractavi. At de assensionibus hîc nullum verbum est.

** Consideramus Hirti: quorum in aliis, ut in Antipatro Poëta, ut in brumali die natis, ut in simul ægrotantibus fratribus, ut in urina, ut in unguibus, ut in reliquis ejusmodi, naturæ contagio vale-*

"*valeret; quam ego non tollo, vis est nulla fatalis: in alüs autem fortuita quædam esse possunt, ut in illo naufrago, ut in Icadio, ut in" Daphita. Quædam etiam Posidonius (pace mag. stri dixerim) comminisci videtur. Sunt, inquam, quidem absurda. Quid enim si Daphitæ fatum fuit de equo cadere, atque ita perire: ex hoc ne equo, qui, quum equus non esset, nomen habebat alienum? aut Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur? Quasi vero capulo sit occisus. Quid autem hoc, magnum & naufragum illum sine nomine in rivo esse lapsum? quanquam huic quidem hic scribit prædictum, in aqua esse pereundum." Ne hercule Icadii quidem prædonis video fatum ullum. Nihil enim scribit et prædictum. Quid mirum igitur, ex spelunca saxum in crura ejus incidisse? Puto enim, etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse. Nam aut nihil omnino est fortuitum, aut hoc ipsum potuit evenire fortuna. Quæro igitur, atq; hoc laté patebit, si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, & forté, temeré, casu aut pleraq; fierent, aut omnia: num aliter ac nunc eveniunt, evenirent? Quid ergo attinet inculcare fatum, quum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunámve referatur?*

fort. valet:

al. Daphida.

L. Ne me hercule Icadii: prædonis quidem vid.

CONSIDERAMUS] Sequitur igitur fati assertio ex duabus sententiis Posidonii & Chrysippi: Prima est Posidonii, qui confirmare voluit fatum contagione naturæ & siderum affectione, sicuti pauló póst ex Augustino magis intelligetur: quæ sententia valde absurda est, & hîc veré reprehensa: sic enim respondetur Posidonii exemplis ad confirmandum fatum productis, ut ea partim ad caussas na-

turales referantur, partim ad fortuitas, partim etiam, ut falsa & commentitia, rejiciantur. Posidonius autem Stoicus inprimis nobilis fuit, de quo Cicero secunda Tusculana, ad quem audiendum, licet ęgrotum & in lectulo jacentem, tamē Rhodum divertit Pompejus, tum Orientis spoliis & victoriis superbus: intraturusque fores de more percuti á lictore vetuit, & fasces lictorios januæ summisit is, cui se Oriens Occidensque summiserat: Plinius 7 libro, 30 capite. Cicero autem gloriatur 2 de Natura Deorum, se doctoris hujus discipulum fuisse. Principes (ait) illi Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, á quibus instituti sumus. Scripserat autem quinque libros de Divinatione Posidonius, ut est 1 de Divinat. ubi & de fato esse potuit, quia divinatio illis erat á Deo, fato, natura, ut est 2 de Divinatione. Huic Marcus Tullius sui Cōsulatus historiam scribendam tradidit, sed ille commentario Ciceronis deterritus est, ut est in prima epistola secundi libri ad Atticum. *Antipatro*] Antipater Sidonius Poëta omnibus annis uno die natali tantúm corripiebatur febre, & eo consumtus est satis longa senecta: Plinius libro 7, capite 51. Et Valerius Maximus libro 1 capite 8, At Poëta Antipater Sidonius omnibus annis, uno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur: cúmque ad ultimam ætatem pervenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumtus est. *Brumali die natis*] Quo pulegium floret in carnariis, ait Plinius libro 18, capite 25: quod idem ait Cicero 2 de Divinat. Cancer & Capricornus portæ cæli dictæ sunt: Cancer hominum, quia per eum descensus esset animis in terras: Capricornus Deorum, quia per eum animæ in propriam immortalitatis sedem & in Deorum numerum reverterentur. Hinc igitur potuit astrologicum esse θεώρημα quoddam de natis brumali die, ut erit postea de natis oriente Canicula, quod á Chaldæis videtur profectum, qui de natali cujusque ita divinabant, ut postea magis intelligetur. Chaldæis veró in prædictione & notatione cujusque vitæ ex natali die minimé credendum esse Eudoxus disseruit, ut est 2 de Divinat. *Fratribus*] De fratribus simul ægrotantibus scribit Augustinus de civitate Dei, lib. 5, cap. 2, & 3, quæ ad verbum subjeci, ut saltem de amissa Ciceronis senten-

ſententia poſſet aliquid intelligi. ſic igitur ait Auguſtinus: Cicero dicit Hippocratem nobiliſſimum medicum, ſcriptum reliquiſſe, quoſdam fratres, cúm ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingraveſceret, eodem levaretur, geminos ſuſpicatum: Quos Poſidonius Stoicus multum aſtrologiæ deditus, eadem conſtitutione aſtrorum natos, eademque conceptos ſolebat aſſerere. Ita, quod medicus pertinere credebat ad ſimillimam temperiem valetudinis; hoc philoſophus aſtrologus ad vim conſtitutionemque ſiderum, quæ fuerat quo tempore concepti natiq; ſunt. In hac cauſſa multó eſt acceptabilior, & de proximo credibilior conjectura medicinalis: quoniam parentes, ut erant corpore affecti dum concumberent, ita primordia conceptorum affici potuerunt, ut conſecutis ex materno corpore paribus incrementis, paris valetudinis naſcerentur: deinde in una domo eiſdem alimentis nutriti, ubi aërem & loci poſitionem, & vim aquarum plurimúm valere ad corpus vel bene vel malé accipiendum medicina teſtatur: eiſdem etiam exercitationibus aſſuefacti, tam ſimilia corpora gererent, ut etiam ad ægrotãdum uno tempore, iiſdemq; cauſſis ſimiliter moverentur. Conſtitutionem veró cæli ac ſiderum, quæ fuit quando concepti ſive nati ſunt, velle trahere ad iſtam ægrotandi parilitatem, cúm tam multa diverſiſſimi generis animalia diverſiſſimorum affectuum & eventuum eodem tempore in unius regionis terra, eidem cælo ſubdita potuerunt concipi & naſci, neſcio cujus ſit inſolentiæ. Nos autem novimus, geminos non ſolúm actus & peregrinationes habere diverſas, verúm etiam diſpares ægritudines perpeti. De qua re facillimam, quantum mihi videtur, rationem redderet Hippocrates, diverſis alimentis & exercitationibus, quæ non de corporis temperatione, ſed de animi voluntate veniunt, diſſimiles eis accidere potuiſſe valetudines. Porró autẽ Poſidonius, vel quilibet fataliũ ſiderum aſſertor, mirũ ſi poteſt hic invenire quid dicat, ſi nolit imperitorum mentibus, in eis quas neſciunt rebus illudere. Quod enim conantur efficere de intervallo exigui temporis, quod inter ſe gemini dum naſcerẽtur habuerũt, propter cęli particulam, ubi ponitur horæ notatio, quã horoſcopũ vocant, aut non

tantum valet, quanta invenitur in geminorum voluntatibus, actibus, moribus, casibusque diversitas: aut plus etiam valet, quám est geminorum vel humilitas generis eadem, vel nobilitas: cujus maximam diversitatem non nisi in hora, qua quisque nascitur, ponunt. Ac per hoc si tam celeriter alter post alterum nascitur, ut eadem pars horoscopi maneat, cuncta paria quæro, quæ in nullis possunt geminis inveniri: si autem sequentis tarditas horoscopum mutat, parentes diversos quæro, quos gemini habere non possunt. Frustra itaque affertur nobile istud commentum de figuli rota, quod respondisse ferunt Nigidium hac quæstione turbatum, unde & Figulus appellatus est. Dum enim rotam figuli vi quanta potuit intorsisset, currente illa bis numero de atramento, tanquam uno ejus loco summa celeritate percussit: deinde inventa sunt signa quæ fixerat, desistente motu, non parvo intervallo in rotæ illius extremitate distantia. Sic, inquit, in tanta cæli rapacitate, etiam si alter post alterum tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis ipse percussi, in cæli spacio plurimum est. Hinc sunt, inquit, quæcunque dissimillima perhibentur, in moribus casibusq; geminorum. Hoc figmentum fragilius est, quám vasa, quæ illa rotatione finguntur. Nam si tam multum in cælo interest, quod constellationibus comprehendi non potest, ut alteri geminorum hæreditas obveniat, alteri non obveniat: cur audent cæteris, qui gemini non sunt, cúm inspexerint eorum constellationes, talia pronunciare, quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, & momentis annotare nascentium? Si autem propterea talia dicunt in aliorum genituris, quia hæc ad productiora spacia temporum pertinent: momenta veró illa partium minutarum, quæ inter se possunt habere gemini nascentes, rebus minimis tribuuntur, de qualibus mathematici non solent consuli. Quis enim consulat, quando sedeat, quando deambulet, quando vel quid prandeat: nunquid ista dicimus, quando in moribus, operibus, casibusq; geminorum plurima, plurimumque diversa monstramus? Hactenus Augustinus: quo etiam in libro multa alia disputantur adversus astrologos non minus eleganter & magnificé, quám graviter & veré, quód stellæ nec á se, nec á

Deo

Deo talem potentiam habeant, ut nostros animos vi sua vel ad vitia, vel ad virtutes cogant, totumq; mathematicorum fatum acutissimis & verissimis argumentis accusat, & condemnat. *Urina*] Ex urina & unguibus medici permulta augurantur. Plin. lib. 28, cap. 6, Auguria valetudinis ex urina traduntur. Si mané candida, dein ruffa sit: illo modo concoquere, hoc concoxisse significatur: mala signa rubræ, pessima nigræ: mala bullantis & crassæ; in qua quod subsidit, si album est, significat circa articulos aut viscera dolorem imminere. eadem viridis, morbum viscerum, pallida bilis, rubens sanguinis. mala & in qua veluti furfures atque nubeculæ apparent: diluta quoque alba vitiosa esse: mortifera veró crassa, gravi odore: & in pueris tenuis ac diluta. Michaël Angelus Blondus in Physiognomonia ex unguibus signa varia colligit: é mollibus ingenium, curvis & concavis imprudentiam & ignorantiam, candidis probitatem, honores, opes, é nigris contraria, é deciduis lepram. *Contagio*] Contactus, contagium, contages, contagio idem: Cum veró mundi partes aliæ contingantur ab aliis, si non corpore, certé facultate sua & qualitate. Hinc contagio naturæ consensus, concentus, cognatio, quæ Græcis συμπάθεια, ut Cicero 2 de Divinat. interpretatur. *Icadio*] De Icadio prædone saxi ruina interfecto, Cicero pauló póst. *Daphita*] De Daphita Valerius lib. 1, cap. 8, quem Daphidam vocat, ita scribit. Non invitus huic subnecto Daphidam, ne quis ignoret, quantum interfuerit cecinisse Deorum laudes, & numen obtrectasse. Hic cúm ejus studii esset, cujus professores Sophistæ vocantur, ineptæ & mordacis opinationis, Apollinem Delphis irridendi caussa consuluit, An equum invenire posset, cúm omnino nullum habuisset. Cujus ex oraculo reddita vox est, inventurum equum, sed ut eo perturbatus periret. Inde cúm jocabundus quasi delusa sacrarum sortium fide reverteretur, incidit in regem Attalum, sæpenumero á se contumeliosis dictis absentem lacessitum: ejusque jussu saxo, cui nomen erat Equi, præcipitatus, ad Deos usque cavillandos dementis animi justa supplicia pependit. Strabo scribit lib. 14, in Thorace monte crucifixum fuisse Daphitam grammaticum, propterea quód reges versibus incesseret: versus autem hos ponit:

Πορφύρεοι μώλωπες, ἀποῤῥινήματα γάζης
Λυσιμάχου, Λύδων ἄρχετε καὶ Φρυγίης.
Purpurei stimuli: fex ultima divitiarum
Lysimachi, Lydos subditis & Phrygiam.

Ex quo natum illud, Cave Thoracem. *Philippus*] De Philippi cæde scribit Justinus lib, 9, quemadmodum Pausanias in regem (á quo punitionem stupri, per vim ab Attalo sibi illati, impetrare non posset) injuriæ suæ ultionem converterit. & Valerius de oraculo scribit eodem illo loco sic: Eodem oraculo Macedonum rex Philippus admonitus, ut á quadrigæ violentia salutem suam custodiret, toto regno disjungi currus jussit, eumq; locum, qui in Bœotia Quadriga vocatur, semper vitavit: nec tamen denunciatum periculi genus effugit: nam Pausanias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam. *Quadrigulas*] Quadrigarum nomine significatur currus quatuor equis junctus: quales in Circensibus ludis certabant. Effigies autem quadrigarum ejusmodi est insignis in marmoreo lavacro in hortis regiæ Bellaqueæ: est item in simulacro urbis Romæ. Hinc sunt illa Ciceronis: Nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim, aut tertium, qui vix é carceribus exierit: in Bruto. & ibidem, Sed in te intuens, Brute, doleo, cujus in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehentem, transversa incurrit misera fortuna Reipubl. Hęc effigies equestris in gladii capulo insculpta, nobilem adolescentem decebat. Aliquãdo idem nomen significat ipsos equos, á quibus currus agitur: Colum. lib. 3, cap. 9, unde sacrorum certaminum studiosi perniciissimarum quadrigarum semina diligenti observatione custodiunt, & spem futurarum victoriarum concipiũt, propagata sobole generosi armenti. Currus etiam potest intelligi, pręsertim cúm fuerit in Oraculo, ἅρμα φυλάττεσθαι, currum caveto, quo nomine vicus ille Bœotiæ dicebatur, tametsi potest ὁμωνυμία in Gręco par esse. *Quaero igitur*] Concludit refutationem Posidonii: Cúm omnium propositorum exemplorum causse referri possint ad naturam aut fortunam, fato nihil est opus.

Sed

Sed Posidonium, sicut æquum est, cum bona gratia dimittamus: ad Chrysippi laqueos revertamur. Cui primùm quidem de ipsa rerum contagione respondeamus, reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas quantum intersit videamus: alios esse salubres, alios pestilentes, in aliis pituitosos, & quasi redundantes, in aliis exiccatos atq; aridos: multaq; sunt alia, quæ inter locum & locum plurimùm differant. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis, itaq; pingues Thebani, & valentes: tamen neque illud tenue cælum efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Arcesilam, aut Theophrastum audiat: neq; crassum, ut Nemea potius quàm Isthmo victoriam petat. Disjunge longiùs. Quid enim loci natura afferre potest, ut in porticu Pompeji potiùs quàm in campo ambulemus? tecum, quàm cum alio? Idibus potiùs, quàm Calendis?

SED POSIDONIUM] Secunda pro fato sententia sequitur, quę est Chrysippi. Hic veró fatum sic definiebat in libro de Providentia, ut est apud Gellium: εἱμαρμένη ἐστὶ φυσικὴ σύνταξις τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. Fatum est naturalis series rerũ omniũ, quæ ex æterno tempore sic aliis aliæ contextæ connexæq; sunt, ut ejusmodi nexus cõtextusq; dissolvi & dissipari non possit; sicut in præfatione dictum est. Hanc sẽtẽtiam deinceps tractat Cicero, & eam primùm refellit, tandem tamẽ captiosa & fallaci caussarũ distinctione captus approbat. Collegerat igitur Chrysippus ad illam caussarum seriem sempiternam demonstrandam multa argumenta, contagionem naturæ, divinationem, enunciationis definitionem, antecessionem caussarum. Atque in primo collegerat variorum effectuum naturales caussas, quas Cicero,

ut antea Posidonio respondit, confitetur ad multas res pertinere, ad omnes autem valere negat. *Revertamur*] Aliquando reverti pro accedere dicitur: 3 Agrar. De commodo vestro priùs dicam, deinde ad amplitudinem & dignitatem revertar: & ita citatur hic locus à Grammaticis: attamen satis constat, antea de Chrysippi argumentis dictum esse, quemadmodum cõtagione, divinatione, enunciatione, antecessione caussarum fatum confirmarit, nec omnino iis respõderetur, ut mox respondebitur, nisi antea confirmata essent, & par est confirmationẽ fati magnam aliquam præcessisse, ut ista refutatio sequeretur. Quare reverti nunc est redire. *Inter locorum*] Tale est argumentum 1 de Divinat. Sunt partes agrorum aliæ pestilentes, aliæ salubres, aliæ quæ acuta ingenia gignant, aliæ quæ retusa: quæ omnia fiunt ex cæli varietate, & ex disparili aspiratione terrarum. *Tenue celum*] Ex tenui cælo acumen ingenii naturale est, quia sicuti philosophi & medici docent, animi mores & affectiones sequuntur corporis temperaturam, quæ maxima parte ex aëris constitutione efficitur. Sic Virgilius physicè scilicet fingit purgatis in Elysio campo animis, & integræ naturæ restitutis, aërem esse puriorem:

Largior hic campos ather & lumine vestit
Purpureo: Solemq; suum sua sidera norunt.

Valentes] Valentes dixit pro robustis. sic pauló póst, valentes imbecillíne, contraria opposuit. *Zenonem*] Zeno Stoicæ sectæ princeps Citieus fuit ex Cypro: Arcesilas Prytaneus ex Æolide; Theophrastus Lesbius, singuli in suis sectis excellentes, Zeno in Stoica, Arcesilas in Academica, Theophrastus in Peripatetica. *Nemea*] In Nemea sylva Achaiæ, certamina sacra erant Herculi, ut in Isthmo Corinthiaco, Neptuno. Isthmus autẽ propriè terra est angusta inter duo maria, ut Porthmos, id est, fretum, mare angustum inter duas terras. hic tropicῶs sumitur pro Isthmo Corinthiaco. *Porticu*] Porticus Pompeji ad similitudinẽ amphitheatri Romę erat amplissima, cujus meminit Plin. lib. 36, cap. 15, Pompejani amphitheatri cavea, toties multiplicata urbe, tantoq; majore populo, sufficiat largé quadraginta millibus. Porticus autem erat unius gradus, & in

qua

qua erat Pompeji statua jussu populi constituta, ait Plutarchus in Bruto. De qua Ovidius 1 de Arte:

Tu modò Pompeja lentus spaciare sub umbra,
Cum Sol Herculei terga leonis adit.

Item Propertius,

Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis
Porticus, aulæis nobilis Attalicis.

Hæc igitur de porticu Pompeja.

Ut igitur ad quasdam res natura loci pertinet, " & operatur aliquid, ad quasdam autem nihil: sic affectio astrorum valeat, si vis, ad quasdam res; ad omnes certè non valebit. At enim quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent, alii libidinosi, alii iracundi, aut crudeles, aut superbi sint, " alii talibus vitiis abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantùm natura à natura distat, quid mirum est has dissimilitudines ex differentibus caussis esse factas? Hæc disserens, qua de re agatur, & in quo caussa consistat, non videt. Non enim si alii ad alia propensiores sint propter caussas naturales & antecedentes, idcirco etiam nostrarum voluntatum atque appetitionum sunt caussæ naturales & antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet: nunc verò fatemur, acuti hebetésne, valentes imbecillíne simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut sedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis esse: is non videt quæ quamque rem res consequatur. Ut enim & ingeniosi, & tardi ita nascantur antecedentibus caussis, itemque valentes & imbecilli: non sequitur tamen, ut etiam sedere eos, & ambulare, & rem agere aliquam, principalibus caussis definitum & constitutum sit. " Stilphonem Megareum philosophum, acutum sanè

& operatur aliquid, Lab. delet.

L. alii à talib.

L. Stilponē.

hominem, & probatū temporibus illis accepimus: hunc scribūt ipsius familiares & ebriosum & mulierosum fuisse. Neq; hoc scribunt vituperantes, sed potiùs ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem nónne legimus quemadmodum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasq; ex corpore, oculis, vultu, fronte, pernoscere? stupidum esse Socratem dixit & bardum, quód jugula concava non haberet, obstructas eas partes & obturatas esse dicebat: addidit etiam mulierosum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Sed hæc ex naturalibus caussis vitia nasci possunt: extirpari autem & funditus tolli, ut is ipse qui ad ea propensus fuerit, á tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus caussis, sed in voluntate, studio, disciplina.

UT IGITUR] Concludit refutationem contagionis, quód non omnia fiant necessitate vel naturæ vel astrorū, caussasq; naturales disciplina domari posse. *At enim*] Proponit argumentationem Chrysippi, in eaq; duo vitia reprehendit, quód alienam rem concludat, non propriam quæstionem: deinde inconsequentiam propriæ quæstionis, quia ex ea non sequatur omnia fato fieri. *In nostra potestate*] Hoc contra Chrysippum valet, qui tametsi fatum probabat, retinebat saltem verbo arbitrium liberum, ut erit in fine libri hujus. *Qui autem*] Distinguit adversus Posidonium & Chrysippum, ut ante, effectus naturalium caussarum, ab effectis voluntariarum: eamq; distinctionem duobus exemplis illustrat, in quibus naturales vitiorum caussæ voluntariis studiis edomitæ sunt. *Ne ut*] Si quis legat *ut ne*, argumenti sensum nesciet. *Princi-*

cipalibus] Principales caussas vocat absolutas, & per se suũ opus efficientes, ut in fine hujus libri dicetur. Caussarum aliæ sunt perfectæ & principales, aliæ adjuvantes & proximæ. *Stilphonem*] Stilpho fuit Euclidis discipulus, Zenonis Stoici magister, cujus vita est lib. 2, apud Laertium. *Ebriosum*] Ebriosus & mulierosus hic non significant habitum consuetudine vitiosa comparatum ad vinum & ad mulieres, sed naturalem proclivitatem, de qua Cicero 4 Tusc. *Socratem*] Hæc historia de Socrate 4 Tusc. plenior sic est: Cùm multa in conventu vitia collegisset in Socratem Zopyrus, qui se naturam cujusq; ex forma perspicere profitebatur, derisus est á cæteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent; ab ipso autem Socrate sublevatus est, cùm illa sibi signa fuisse, sed ratione dejecta esse diceret. Quid autem physiognomon significet, sua definitione hîc explicatur. Jugulus vel jugulum, unde vox halitusque procedit: hinc petere & dare jugulum, id est, vitam: quia spiritu (cujus organũm est jugulum) amisso vita pereat. Hic autem jugula sunt concavitates in extrema thoracis parte sub clavibus, quæ σφαγαὶ Græcé dicuntur. Celsus lib. 8, á dextro jugulo, si id fractum est, ad alam sinistrã, á sinistro ad dextram. *Alcibiades*] Atheniensis princeps, Socratis auditor, dialogis Platonis abunde celebratus. *Sed hæc*] Concludit, naturales caussas voluntariis studiis domari posse.

Quæ tolluntur omnia, si vis & natura fati ex divinationis ratione firmabitur. Etenim si est divinatio, qualibet natura à" præceptis artis proficiscitur." Præcepta appello, quæ dicuntur Græcé θεωρήματα. Nõ enim credo nullo" præcepto aut cæteros artifices versari in suo munere, aut eos qui divinatione utantur, futura prædicere. Sunt igitur astrologorũ" præcepta hujusmodi: Si quis, verbi caussa, oriente Canicula natus est, is in mari non morietur. Vigila Chrysippe, ne tuam caussam, in qua tibi cum Diodoro valente dialectico magna lucta-

L. perceptis
L. percepta
L. percepto
L. percepta

tio est, deseras. Si enim est verum quod ita connectitur, Si quis oriente Canicula natus est, in mari non morietur: illud quoque verum est, Si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur. Pugnant igitur hæc inter se, oriente Canicula natum esse, & in mari Fabium moriturum: & quoniam certum in Fabio ponitur, ortum esse eum Canicula oriente, hæc quoq; pugnant, & esse Fabium, & in mari esse moriturum. Ergo hæc quoque conjunctio est ex repugnātibus, & est Fabius, & in mari Fabius morietur: quod, ut propositum est, ne fieri quidem potest. Ergo illud, morietur in mari Fabius, ex eo genere est, quod fieri nō potest. Omne igitur quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest.

QUAE TOLLUNTUR] Disputatum est adhuc contra Chrysippi primum argumentum, sequitur contra secundum, loco tamen trunco valde & mutilo, sententia Diodori. Hic autem Diodorus videtur esse Cronus cognominatus, qui primus fertur invenisse involutum & cornutum differendi genus, qualis erat in primis hoc libro ipsius disputatio. Hic cúm á Stilphone in convivio apud Ptolemæū Soterem dialectica quæstio quædam proposita esset, & exemplo solvere nequisset, á rege reprehensus, & Cronus in jurgio vocatus, convivium deseruit, egressusque librum de ea quæstione conscripsit, vitamque mœrore finivit. vide Laertium secundo libro. Diodorus etiam Peripateticus quidam in Lucullo nominatur: & Diodorus item Stoicus fuit Ciceronis magister, de quo ibidem: Diodoro quid faciam Stoico, quem á puero audivi, qui mecum vivit tot annos, qui habitat apud me, quem admiror & diligo, qui ista Antiochea cōtemnit? quinta Tusculana: Diodorus cęcus fidibus Pythagoreorum more canebat, & Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens discentibus, unde quó quamque lineam scriberent. Ergo tam multiplex Diodorus

rus est, neq; Cicero definit, & Victorius, ut de nomine tota res incerta sit, *Diodorus* hoc loco legit. Si tamen *Diodorus* legatur, videtur superior, aut æqualis ætate Chrysippo fuisse, cúm ei Chrysippus respondeat. Hactenus veró duæ pro fato sententiæ fuerunt, Posidonii & Chrysippi, deinceps tres reliquæ contra: Tertia nempe hujus Diodori, qui negavit ullum fatum esse, & tamen hoc novi attulit, quód omnia vera etiam necessaria diceret, falsa autem impossibilia, δυνατὸν καὶ ἐνδεχόμενον nihil relinqueret, quod tamen Chrysippus relinquebat. Diodorus igitur, ut omnium verorum perpetuam necessitatem confirmaret, arripiebat á Stoico divinationem: & in eum retorquebat, disputabatque, quod verum esset, & futurum, id esse necessarium: quod non esset futurum, idem esse impossibile, neque mutari posse. Sentẽtia falsa est, multa enim nunquam mutabũtur, quæ mutari tamen possunt. At qui talem veritatis omnis necessitatẽ inducit, non minús fatum confirmat, quám qui naturalem & sempiternam caussarum seriem cõstituit. Diodori probatio captiosissimo sorite contexitur. Ponitur hîc autem unum divinationis præceptum ab Astrologis, cujus similia reliqua omnia Diodorus velit intelligi, ut si in uno exemplo, quod verum sit, sit etiam necessarium, reliqua item divina prædicta sint quoq; necessaria, deniq; omnia divinitús præscita. *Divinationis*] Divinatio est præsensio rerum futurarum, primo de Divinat. Dicitur autem á divis, ut μαντικὴ Græcé á furore, ut est primo de Natura Deor. Divinatio est artis aut naturæ, artis in extis, monstris, fulguribus, avibus, astris, sortibus: naturæ, in furore vaticinii, in somniis, ut est primo de Divinatione. *Præceptis*] Præcepti verbum videtur in hanc sententiam novatum esse á Cicerone, ut anté enunciationis verbum novatum est. Tametsi in quibusdam libris *perceptis* legitur: at percepta experientiæ sunt, unde præcepta & decreta artium oriuntur: & perceptiones atque experientiæ sunt singularum rerum, præcepta generaliũ & universalium. & sic Galenus vim verbi in compendio artis empiricæ probavit: sed idem clariús in libro de Optima secta θεωρήματος tres proprietates expressit, ut sit verum, commodum, ἀκόλουθον, consequens principiis: quod

præceptionis est artificiosæ, non perceptionis & observationis empiricæ. *Canicula*] Procyon apud Romanos non habet nomen, nisi Caniculam hanc velimus intelligi, hoc est, minorem canem, sané ut in astris pingitur, ait Plinius libro decimooctavo, capite vigesimooctavo: attamen canicula dicitur stella in ore canis majoris, & procyon, vulgó antecanis. Canis autem ortum sentiunt maria & terræ; multæ veró & feræ: neq; est ei minor veneratio quám descriptis in Deos stellis: accenditq; Solem, & magnam æstus obtinet caussam, ait Plinius ibidem. Itaq; decretum astrologicum aliquod fuerat, Nō periturum mari, qui Canicula oriente natus esset. *Vigila*] Apostrophe ad Chrysippum jocularia, quasi in hac disputatione Diodoro succumbentem: allegoria est ab athletis. *Si enim*] Sequuntur Diodori laquei adversus Chrysippum valde contorti: sorites est septem graduum. In primo veritas assumitur simpliciter: unde secūdus sequitur: in tertio, quarto, quinto, repugnantia tanquam necessaria assumitur, sed falsó, cúm ea tantúm sit ex hypothesi: quinto autem multó audaciore fallacia concluditur impossibile absolutum, sicuti sexto & septimo. At astrologica divinatio non aliter quám medica, quám physiognomonica, statuitur in rebus contingentibus, quæq; possunt & esse & non esse. Hæc igitur Diodori sophismatis cornua valde obtusa sunt: ubi Cicero dicit connecti enunciatum, quod conjunctione *Si* conjungitur, quomodo connexum postea sæpe dicit: & nos á Cicerone hanc proprietatem & elegantiam mutuati sic in Dialecticis appellavimus. *Conjunctio*] Conjunctio nunc vocatur á Cicerone enunciatio, conjunctione copulativa (ut Grammatici loquuntur) conjuncta. *Omne igitur*] Hic pòstremus soritæ gradus captiosé ex falsis concluditur. Atq; ex iis nugis apparet, quanta in Chrysippo & in Diodoro vanitas fuerit, cúm & Diodorus his sophismatis tam plumbeis, pro certis & veris argumentis uteretur: & Chrysippus tamen, ut pauló póst apparet, his respondere non posset: imó veró etiam constat Ciceronem laqueis istis valde simpliciter irretitum fuisse, qui Diodori sententiam tam fallacem & falsam ste approbarit, & Chrysippi hac in re verissimam sententiam improbarit.

At hoc Chrysippe minimé vis, maximéq; tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est. Ille enim id solùm fieri posse dicit, quod aut sit verũ, aut futurum sit verum: & quicquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse: & quicquid non sit futurum, id negat fieri posse: Tu & quæ non sint futura, posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam si id nunquã futurum sit: neq; necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quanquam id millesimo anté anno Apollinis oraculo editum esset. At si ista comprobabis divina prædicta, & quæ falsa in futuris" dicentur, in his habemus, ut ea fieri non possint: ut si dicatur Africanum Carthagine potiturum; & si veré dicatur de futuro, idq; ita futurum sit, dicas esse necessarium: quæ est tota Diodori vobis inimica sententia. Etenim si illud veré connectitur, Si oriente Canicula natus es, in mari nõ moriêre, primumq;, quod est in connexo, Natus es oriente Canicula, necessarium est. omnia enim vera in præteritis necessaria sunt, ut Chrysippo placet, dissentienti à magistro Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum é vero præterita possunt cõverti. Si igitur quod primum in connexo est, necessarium est, fit etiam quod consequitur, necessarium: quanquam hoc Chrysippo nõ videtur valere in omnibus: sed tamen si naturalis est caussa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest.

L. dicantur, in iis habebis, ut ea fieri nõ possint, ut si dicatur, Fabium in mari perituurũ: &, quod veré dicatur de futuro, quodq; ita futurum sit, ut Africanũ Karthaginẽ potiturum, dices esse necessarium.

AT HOC] Comparat apertiùs Diodori Chrysippique sententiam. *Cypselum*] Cypselus tyrannus fuit Corinthiorum, de quo Aristoteles bis 5 Politico, & Cicero 5 Tuscul. Demaratus (inquit) Tarquinii regis pater tyrannum Cypselum quód ferre non poterat, fugit Tarqui-

nios Corintho, & ibi fortunas suas constituit, ac liberos procreavit. Historia narratur apud Herodotum, quomodo genitus sit ex Aëtione & Labda, & regnum sit ei prædictum ab Apolline. *Habemus*] Assumit Diodoream illam cujuscunq; veritatis necessitatem tanquam certam & confessam: at cornibus illis jam antè exectis sophisma mutilum jacuit. *Africanum*] Scipio major Carthaginem tributariam Romanis reddidit, minor funditùs delevit. *Etenim*] Repetit Astrologicum divinationis exemplum, & complexionem ex eo factam necessariam esse contendit, ex syllogismi quadam circunstantia, in qua si vera sit propositio, & assumtio necessaria, necessaria quoq; sit complexio: quod ἀσυλλόγιστον & captiosum est. Nec enim si propositio syllogismi vera sit, assumtioq; necessaria, complexio ideo necessaria concludetur: ut si prædiceretur, omne animal cras esse cursurum, idq; ita esset futurum, hæc enunciatio veré ex hypothesi connecteretur, Si equus esset animal, equus curreret, assumtioq;, At equus est animal, necessaria item est: complexio tamē, Ergo equus curret, non ideo erit necessaria absoluté, sed contingens: Tum veró si propositio etiam necessaria esset, attamen de genere conclusionis etiam quæreretur, utrúm id firmum esset, sicuti in dialecticis quæsitum est á nobis adversus Aristotelem: at propositio connexi Diodorei aut Ciceroniani necessaria non est, imó fallax, ut Eudoxus astrologorum princeps adversus Chaldæos disseruit. Quare dum hoc modo Chrysippum Tullius Diodori sophismate refellit, logicam mirificam nobis ostendit. *Omnia enim*] Parenthesis interposita hyperbaton longius efficit, quod laborem Ciceronis in quæstione sibi difficiliore laborantis indicat. *Cleanthe*] Cleanthes auditor & successor Zenonis Stoici, tanta diligentia, tantaque industria, ut licet ingenio tardus, licet pauper, tamen & naturæ & fortunæ impedimenta vicerit. Nocturnis enim operis diurna philosophiæ studia sustentabat, & ingenii tarditatem exercitationis & meditationis assiduitate superabat. vita ejus est apud Laërtium. Hic igitur fortasse præterita á liberis & contingentibus caussis profecta sic absoluté necessaria non putabat, ut quæ á necessariis caussis essent effecta: ut

ut non perinde necessarium est, Cicero oravit pro Milone, & homo fuit animal. Non enim si quid immutabile rebus adjungitur, ita necessarium est, ut naturales & penitus ingeneratæ caussæ. Chrysippus aliter accipiebat necessitatem, ut quicquid esset immutabile, necessarium illi videretur. *Si naturalis*] Hic locus logicam Ciceronis in primis ostendit, qui, cùm antea tam veré, tamq; magnificé concluserit in Stilphone & Socrate naturales caussas voluntariis domari & comprimi posse, nunc tamen tam repugnantia præcipiat: Naturalis caussa est, ait, ergo necessaria.

Hoc loco Chrysippus æstuans falli sperat Chaldæos, cæterosq; divinos, neq; eos usuros esse conjunctionibus, ut ita sua" præcepta pronuncient, Si quis natus est oriente Canicula, is in mari non morietur: sed potiùs ita dicent, Non & natus est quis oriente Canicula, & is in mari morietur. O licentiam jocularem! ne ipse incidat in Diodorum, docet Chaldæos, quo pacto eos exponere" præcepta oporteat. Quæro enim, si Chaldæi ita loquantur, ut negationes infinitarum conjunctionum potiùs, quàm infinita connexa ponant, cur idem medici, cur geometræ, cur reliqui facere non possint? Medicus in primis, quod erit ei perspectum in arte, non ita proponet, Si cui venæ sic moventur, is habet febrem: sed potiùs illo modo, Non & huic venæ sic moventur, & is febrem non habet. Itemq; Geometres non ita dicet, Si in sphæra maximi orbes sunt, medii inter se dividuntur: sed potiùs illo modo, Non & sunt in sphæra maximi orbes, & hi non medii inter se dividuntur. Quid est quod non possit isto modo ex connexo transferri ad conjunctionum negationem? Et quidem aliis modis easdem res efferre possumus.

L. percepta

L. percepta

Modò dixi, Si in sphæra maximi orbes sunt, medii inter se dividuntur: possum dicere, quia in sphæra maximi orbes erunt. Multa sunt genera enunciandi, nec ullum distortius quàm hoc, quo Chrysippus sperat Chaldæos contentos Stoicorum caussa fore: illorum tamen nemo ita loquitur. Majus est enim has contortiones orationis, quàm signorum ortus, obitusq; perdiscere.

Hoc loco] Proponit tandem adversus Diodori laqueos Chrysippi solutionem, sed ridiculam & ineptam, idcoq; eam vehementer deridet, & confutat exemplis dissentaneis: Non sic medici, non sic Geometræ, non sic homines reliqui loquuntur. *Falli*] Videtur pro futuro (falsum iri) positum esse, cúm mox idem dicatur contētos fore. *Chaldæos*] Chaldæi philosophi erant Assyriorum, qui habitarunt ad confluentem Tigris & Euphratis. Hos mathematicarum artium inventores esse, historia sacra testatur, ut constat ex Josepho, qui scribit ab Adamo, Setho, veteribusq; Patriarchis inventas, & à Noëo duabus ingentibus columnis, ne diluvio perirent, impressas & consignatas: tandem per Abrahamum traditas Ægyptiis. Hoc idem videtur Cicero confirmare, cúm 1 de Divinat. Chaldæos recenset primos inventores astrologiæ: Principió Assyrii, ut ab ultimis authoritatem repetam, propter planiciem magnitudinemq; regionum quas incolebant, cúm cælum ex omni parte patens atq; apertum intuerentur, trajectiones motusq; stellarum observaverunt, quibus notatis quid cuiq; significaretur, memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione syderum, sciētiam putantur effecisse, ut prædici posset, quid cuiq; evēturum, & quo quisq; fato natus esset. *Conjunctionibus*] In Topicis conjunctionum negantiam dicit, non & hoc est, & illud non est, & pauló antè conjunctio ex repugnantibus sic dicta est pro copulatione. Hic fortasse *in connexionibus* legēdum fuerat, quia mox conjunctiones connexis opponit. *Infinitarum*]

tarum] Infinitum pronunciatum vocat,quod Aristoteles ἀδιόριστον ἢ ἐν μέρει, indefinitum in schola, vel particulare dicitur. *Vena*] Vena apud Hippocratem & Platonem pro arteria sumitur,quamvis sextuplo crassior sit arteria: & sic omnino antiqui loquebantur,ut Galenus de dictis Hippocratis & Platonis.Inter nervos,ait Plin.lib.11,c.37,latent arteriæ,id est,spiritus semitæ. His innatant venæ,id est,sanguinis rivi.Cic.2 de Nat.Venæ & arteriæ micare non desinunt,quasi quodam igneo motu. *Orbes*] In circulo sunt lineæ quædam, quæ dividunt circulum in partes æquales dimetientes vocantur:quæ si plures sint,mediæ inter se dividuntur, aliæ minores illis maximis: sic in sphæra, id est globo,circuli quidam maximi sunt,qui sphærā mediā dividūt,& medii inter se dividūtur, ut in cælo æquator, zodiacus, lacteus,meridianus,horizō,coluri:alii sunt illis minores,ut tropici & arctici.quā scientiā Cic.Geometriæ tribuit, & quidem rectè:generalis enim sphæræ,ut solidorum reliquorum, præceptio geometriæ est propria, non astrologiæ, cúm globus & terræ & aëris & artificiorum rerum similiter esse possit,ut cęli.Sic Euclides,Archimedes,Theodosius de sphæra præcipiunt communiter, non de sphæra cælesti. *Alius modis*]Potest illud idem Chaldæorum pręceptum modis omnibus enunciari,primó simpliciter,tum generaliter,ut, Nullus natus oriente canicula morietur in mari: tum specialiter infinitè, ut, Aliquis natus oriente canicula non morietur in mari:tū propriè,Plato natus oriente canicula non morietur in mari: secundó cōpositè tum copulatè, ut, Non & natus est quis oriente canicula, & in mari morietur: tum connexè, ut, Si quis natus sit oriente canicula, non morietur in mari:tum discretivè, Quamvis aliquis natus sit oriente canicula,non tamen in mari morietur:tū disjunctè,ut,Aut non natus est oriente canicula, aut nō morietur in mari:iis inquā modis omnibus poterat enunciari, & Cicero videtur id voluisse dicere. *Possum*] Hęc duo exēpla sunt imperfecta,& si perfecta sint,non admodū congruent.Nā primum,Si in sphæra maximi orbes erunt,nón differt genere á superiore sed tantū tēpore,quia illic est *sunt*,hìc est *erunt*.Secundū à utē potiús ostēdet enthymema,quám enunciatū. *Multa sunt*] Exagitat Chry-

sippeam solutionem, quód illustria pronunciationis genera repudiet, omnium absurdissimum sequatur. Sunt enim de simplicibus pronunciatis, vel generalia, vel specialia: de conjunctis autem & copulata, & connexa, & discreta, & disjuncta (de quibus in nostra Dialectica) illa negantia conjunctionum longé clariora. Artes mathematicæ ut in elementis, multum vtuntur connexis: reliquæ simplicibus, generalibus in definiendo, aut compositis disjunctis in partiendo: ars autem nulla utitur negantia conjunctionũ.

Sed ad illã Diodori contentionẽ, quam περὶ δυνατῶν appellant, revertamur: in qua quid valeat id quod fieri possit," *anquiritur. Placet igitur Diodoro id solúm fieri posse, quod aut verum sit, aut verum futurum sit. qui locus attingit hanc quæstionem: Nihil*" *fieri quod non necesse fuerit: &, Quicquid fieri possit, id aut esse jam, aut futurum esse: nec magis commutari ex veris in falsa ea posse, quæ futura sunt, quám ea quæ facta sunt, sed in factis immutabilitatem apparere: in futuris quibusdam, quia non apparent, ne necesse quidẽ videri: ut in eo qui mortifero morbo urgeatur, verũ sit, Hic morietur hoc morbo: at hoc idem si veré dicatur in eo, in quo vis morbi tãta nõ appareat, nihilominus futurũ sit. Ita fit, ut cõmutatio ex vero in falsum, ne in futuro quidem ulla fieri possit. Nam, Morietur Scipio, talem vim habet, ut quanquam de futuro dicatur, tamen id non possit converti in falsum: de homine enim dicitur, cui necesse est mori. Sic si diceretur, Morietur noctu in cubiculo suo vi oppressus Scipio, veré diceretur. Id enim fore diceretur, quod esset futurum. Futurum autem fuisse, ex eo quia factum est, intelligi debet: nec magis erat verum, Morietur Scipio, quám Morietur illo modo: nec minùs*

al. inquirit.

fort. fieri posse, qu.

minús necesse est mori Scipioni, quám illo modo mori: nec magis immutabile ex vero in falsum, Necatus est Scipio, quám Necabitur Scipio.

Sed ad illam] Luctatus est adhuc de fato Tullius contra Posidonium & Chrysippum constanter quidem & fortiter, quód cælestes & naturales caussæ multa possint, non omnia: nec tamen tantúm, quin voluntariis caussis sępé vinci possint. sed valde inconstanter & infirmé Diodorum Chrysippo pręposuit, cúm Diodori tota disputatio captiosa sit & impia, nec quicquam omnino concludat: Diodori tamen sententiam ita Cicero persequitur, quasi magnificé victus sit Chrysippus, & sententiam illam impiam rursus explicat apertiús quám antea. περὶ δυνατῶν] Hic Diodori sententia plenius ostenditur, quæ 9 Epist. famil. lib. epist. 4, sic item proponitur, περὶ δυνατῶν me scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter si venturus es, scito necesse esse te venire: sin autem non es, τῶν ἀδυνάτων est te venire. nūc vide, utra te κρίσις magis delectet, χρυσιππεία ne, an hæc quam noster Diodorus nō concoquebat. unde sententiam videmus Diodori fuisse, quod & proximo versu Cicero affirmat, Placet igitur Diodoro, &c. hæc igitur erat Diodori sententia, quam tamen non concoquebat, ut ait in illa epistola Cicero, id est, non satis accuraté judicabat, & concludebat. *Nec magis*] Declaratur Diodoreæ secta comparatione temporis præteriti cum futuro, quód illic immutabilitas appareat, hîc non appareat: immutabilitas veró præteriti (quæ dicitur) item necessitas non est rei, sed temporis, quód præteritum revocari non possit: itaq; longé alia est immutabilitas & necessitas enunciati illius, Bis bina fuere quatuor: alia hujus, Cicero oravit pro Milone: illa enim est ex absoluta rei natura, hæc tantúm ex occasione & conditione temporis. *Ut in*] Expositio est comparationis de morbis duobus, altero aperté necessario, altero minús. *Ita fit*] Complexio, quód omne verum futurum sit necessarium. *Nam, Morietur*] Expositio ejusdem comparationis altera est per exēpla item duo, alterū aperté necessarium, alterū occultius. *Scipio*] Scipio Æmi-

lianus tandem ob res gestas superbus Gracchum jure occisum respondit, obstrepente populo. Taceant (inquit) quibus Italia noverca est, non mater: & addidit, Quos sub corona vendidi. De Memmio collega in censura segniore dixit, Utinam mihi collegam aut dedissetis, aut non dedissetis. Suscepta agrariorum caussa domi repenté exanimis inventus, obvoluto capite elatus, ne livor in ore appareret, ait Plinius de Viris illustribus, cap. 58. Suspecta fuit, tanquã ei venena dedisset, Sempronia uxor hujus, maximè quód soror esset Gracchorũ, cum quibus simultas Africano fuerat. Livius lib. 59. *Nec magis*] Colligitur triplex comparatio de vero, necessario, immutabili. *Verum*] Id falsum est, si necessarium magis verum dicatur, quám contingens verum. *Necesse*] Falsum autem manifestius est hoc secundum, non magis esse necessarium mori, quám illo modo mori. *Immutabile*] Hæc item comparatio falsa est apertiús: futurum autem illud est contingens. *Nec minus*] Pro *nec minus necesse est*, videtur legendum *nec magis*. comparatio enim hæc ridicula esset, & á proposito aliena.

Nec quum hæc ita sint, est caussa cur Epicurus fatum extimescat, & ab atomis petat præsidium, easq; de via deducat, & uno tempore suscipiat res duas inenodabiles: unã, ut sine caussa fiat aliquid, ex quo existet, ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet: alteram, ut quum duo individua per inanitatem ferantur, alterum é regione moveatur, alterum declinet. Licet enim Epicuro concedenti, omne enunciatum aut verum aut falsum esse, nõ vereri, ne omnia fato fieri sit necesse. Non enim æternis caussis naturæ necessitate manantibus, verum est id quod ita enunciatur: Descendit in Academiam Carneades, nec tamen sine caussis. Sed interest inter caussas fortuitó antegressas, & inter caussas cohibentes in se efficientiam natu-

fort. individua corpora per inanitatẽ deorsum ferantur.

naturalem. Ita & semper verum fuit, Morietur Epicurus, quum duos & septuaginta annos vixerit, Archonte Pitarato: neq; tamen erant caussæ fatales cur ita accideret: sed quód ita cecidisset) certé casurum, sicut cecidit, fuit. Nec ii qui dicunt immutabilia esse, quæ futura sint, nec posse verum futurum converti in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur. At qui introducunt caussarum seriem sempiternam, hi mentem hominis voluntate libera spoliatam, necessitate fati devinciunt.

NEC QUUM HAEC] Tres adhuc de fato sententiæ disputatæ sunt, Posidonii & Chrysippi, qui fatum confirmant, sed ita ut refutatio magis quædam quám ulla confirmatio perciperetur. Tertia fuit Diodori fatum verbo oppugnantis, revera fatum stabilientis & confirmantis. Quarta deinde sequitur Epicuri. Dialecticam autē totam contemsit Epicurus; Mathematicas artes, si qui iis artibus eruditi ad eum venissent, dedocuit: Ethicam philosophiam voluptate terminavit: In physicis quædam á Democrito sumsit de atomis in infinita inanitate rectis lineis deorsum cadentibus, addidit ex se, eas aliquantulum declinare, ut suis fortuitis adhæsionibus omnia facerent. Ita materiam rerum omnium posuit in atomis: efficiētem caussam fortunæ & temeritati reliquit: Deos nullos esse, aut mortalia non curare, animos mortales esse docuit: quæ scelerata philosophia tam multos sectatores habuit, ut totā Greciā, atq; Italiæ integras urbes ad se pelliceret: nec jam Epicurus ut philosophus audiretur, sed ut Deus quidam coleretur. Hanc sectam Stoici vehementer insectati sunt, & quæ adversus Epicurum hoc libro Cicero disputat, suspicor é Stoicis esse translata. Fatum itaque tollebat Epicurus, & Stoicam naturalium caussarum seriem, quia sine certa caussa fieri credebat omnia. Obscurior autem est logica Ciceronis hoc loco, ubi apparet argumentū fuisse Chrysippi ex

enunciati definitione, quod necessarió sit verum aut falsum, vnde fatum concludebat: attamen ex hoc argumento tam sequebatur fatum non esse, quám esse. Id veró argumentum Epicurus negabat, & negationis caussam repetebat é physico atomorum motu, quem triplicem fingebat, rectum suo pondere, secũdum violentum, tertium declinationis; de quibus mox plura. *Atomis*] Individua pauló póst Cicero dicet corpuscula minutissima, & iis etiã subtiliora, quæ infusis per rimam aliquam solaribus radiis volitant. Atomos Democritus commentus est esse principia rerum, quem deinde Epicurus est imitatus. Contra atomos Aristoteles vehemẽter invectus est, qui ne lineas quidem ἀτόμους esse disserit. Sed hac de re physicæ scholæ loquentur. *Inenodabiles*] Inenodabiles res vocat in Lucullo inexplicabiles: in Universitate, indissolubiles: Quintilianus libro 5, insolubiles. *Res inenodabiles*] De duabus rebus inenodabilibus prior per calumniam duplicem á Stoicis imponitur Epicuro. Nec enim sine caussa fieri dicit Epicurus, quod fortuita caussa dicit fieri, cúm fortuita caussa etiam in caussarum generibus contineatur: quod Cicero ipse pauló póst confirmabit. Nec item fieri de nihilo quicquam dicit, qui confirmat ex atomis omnia fieri: & quidem manifestior ista calumnia fiet, si legatur Epicuri epistola ad Herodotum de Physicis, ubi θεώρημα illud in primis celebrat Epicurus, Ex nihilo nihil fieri, nec in nihilum quicquam reverti. Quod Epicureus Lucretius etiam notavit 2 lib.

De nihilo quoniam fieri nil posse videmus.

Calumniæ sunt Stoicorum, qui Epicuro infensissimi fuerunt, & quem multis similibus confictis maledictis oneraverunt, ut ex Laërtio in Epicuri vita percipi potest, & Cicero postea, cúm dicet (Quam declinationẽ sine caussa fieri, si minús verbis, re cogitur cõfiteri) indicabit id ab Epicuro non esse dictum, sed ex ejus sententiis collectum: verúm fallaci collectione collectum illud est, ut tum etiam demonstrabo. *Per inanitatem*] Democriti, Leucippi, posteaque Epicuri principia physica fuêre πλῆρες καὶ κενόν, plenum & inane. inane vel inanitas verbum, ut Plutarchus ait, novatum est á Cicerone in philosophia: qui primus di-

κιτ τὴν φαντασίαν καὶ τὴν κατάθεσιν καὶ τὴν ἐποχὴν καὶ τὴν κατάληψιν, ἔτι δὲ τὸ ἄτομον, τὸ ἀμερὲς, τὸ κενόν, perceptionem, suspensionem & retentionem & comprehensionem, præterea individuum, insecabile, inane. attamen insecabile, quamvis in Quintiliano legatur, non est in Cicerone: & Lucretius inani verbo utitur. Sed Lucretius junior, quamvis anté mortuus, attamen á seniore Cicerone discere potuit. *E regione*] Parallelas rectas lineas ejusmodi appellat Euclides, quæ in infinitum productæ nunquam concurrunt, quod Epicurus videtur dicere: sed non satis physicis illis motibus congruenter á peripheria ad centrum tendentibus. *E regione*] Epicurus cúm atomos rerum principia fecisset, tres motus eorum faciebat, ut Lucretius libr. 2, amplissimé describit: primus est naturalis deorsúm, omnium corporum communis. nec enim ullius corporis naturalem motum sursum statuebat:

—Nullam rem posse sua vi
Corpoream sursum ferri, sursúmve meare.

Et hoc motu Cicero nunc ait corpora é regione moveri, quod in Tusculanis dicit, ferri rectis lineis, & ad pares angulos, 1 de Finib. naturalem omnium corporum motum quó ferũtur é regione & ad lineam: pauló póst ad perpendiculum dicet. Epicurus σταθμὴν, pondus, id est gravitatem, statuebat hujus motus esse caussam, eamq; corporibus omnibus attribuebat:

Nec tamen hac quantum est in se dubitamus, opinor,
Quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur.

Secundus motus est violentus. Itaq; ejus caussam appellabat πληγὴν, plagam, ictum, quo corpora leviora pellerẽtur á gravioribus:

Nam quoniã per inane vagãtur cuncta, necesse est,
Aut gravitate sua ferri primordia rerum,
Aut ictu forte alterius: nam cita superne
Obvia cúm fluxére, fit ut diversa repente
Dissiliant.—

Et pauló póst illum violentum motum explicat apertiús per partes:

Multa videbis enim plagis ibi percita cacis
Commutare viam, retroq; repulsa reverti,

Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique partes.

Tertius motus fortuitus est, quē παρέγκλισιν, declinationē nominabat, eoq; motu corpora minimū declinare de regione seu de via .i. á recto motu discedere, ut hinc complexiones, & copulationes, & adhæsiones atomorū inter se fierent, unde efficeretur mundus, omnesq; partes mundi, quæ in eo essent: quos tres motus cúm aliás sæpe Cicero, tum in hoc etiam libro comprehendit: Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, cúm declinat atomus intervallo minimo; id appellat ἐλάχιστον, ut erit pauló póst. De tertio motu sunt etiam Lucretii sequentia:

Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus.
Corpora cúm deorsum rectum per inane feruntur,
Ponderibus propriis incerto tempore fermé
Incertisq; locis spacio decedere paulúm,
Tantum quod minimum mutatum dicere possis.
Quod nisi declinare solerent, omnia deorsum
Imbris uti guttæ caderent per inane profundum:
Nec foret offensus natus nec plaga creata
Principiis, ita nil unquam natura creasset.
Quód si forte aliquis credit graviora potesse
Corpora, quo citiús rectum per inane ferantur,
Incidere e supero levioribus, atq; ita plagas
Gignere, quæ possint genitales reddere motus:
Avius á vera longe ratione recedit.

Et rursum:

Haud igitur poterunt levioribus incidere unquam
Ex supero graviora: neq; ictus gignere per se,
Qui varient motus, per quos natura gerat res.
Quare etiam atq; etiam paulúm inclinare necesse est
Corpora, nec plus quám minimum, ne fingere motus
Obliquos videamur, & id res vera refutet.

Sic declinationis ille minimus motus declaratur. *Licet enim*] Hic se Cicero patronum præbet Epicuro, & docet eum Chrysippo melius respondere potuisse ex distinctione caussarum: quia non sequeretur, si diceret Epicurus fortuitis caussis omnia fieri, ut idcirco sine caussis fieri diceret. Hæc ad Epicuri propositum Cicero constanter, inconstanter veró ad suum, qui proximo loco id velut inenodabile

dabile in Epicuro reprehendebat, quod nũc enodat, & qui Diodorũ antea probaverat, omnes rerum caussas necessarias efficiẽtem, nullas fortuitas relinquentẽ. Nam cúm diceret omnia vera esse necessaria, verum autem sit ex vera caussa effectrice verum, certé caussas verorum necessariorum necessarias efficiebat. *Carneades*] Carneades, novæ Academiæ philosophus & dialecticus acerrimus fuit, nec ullam rem unquam in suis disputationibus defendit, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non everterit, ut ait Cicero 2 Oratorio. de hoc postea. *Efficientiam*] Efficientia significat non efficientem caussam, nec effectum, sed efficiendi vim, id est, efficacitatem, ut in Tusc. vel efficaciam, ut Plinius loquitur. Sic 2 de Natura Deorum, efficientiam Solis Cicero vocat, quia diem Sol efficit. *Epicurus*] Mortuum hoc anno esse Epicurum scribit Laërtius libro 10. Quód autem Cicero ait *Archonte Pitarato*, morem Athenienfium Græca dictione, sed Latiné declinata expressit. ut enim Romæ per Consules fasti præscribebantur & anni, sic Athenis per Archontes. Suidas author est Archontes fuisse novem, & inter eos numerat Thesmothetas. Erant autem Athenis quingenti viri Reipubl. rectores, quorum decima pars quinquaginta dicebantur πεντάνδες, πεντανεύοντες, qui per orbem singulis mensibus præerant. Summus igitur ille quinquaginta virûm princeps ἡγεμών καὶ ἄρχων dicebatur. Vide Budæum in Græcis commentariis. Sic cúm de Gallicis quibusdam propriis rebus Cæsar loquitur, vocabulis Gallicis utitur, forma duntaxat Latina expressis, ut constat de Solduriis, de Vergobreto Heduorum. & hic notabis Ciceronem dicere Archonte, non autem Archonde, ut hodie vulgo τ post ν profertur. *Nec is*] Cõparat secundo loco Diodorum cum Chrysippo, hujusq; sententiam cõdemnat, illiũs approbat: error idem qui priús fuit, & manifestiús etiam propositus. qui vera omnia, necessaria; falsa impossibilia faciunt, non cõfirmant fati necessitatẽ, ait Cicero: imó veró, inquam, fatũ confirmant, quia liberis & contingentib. caussis, quia hominis arbitrio nil relinquũt, cúm necessitati omnẽ veritatẽ tribuũt. & Cicero, ut postea apparebit in Carneadis disputatiõe, arbitrio hominis sub-

lato constitui fatum putat: hac autem Diodori sententia libertas arbitrii tollitur: fatum itaq. re ipsa constituitur, licet verbo refellatur. & Aristoteles in logica veré ait, si contingens nihil sit, fati necessitatem constitui. Itaq; Aristoteles non ferret istas delicias Diodori fatum verbo oppugnantis, reipsa confirmantis. At, inquit Tullius, verborum vim interpretatur & definit. Concedo, inquam: sed interpretatur & definit interpretatione & definitione captiosa, fallaci, impia: nihil enim possibile dicit esse, nisi quod necessarium & immutabile sit: ἐνδεχόμενον veró quod possit & esse, & non esse, nihil relinquit, ideoq;, ait Aristoteles, fati necessitatē cōfirmat. Atq; ut Epicurus ne in Atheniensium offensionem caderet, verbo reliquit Deos, re sustulit: sic Diodorus, & eum Diodoro Tullius ludificari in isto problemate videantur. Quamobrem Aristotelis hac de re logicam solidiorem teneamus. *Seriem* Atqui Chrysippus in eam seriem caussas etiam voluntarias includebat, ut interea liberæ permanerent, & hæc sempiterna series divinæ providentiæ valde conveniat, qua vel minimi rerum apices ab æterno provisi sunt. Quapropter in utroq; Tullius parum consideravit quanto sophismate sese devinciret, & quód fatum non existimet á Diodoro omnis veritatis immutabilitate confirmari, & quód existimet sempiterna Chrysippi serie confirmari. Sed id priús in Præfatione.

Sed hac hactenus, alia videamus. Concludit enim Chrysippus hoc modo: Si est motus sine caussa, non omnis enunciatio (quod ἀξίωμα dialectici appellant) aut vera aut falsa erit. Caussas enim efficientes quod non habebit, id nec verum nec falsum erit: omnis autem enunciatio, aut vera aut falsa est: motus ergo sine caussa nullus est. Quod si ita est, omnia qua fiunt, caussis fiunt antegressis: id si ita est, fato omnia fiunt: efficitur ergo, fato fieri, quacunq, fiant. Hic primúm si mihi libeat assentiri Epicuro, & negare omnem enunciationem aut veram

ram esse aut falsam, eam plagam potiùs accipiam, quàm fato omnia fieri comprobem. Illa enim sententia aliquid habet disputationis, hæc veró non est tolerabilis. Itaque contendit omnes nervos Chrysippus, ut persuadeat omne ἀξίωμα aut verum esse aut falsum. Ut enim Epicurus veretur, ne, si hoc cōcesserit, concedendum sit fato fieri quæcunq; fiant: (si enim alterutrum ex æternitate verum sit, esse id etiam certum: & si certum, etiam necessarium: ita & necessitatem & fatum confirmari putat.) Sic Chrysippus metuit, ne si non obtinuerit, omne quod enuncietur, aut verum esse aut falsum, non teneat omnia fato fieri, & ex caussis æternis rerum futurarum.

SED HAEC] Revertitur ad Chrysippum, & duos ejus adversus Epicurum pro fato syllogismos proponit. Primus est: Si est motus sine caussa, non omnis enunciatio vera est aut falsa: falsum est secundum, falsum igitur & primum: unde colligebat Chrysippus omnia caussis antecedētibus fieri. tum syllogismus secūdus efficitur, Si omnia fiant caussis antecedentibus, omnia fato fiunt: primum verum: verū igitur & secundum. His duobus syllogismis pro Epicuro veluti reo oratores duo respondent; Cicero priori, & Carneades posteriori. Ἀξίωμα] Altero loco idem verbum Tullius interpretatur: fuit enim initio, Enunciationū quæ Græci ἀξιώματα vocant: illic Græci, hîc dialectici authores appellantur, ut simul Græci dialectici intelligantur: attamen hęc repetita interpretatio subindicat librum ab authore pauló negligentiús esse recognitum. sed tamen in hoc patrocinio mallet assumtioni resistere, negareq; omnē enunciationem veram esse aut falsam, quàm fatum confiteri: At patronus iste multó majore clientis sui commodo potuisset propositioni resistere: nihil enim cohæret consequens illud, enunciationem veram esse aut falsam, cū antecedente motus sine caussa. Nec verior est hæc enunciatio, Si est motus sine caussa, non omnis enunciatio vera est

aut falsa; quám hæc, Si est motus sine caussa, omnis enunciatio vera est aut falsa: periude ac si diceres, Si Chrysippus non est dialecticus, non est omnis enunciatio vera aut falsa: Si Chrysippus non est dialecticus, omnis enunciatio vera est aut falsa. Ergo propositio primi syllogismi veré negari potest, cúm nihil habeat consentaneum antecedenti. Quin á Cicerone ipso pauló póst é Carneadis sententia inconsequentia connexionis illius coarguetur, ad eum nempe locum: *Quod cúm ita sit*. Ratio propositionis item falsa est, Quod caussas efficientes non habeat, id nec verum nec falsum esse. In his enim verbis, verum, falsum, vis est par contradictioni, verum non verum. At in verbo contradictio ad omnia vera est. Chimæra & quidvis fictitium, caussas efficientes nullas habet, quia nunquam factum est: attamen hæc enunciatio, Chimæra est balæna, vera est aut falsa, id est, quod idem valet, vera aut non vera. Quod Cicero tandem significabit, cúm dicet, ex contrariis, quorũ alterum ait, alterum negat; alterum necessarió verũ esse, alterum falsum. Quamobrem primi syllogismi Chrysippei & propositio & ratio propositionis falsa est, & in hoc patrocinio Cicero logicam suam ostendit. Quód autem Cicero tolerabilius putat negare omnem enunciationem veram esse aut falsam, quám fato omnia fieri cõprobare, est quidem, si mores & vitam spectes, illa quám hæc culpa levior: si veró logicam rationem consideres, longé hæc quám illa probabilior: paucioresq. philosophos invenias, qui disjunctionis ex contradictione veritatem negent, quám qui fati necessitatem comprobent. Tametsi enim Aristoteles in futuro cõtingenti disserit, nihil esse jam verum aut falsum: attamen contradictionem idem in omnibus rebus veram esse confitetur, & quodlibet enũciatum esse verum aut falsum. Sed aliud est quærere utra jam vera aut falsa. *Ut enim*] Comparat Epicuri & Chrysippi in hac disputatione metum, sed in utroque stultum. nec enim si quid ex æternitate verum sit aut falsum, idque certum, etiam erit necessarium & fatale. multa enim vera futura sunt & certa, non tamen ex necessariis caussis. Et quamvis necesse sit disjunctionem ex contradictione veram esse aut falsam, non est tamen necessarió pars illa vera, non est necessarió pars ista falsa.

falsa. Necessitas enim disjunctionis, sicuti cõnexionis, pendet è partium necessaria disjunctione & connexione, non autem ex earum necessaria veritate: ut, Necesse est te doctũ esse, aut non doctum, vera & necessaria enunciatio est: attamen te esse doctum, non est necesse: attamen te non esse doctum, non est necesse. In connexione res apertior est: ut, Si homo leo est, homo est bestia, connexio necessaria est; attamen pars est utraque falsa, tantum abest ut sit necessaria. Ergo necessitas veritatis in hac disjunctione (verum est aut falsum) non pendet ex necessitate partium: in quo fallebatur Epicurus, qui putabat, si hoc veré diceretur, necesse est omne enunciatum verum esse aut falsum, necessitatem hanc totius enunciationis ex partis alterius necessitate oriri. Chrysippi veró par etiam hîc error fuit. Nam quód omnis enunciatio vera sit aut falsa, nõ magis est caussa cur concluderet fatum esse, quám non esse: quod Cicero etiam postea disputabit, cúm dicet, Quid est cur non omnis pronunciatio aut vera aut falsa sit, nisi concesserimus fato fieri, quæcunque fiant?

Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati necessitatem putavit. itaq; tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam," quum declinat atomus fort. quo decl. *intervallo minimo: id appellat ἐλάχιστον: quam declinationem sine caussa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri. non enim atomus ab atomo pulsa declinat. Nam qui potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpẽdiculum corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim, ut si alia ab alia nunquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, ut jam si sit atomus, eaq; declinet, declinare sine caussa. Hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quód veritus est, ne si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum nobis esset, quũ ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur.* " *Hinc Democritus author atomorum accipere* L. Id Democritus

maluit necessitate omnia fieri, quám á corporibus individuis naturales motus avellere.

SED EPICURUS] Proponit Epicuri rationem adversus fatum, qui cúm crederet ex atomis omnia fieri, & atomorum motu omnia moveri, metuebat ne moverētur omnia necessarió, si motus atomorum esset necessarius. Itaque declinationem induxit, quam Cicero Sorite quatuor graduum nullam esse contendit, & sine caussa fictam. Si atomi recté feruntur, alia non pellitur ab alia: deinde si alia non pellitur ab alia, non se contingunt: denique si atomi non sese contingunt, neque declinant: sed primum, ultimum igitur. Epicurus autem Ciceronis propositioni resisteret, quia negaret semper recté ferri, cúm aliquando declinarent. Epicuri fuit stolidus error, sed non refellitur his argumentis á Cicerone. De tribus his motibus jam dixi. *Perpendiculum*] Mathematicorum dictiones sunt, qui longitudines regula & linea, altitudines perpendiculo, angulos norma metiuntur, ut Vitruvius docet. Hoc modo Cic. ad fratrem: Columnas neque rectas, neque é regione Diphilus collocarat, eas scilicet demolietur, & aliquando perpendiculo & linea uti discet. Has autem rectas lineas Euclides vocat παραλλήλους. perpendicularis autem linea definitur Euclidi 10 di. 1 lib. constituitur 11 & 12 p. 1. *Hanc rationem*] Repetitur caussa Epicurei figmenti, & refellitur authoritate Democriti, qui philosophus ab Ægyptiis, Chaldæis, Gymnosophistis, Anaxagora, philosophiam variam didicit. In atomis autem materiam naturæ cujusvis instituit, easq; distinxit figura, ordine, situ, unde esset fluxus, tactus, conversio: ut Aristot. docet in Philosoph. lib. 1, cap. 4. exponitur latiús 1 de Fin. & postea Democritus inter authores fati nominabitur.

Acutiús Carneades, qui docebat posse Epicureos suam caussam sine hac commentitia declinatione defendere. Nam quum doceret esse posse quēdam animi motum voluntarium, id fuit defendi melius, quám introducere declinatione, cujus præsertim caussam reperire non possunt: quo defenso, facilé

facilè Chrysippo possent resistere. Quum enim concessissent motum nullum esse sine caussa, non concederent omnia quæ fierent, fieri caussis antecedentibus: voluntatis enim nostræ non esse caussas externas & antecedentes. Communi igitur consuetudine sermonis abutimur, quũ ita dicimus, velle aliquid quempiam, aut nolle sine caussa. Ita enim dicimus sine caussa, "ut dicamus sine externa & antecedente caussa, non sine aliqua. Ut quum vas inane dicimus, non ita loquimur ut Physici, quibus inane esse nihil placet: sed ita ut, verbi caussa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse" dicamus. Sic, quum sine caussa animum moveri dicimus, sine antecedente & externa caussa moveri, non omnino sine caussa dicimus. De ipsa atomo dici potest, quum per inane moveatur gravitate & pondere, sine caussa moveri, quia nulla caussa accedat extrinsecus. Rursus autem, ne omnes á Physicis irrideamur, si dicamus quicquam fieri sine caussa: distinguendum est, & ita dicendum, ipsius individui hanc esse naturam, ut pondere & gravitate moveatur, eamque ipsam esse caussam cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios non est requirenda externa caussa. Motus enim voluntarius eam naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate, nobisq; pareat, nec id sine caussa. Ejus enim rei caussa ipsa natura est.

al. ut si dicamus *fort.* ut dicimus,

fort. dicimus.

ADHUC patrocinium Ciceronis pro Epicuro fuit adversus Chrysippi primum syllogismum: sequitur pro eodẽ Epicuro adversus Chrysippi secundum syllogismum Carneadis patrocinium. Carneades igitur resistebat secundi syllogismi assumtioni, Sed omnia fiunt caussis antegressis: docebat enim motus quosdam voluntarios esse, & ex se or-

tos,qui nullis antegreſsis externis cauſsis fierent: quod patrocinium veriſsimum eſt, & Carneadis logica digniſsimum: hæc enim libertas eſt animi, ſuæ ſibi voluntatis impulſorem,ſuaſorem,authorem eſſe poſſe,& hoc in Carneade probandum eſt,& laudandum. *Communi*] Prolepſis pro Epicuro, quem dicerent Epicurei vulgi more loquutũ, cúm dixiſſet ſine cauſſa aliquid fieri, quod ſimilitudine phyſica declaratur: quæ tamen non ſatis Epicuro congruit inane phyſicum principium facientis. *Sic,quum*] Redditio ſimilitudinis de animo, additur deinde pauló póſt de atomo, & utraq; rurſus iteratur. *Phyſicu*] Imó potiús á logicis,quorum propria eſt cauſſarum doctrina: á phyſicis tamen etiam occupata eſt,ut ab Ariſtotele 1 & 2 Phyſic.ſed injuſté occupata, ut ibi dicetur ampliús.-

Quod quum ita ſit, quid eſt cur non omnis pronunciatio aut vera aut falſa ſit, niſi concesſerimus fato fieri quæcunq; fiant? Quia futura, inquit, vera non poſſunt eſſe ea quæ cauſſas cur futura ſint, nõ habent. Habeant igitur cauſſas neceſſe eſt ea quæ vera ſunt, ita ut, quum evenerint, fato evenerint. Confectum negocium: ſi quidem tibi concedendum eſt," *aut fato omnia fieri, aut quicquam poſſe fieri ſine cauſſa. An aliter hæc enunciatio vera eſſe non poteſt, Capiet Numantiam Scipio, niſi ex æternitate cauſſa cauſſam ſerens hoc erit effectura? An hoc falſum potuiſſet eſſe, ſi eſſet ſexcentis ſeculis ante dictum? Et ſi tum non eſſet vera hæc enunciatio, Capiet Numantiam Scipio;*" *ne illa quidem vera eſt hæc enunciatio, Capiet Numantiam Scipio. Poteſt igitur quicquam factum eſſe, quod non verũ fuerit futurum eſſe. Nam ut præterita ea vera dicimus, quorum ſuperiore tempore vera fuerunt inſtantia: ſic futura, quorũ conſequenti tempore vera erunt inſtantia, ea vera dicemus: nec ſi omne enunciatum, aut verum aut falſum eſt, ſequitur ilicó eſſe cauſ-*

L. aut fato omnia, quæ cauſſas habeant, ut fiant, fieri: aut quidquã p.

L. ne illa quidem everſa, vera eſt hæc enunciatio, Cepit Num. Scipio?

se caussas immutabiles, easq; æternas, quæ prohibeāt quicquam secus cadere, atq; casurum sit. Fortuitæ sunt caussæ, quæ efficiant ut verè dicantur: quæ ita dicentur, Veniet in Senatum Cato: non inclusæ in rerum natura atq; mundo, & tamen tam est immutabile venturum, quum est verum, quàm venisse: nec ob eam caussam fatum aut necessitas extimescenda est. Etenim erit confiteri necesse, si hæc enunciatio, Veniet in Tusculanum Hortensius," verum non est, sequitur ut falsum sit: quorum isti neutrū volunt: quod fieri non potest.

L. vera non est: verum non esse, in Tusculanū̃ venturum Hortēsium. si verum nō est, sequitur &c.

QUOD CÙM] Totus qui sequitur locus, usq; ad ignavā rationem valde intricatus est sentētiis Carneadis, Chrysippi, Diodori. Repetitur igitur argumentatio Chrysippi de enunciationis definitione, & pauló secus quám antea ei resistitur á Carneade: quia nil repugnet omnem enunciationem veram esse aut falsam, & tamen fatum non esse, quia multa fiant caussis non necessariis. *Inquit*] Chrysippus respondens Carneadi. Dialogismus igitur hîc quidam est Carneadis & Chrysippi. *Confectum*] Hæc á Carneade adversus Chrysippum intelligenda sunt, quia Carneades jam docuit, pleraq; fieri á caussis interiorib. & insitis, non externis. *An hoc*] Diodorus quarto loco huc revocatur. Primus enim locus fuit, omne falsum impossibile, omne verū necessarium; secundus de commutatione veri in falsum: tertius locus quód non propterea Diodorus fati necessitatem confirmaret, sed interpretaretur vim verborum. *Vera est*] Locus hic mendosus est. Quidam legunt, *Ne illa quidem eversa, vera est hæc enunciatio:* quod aliquid habet adjumenti, sensum tamen plenum non habet. Sensus autem constabit, si *illa* in primo exemplo pro *hæc* reponatur: & in secundo exemplo, pro *illa, nunc,* & pro *capiet,* legatur *cepit,* hoc modo: *Etsi tum nō esset vera illa enunciatio, Capiet Numantiam Scipio; ne nunc quidem vera est enunciatio hæc, Cepit Numantiā Scipio.* Logica enim temporum collatio hunc sensum requirit. Utrum autem

Cicero ita scripserit, divinare sit, nisi exemplaria succurrãt: debuisse autem hunc sensum sequi, res ipsa cogit confiteri. Hanc enim sententiam proxima collatio declarat, ubi præteriti & futuri temporis veritas, instantis temporis veritate æstimatur, quia temporis nihil est, nisi præsens, ut Physici disputant. *Nec si omne*] Carneades adversus Chrysippum huc redit, ac reprehenditur apertiús illa de enunciatione Chrysippi ratio: Si omnis enunciatio vera est aut falsa, fato fiunt omnia. Nihil enim conjunctum habet consequens cum antecedente, nec repugnat antecedens esse verum consequente falso, cúm voluntariis caussis multa vera posśint esse, non fatalibus & necessariis. *Et tamen*] Relabitur quintó Cicero ad suum Diodorum, & illam impiã omnis veritatis necesśitatem & immutabilitatem non solúm inconstanter, sed inconsideraté admodum confirmat: proximo loco in reprehensione Chrysippi, caussas fortuitas constituit multarum rerum: nunc confirmat omnia vera esse necessaria & immutabilia, nec videt, hoc impio Diodori decreto posito, sequi quod Aristoteles ratiocinatur, ut nullæ sint mutabiles, nullæ fortuitæ, nullæ liberæ, nullæ nõ necessariæ caussæ. Non enim veritas rerum necessaria & immutabilis est, nisi ex necessariis & immutabilibus rerũ causśis: & quidem hæc logica Ciceronis valde levis & incõstans est. Quid veró est? quo argumento colligit Diodorus, & Diodori sectator Cicero, omnia vera esse necessaria? Antea adhibita est ad hanc probationem enunciationis definitio, eadem nunc demum iteratur. Necesse est esse verum aut falsum quod enunciatur, inquiunt: ergo si falsum non est, erit necessarió verum: si verum non est, erit necessarió falsum. hoc Diodori á divinatione argumentum est, quod hîc obscuré indicatur: declarabitur postea apertiús. hæc logica Ciceronis est, hæc dialectica est Diodori tam valentis (ut antea prædicabat Cicero) dialectici. Disjunctio omnis absoluté vera, est etiam necessaria, sicut connexio omnis absoluté vera, est etiam necessaria: attamen hæc totius enunciationis necesśitas (ut antea jam dixi) nihil habet á necesśitate partium: disjunctionis necesśitas pendet ex repugnantia & disjunctione partium necessaria, non ex earum necessaria veritate, sicut connexionis necesśitas pendet

det ex partium necessaria connexione. Quapropter Diodori talis disputatio non est Logica, sed sophistica planéq; impia. *Si hæc enunciatio*] Locus mendosus est: videtur legendum *hoc enunciatum*, pro *hæc enunciatio*; & *sequi* pro *sequitur*. *Hortensius*] Hortensius platanos in Tusculano habuit, quas vino irrigare consueverat, de quibus in Ciceroniano cum reliqua Hortẽsii mollitie dictum est. *Illi*] Chrysippus, Epicurus, Carneades. Omnes enim hi Diodoream immutabilitatem improbarunt. *Neutrum*] Quamvis enim totum disjunctum aut verum aut falsum sit necessarium, pars tamen neutra ideo necessaria. *Non potest*] Imó veró & est, & fit, non solúm potest fieri: ut necesse est te ambulare, aut non ambulare, est enunciatũ verum & necessarium, neutra pars tamen est necessaria.

Nec nos impediet illa ignava ratio, quæ dicitur. Appellatur enim quidam á Philosophis ἀργὸς λόγος: cui si pareamus, nihil est omnino quod agamus in vita. Sic enim interrogant, Si fatum tibi est ex hoc morbo convalescere, sive tu medicum adhibueris, sive non, convalesces. Item, Si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, non convalesces. Et alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet. Rectè genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est, quòd eadem ratione omnis é vita tollitur actio. Licet etiam immutare, ut fati nomen ne adjungas, & eandem tamen sententiam teneas, hoc modo: Si ex æternitate verum hoc fuit, Ex isto morbo convalesces; sive adhibueris medicum, sive non, convalesces. Itemq; si ex æternitate falsum hoc fuit, Ex isto morbo non convalesces; sive adhibueris medicum, sive non adhibueris, non convalesces. Deinde cætera. Hæc ratio á Chrysippo reprehenditur. Quædam enim sunt, inquit, in rebus sim-

plicia, quædam copulata. Simplex est, Morietur eo die Socrates. Huic, sive quid fecerit, sive non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit, Nascetur OEdipus Laio, nō poterit dici, sive fuerit Laius cum muliere, sive non fuerit: copulata enim res est & cōfatalis. sic enim appellat, quia ita fatum sit, & concubiturum cum uxore Laium, & ex ea OEdipum procreaturum: ut si esset dictum, Luctabitur Olympiis Milo, & referret aliquis, Ergo sive habuerit adversarium, sive non habuerit, luctabitur, erraret. Est enim copulatum, luctabitur, quia sine adversario nulla luctatio est. Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. Sive tu adhibueris medicum, sive non adhibueris, convalesces, captiosum. Tam enim est fatale medicum adhibere, quàm convalescere. Hæc, ut dixi, confatalia ille appellat.

Nec nos] Redit ad Chrysippum, & ex ejus libris syllogismum quendam fati confirmatorem vulgò in philosophorum scholis jactatum proponit, qui ἀργὸς λόγος, id est ignava ratio, dicebatur, quód ignaviam & inertiam, omni vitæ sublata actione, induceret: quem eundem posita pro nomine definitione subinde repetit. *Interrogant*] Synecdoche est partis pro toto. interrogare enim pro disputare, seu disserere dicitur: & sic mox, Rectè genus hoc interrogationis. Nam si propriè loquare, nihil hic interrogatur. Sic & interrogare, pro disputare, in Part. Sed minutis interrogatiunculis & quasi punctis quod proposuit, efficit. Sic aliás frequenter. Sic etiam Græcè ἐρωτᾶν, interrogare, leges. *Non convalesces*] In fine connexi ultimi negatione nihil opus est. nam si negatio falsa est, affirmatio certé erit vera: & si hæc enunciatio (non convalesces) falsa est, véra est contraria (convalesces.) Itaque si Cicero, ut codices indicant, ita scripserit, scripsit sané contrarium quám sensit. *Immutare*] Atque hæc immutatio non eadem est.

Nec

Nec enim verum æternum & verum fatale est idem. Enũciatum enim hoc, Capiet Numantiam Scipio, ab æterno verum fuit; attamen neque necessarium, neque fatale. *Deinde cætera*] Assumtionem illam significat & complexionem, At alterutrum fatum est; medicum ergo adhibere nihil attinet. *Hæc ratio*] Sequitur ex Chrysippo ignavæ illius ratiocinationis refutatio, cujus propositioni Chrysippus resistebat partitione & distinctione rerum, quæ si simplices essent, simplex haberent fatum; si copulatæ, copulatum. In syllogismi autem positi propositione, rem copulatam & propterea confatalem, quæ exemplis declaratur; distinctio argutula & falsa & impia. Nec enim fatum vel simplex, vel copulatum ullum est. Chrysippi laquei sunt. Veré itaque assumtioni resisti poterat: neutrum enim fatale est. sed Chrysippus fati assertor errorem suum sequitur. Eadem autem disputatio á Seneca, Stoico nempe, disseritur in Naturalibus quæstionibus, lib. 2, cap. 36, 37, 38. Quód vota proficiant, aliaque hominum studia, salva potestate fatorum, quia quædam á Diis suspensa sunt, ut in bonum vertant, si rogentur. *OEdipus*] OEdipus natus est ex Laio & Jocasta, quem responderat Apollo patris interfectorem futurum. Ergo infans jussu patris expositus est, & transfixis pedibus in arbore suspensus: hinc dictus OEdipus á tumore pedum. Hic postea patrem interfecit, & matrem uxorem duxit. *Olympiæ*] Olympia Olympiæ, est oppidum Græciæ, quod & Pisa dicitur. Olympia olympiorum, certamina sunt sacra Jovi, qùinto quoq; anno solita celebrari. *Milo*] De quo Plinius libro septimo, capite vigesimo, Crotoniatam Milonem athletam, cúm constitisset, nemo vestigio educebat: malum tenenti nemo digitum corrigebat. In Olympia (ait Valerius) bovem in humerum sustulit, tandem suis viribus nimium fidens, cúm in sylva vidisset ingentem arborem caudice scissam, immissis manibus penitus discindere cupiens, reductisque fissuris deficiente conatu, se feris lacerandum præbuit. Hæc Plinius. Alii addunt bovem ictu nudæ dextræ occisum, portatumque sine fatigatione per spacium stadii, totumq; eodem die devoratum.

Carneades genus hoc totum non probabat, & nimis inconsideraté cõcludi hanc rationem putabat: itaq; premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam: cujus erat hæc conclusio, Si omnia antecedentibus caussis fiunt, omnia naturali colligatione conserté contexteq; fiunt: quod si ita est, omnia necessitas efficit. Id si verum est, nihil est in nostra potestate: Est autem aliquid in nostra potestate. At si omnia fato fiunt, omnia caussis antecedentibus fiunt: non igitur fato fiunt, quæcunq; fiunt." al. Hæc *Hoc arctiús astringi ratione non potest. Nam si quis velit idem referre, atque ita dicere, Si omne futurum ex æternitate verum est, ut ita certé eveniat quemadmodum sit futurum, omnia necesse est colligatione naturali conserté contexteq; fieri: nihil dicat. Multum enim differt, utrúm caussa naturalis ex æternitate, futura vera efficiat, an etiam sine æternitate naturali, futura quæ sint, ea vera esse possint intelligi. Itaq; dicebat Carneades, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum caussas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. Quid enim spectans Deus ipse diceret, Marcellum eum qui ter Consul fuit, in mari esse periturum? Erat hoc quidem verum ex æternitate, sed caussas id efficientes non habebat: ita ne præterita quidem ea quorum nulla signa tanquam vestigia extarent, Apollini nota esse censebat, quo minús futura. Caussis enim efficientibus quamq; rem cognitis, posse deniq; sciri quid futurum esset. Ergo nec de OEdipo potuisse Apollinem prædicere nullis in rerum natura caussis præpositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset: nec quicquam ejusmodi. Quocirca si* Stoi-

Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consentaneum est hujusmodi oracula, cæteraq; quæ ad divinationem pertinent, comprobare: iis autem qui quæ futura sunt, ea vera esse ex æternitate dicunt, nō idem dicendum est: vide ne non eadem sit illorum caussa, & Stoicorum. Hi enim urgentur angustiis: illorum ratio soluta ac libera est.

CARNEADES] Quatuor de fato sententiæ disputatæ sunt, Posidonii, Chrysippi, Diodori, Epicuri: quinta superest Carneadis, qui sicut Diodorus & Epicurus, Stoicorum fatum tollebat, omnesque Chrysippi fraudes & captiones damnabat. *Calumniam*] Calumnia est proprié in litibus fraudulenta vexatio. In Sallustium, Sed est quædam calumnia, quam unusquisq; nostrûm testante animo suo fert de eo qui falsum crimen bonis objectat. Pro Domo, Illud in primis, ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur. Quod autem Tullius asserit nullam á Carneade calumniam adhiberi, valde ipse Carneadis calumnia falsus est. Soriticus enim syllogismus Carneadis tertio gradu cōnexi calumniam gravem adhibet, si series sit, est necesſitas: nec enim ordo necesſitatis caussa est: nec quia futurum est, protinus necessarió futurum est. Fient ab hominibus plurima, neque ab iis invitis aut coactis: vis & necesſitas hîc nulla est. *Est autem*] Assumtio est per remotionem ultimi gradus, ut antecedentes omnes removeantur. Complexio tamen reticetur. *At si*] Enthymema est præterita assumtione, quæ tamen potest é proximo accipi: at non fiunt caussis antecedentibus. *Arctius*] Sic in Paradox. Illud tamen arcté tenent, accuratéque defendunt. Sic igitur Tullius Carneadis syllogismum arctum & astrictum arbitratur, ut antea sine calumnia. Verúm, ut Carneades animorum nostrorum libertatem retineret, omnem religionem subvertebat. Non enim putabat ab Apolline, id est, ab eo Deo, cui reliqui Dii concesſissent, ut præter cæteros divinaret, sicut 1 Tuscul. scribitur: non, inquam, putabat a summo Deo res non necessarias & contingentes sciri, & fatum non esse. Itaq; ut fatum tolleret, tollebat etiam

divinationem. Syllogismus Carneadis hîc comprehensus sic est: Ea præsciri possunt, quæ caussas habent naturales & necessarias: contingentia non habent caussas naturales & necessarias: contingentia igitur præsciri non possunt. Captio verbi est ab Aristotele cæterisque logicis profecta, qui scientiam in necessariis tantùm caussis statuunt. Est veró scientia, caussarum cognitio. Porró quales res ipsæ sunt, tales sunt rerum caussæ. Quædam autem sunt res necessariæ, quædam non necessariæ, quædam liberæ, quædam nostro judicio fortuitæ: sic etiam caussarum species sunt divisæ. Itaque quædam scientia erit cognitio caussarum necessariarum, quædam etiam non necessariarum. Sic itaque verus Deus omnia cognovit ex suis caussis necessariis, & non necessariis, & præterita, & præsentia, & futura, & necessaria, & non necessaria. Non igitur sciuntur ea solúm, quæ caussas habent naturales & necessarias, quales scientiæ sunt artium liberalium: sed ea omnino, quorum caussæ cognoscuntur, & propositio Carneadis calumniam adhibet. Fuit autem error Carneadis, error Aristotelis, qui 9 cap. 12 lib. in Philosophia ait, adeó non omnia quæ toto mundo fiunt considerari, καὶ γὰρ μὴ ὁρᾶν ἔνια κρεῖττον ἢ ὁρᾶν. Etenim (ait) non videre quædam melius est quám videre. Error etiam idem Stoicorum fuit, magna Dii procurant, ait Balbus Stoicus 2 de Nat. Deor. parva negligunt. Itaque Philosophi omnes hi nunquam cogitarunt, providentia divina sic res & universas & singulas administrari, ut etiam capitis cujusque capilli á Deo numerati sint. Quód si cui mirabilis, ut est, ita videbitur Dei omnia cernentis cognitio, comparet suis oculis Lynceum é specula Lilybætana naves in portu Carthaginis dinumerantem, aliumq; Lynceum primo Lynceo tantó acutiorem, tertiumque secundo, & sic deinceps augendo perveniat eó, ut hemisphærium aliquis undiq; totum, imó sphæram mundi, totamq; rerum naturam in conspectu habeat. Sic Apollo Carneadi si visus esset tantó major universo mundo, omnibusq; mundi temporibus & conversionibus, quanto sphærico horologio aliquo Archimedes ipsius opifex rectorq; esset, cúm perspiceret Archimedi notos esse motus omnes horologii sui, minús miraretur Deo rerum opifici motus opificii sui in conspectu

omnes

omnes esse. Disputat Augustinus lib. 5 de Civit. cap. 9, adversus Ciceronem de hac re, quód Cicero divinationi conjunctum fatum impié crederet: & videtur Augustinus gradationem quandam ex hoc libro refutare, quam Vives Augustini interpres, vir alioqui doctissimus, ex 2 de Divinat. Ciceronis libro sumtam putat, ubi tamen cúm disputatio sit integra, nulla est hujus argumenti suspicio. Probabilius est ex hoc libro soritem illum sumtum esse, ubi notæ quædam supersunt rerum ab Augustino in refutatione productarum. Sorites Ciceronis in connexi secundi formam ita concluditur, Si est præscientia, ordine præscientiæ res eveniunt: si hoc est, etiam certus ordo rerum: si rerum, etiam caussarum: quæ si sint, fatum est: si fatum, nullum arbitrium liberum: sed est arbitrium liberum: quare non fatum, non ordo caussarum, neq; rerum, neq; eventorum, deniq; neque præscientia est. Syllogismus Ciceronis hoc ordine componitur. Sententia ejus sequitur ex Augustino. Quid est ergo (ait Augustinus) quod Cicero timuit in præscientia futurorum: ut eam labefactare disputatione detestabili niteretur? videlicet quia si præscita sunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura esse præscita sunt: & si hoc ordine venient, certus est ordo rerum præscienti Deo: & si certus ordo rerum, certus est ordo caussarum. Non enim aliquid fieri potest, quod non aliqua efficiens caussa præcesserit. Si autem certus est ordo caussarum, quo fit omne quod fit, fato (inquit) fiunt omnia quæ fiunt. Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis. Quod si concedimus (inquit) omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur, neque ulla justitia bonis præmia, & malis supplicia constituta sunt: hæc ergo, ne consequantur indigna, & absurda, & perniciosa rebus humanis, non vult esse præscientiam futurorum: atque in has angustias Cicero coarctat animum religiosum, ut unum eligat é duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum: quoniam utrunque arbitratur esse non posse: sed si alterum confirmatur, alterum tolli: si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium: si elegerimus volun-

tatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus & doctus, & vitæ humanæ plurimùm & peritissimè consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum: atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos. Religiosus autem animus utrunque eligit, utrunque confitetur, & fide pietatis utrunque confirmat. Quomodo? inquit. Nam si est præscientia futurorum, sequuntur illa omnia quæ connexa sunt, donec eó perveniatur, ut nihil sit in nostra voluntate. Porró si est aliquid in nostra voluntate, iisdem recursis gradibus eó pervenitur, ut nō sit præscientia futurorum. Nam per illa omnia sic recurritur: Si est voluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt: si non omnia fato fiunt, non est omnium certus ordo caussarum: si certus caussarum ordo non est, nec rerum certus est ordo præscienti Deo, quæ fieri non possunt, nisi præcedentibus & efficientibus caussis: si rerum ordo præscienti Deo certus non est, non omnia sic eveniunt, ut ea ventura præscivit: porró si non omnia eveniunt, ut ab illo ventura præscita sunt, non est, inquit, in Deo præscientia omnium futurorum. Hunc Ciceronianum, vel (ut suspicor) Carneadeum soritém D. Augustinus oratione gravissima & verissima refellit. Summam ejus notavimus in reprehensione propositionis & assumtionis. *Marcellum*] De hoc Marcello Florus in Livium lib. 50. Trium legatorū qui ad Masinissam missi fuerant, Claudius Marcellus orta tempestate obrútus est. Cic. in Divinat. lib. 2. Ut si quis M. Marcellum illum qui ter Cōsul fuit, multis annis anté dixisset esse naufragio periturum, divinasset profectó. *Quocirca*] Anteponitur Carneades Chrysippo: at utriusque par est calumnia, & Chrysippi fatum in omni re statuentis, & Carneadis divinationem omnem vel Deo eripientis. *Oracula*] Chrysippus de Divinatione duos libros, & unum de Oraculis conscripserat, ut est 1 lib. de Div. apud Cic. *Æternitate*] Sic pauló anté Carneadis illud fuit, Erat hoc quidem verum ex æternitate.

Quod si cōcedatur, nihil posse evenire nisi caussa antecedente, quid proficiatur, si ea caussa non ex

æternis

æternis caussis apta ducatur? Caussa autem ea est, quæ id efficit cujus est caussa, ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Itaq; non sic caussa intelligi debet, ut quod cuiq; antecedat, id ei caussa sit, sed quod cuiq; efficienter antecedat: nec quód in campum descenderim, id fuisse caussæ, cur pila luderem: nec Hecubam caussam interitus fuisse Trojanis, quód Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quód Clytæmnestram. Hoc enim modo viator quoq; bene vestitus caussa grassatori fuisse dicetur, cur ab eo spoliaretur. Ex hoc genere illud est Ennii,

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.

Licuit vel altiús, Utinam ne in Pelio nata ulla unquam esset arbor. Etiam suprá, Utinam ne esset mons ullus Pelius.

Similiterq; superiora repetentem regredi in infinitum licet.

Neve inde navis inchoandæ exordium
Cepisset.---

Quorsum hæc præterita? quia sequitur illud,

Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem .
Medea, animo ″ ægro, amore sævo saucia. *al.* ægra,

Non ut hæ res caussam afferrent amoris. Interesse autem ajunt, utrum ejusmodi quid sit, sine quo effici aliquid non possit: an ejusmodi, cum quo aliquid effici necesse sit. Nulla igitur earum est caussa, quia nulla earum rerum sua vi efficit id cujus dicitur caussa. Nec id sine quo quippiam non fit, caussa est: sed id quod quum accessit, id cujus caussa est, efficit

necessarió. Nondum enim ulcerato serpentis morsu Philocteta, quæ caussa in rerum natura continebatur, fore, ut is in insula Lemno linqueretur? póst autem caussa fuit propior, & cum exitu junctior.

Quod si] Revocat propositionem secundi syllogismi Chrysippei á Carneade antea prætermissam, & ei sic resistit, ut neget illa quæ sempiterna serie antecedant, caussas esse: quod approbat definitione efficientis caussæ, & multis exemplis. Totus igitur hic locus est logicus de caussæ definitione. *Caussa*] Caussæ nomine tantúm efficientem caussam intelligit, cujus genera duo facit in Topicis & Partitionibus, alterum quod vi sua efficit, ut ignis accendit: alterum sine quo effici nō potest, ut locus, tempus, materia, ferramenta. Hic alterum genus removetur é caussis, non rectè. *Campum*] Ubi juventus omnibus modis exercebatur, cursu, lucta, hasta, disco, pugillatu, pila, saliendo, ut Plautus in Bacchide loquitur, & antea fuit, Ut in porticu Pompeji potiús quám in cāpo ambulemus. *Pila*] Trigonalis in trigone thermarum, paganica autē & follis & harpastum in campo esse poterant. *Hecubam*] Hecuba Priami uxor, quæ somniavit prægnans accensam facem se párere, quæ patriam totam inflāmaret. *Tyndareum*] Tyndarus rex OEbaliæ vir Ledæ, Tyndareus etiam dicitur. Ovidius 8 Epistol.

Me tibi Tyndareus vita gravis author & annis
Tradidit.—

Hic Castorem, Pollucem, Helenam, Clytęmnestrā genuit. *Agamemnoni*] Regi Mycenarum, Græcorum duci ad Trojam. *Clytæmnestram*] Quę per adulterum Ægisthum interficiendum curavit Agamemnonem maritum: posteaq; interfecta est ab Oreste filio. Ovid. Eleg.

Et vindex in matre patris malus ultor Orestes.

Ennius] Ennius Epicorum poëtarum princeps ante Tullium. *Utinam*] Vox est servulæ lamentantis Medeam heram. *Pelio*] Ovid.

Pelion Æmoniæ mons est obversus in austros,
Summa virent pinu, cætera quercus habet.

Trabes]

Trabes] Materies Argus navis hîc attingitur, qua vectus cum Argonautis Jason, cujus amore Medea capta est. Et sic in Topicis idem: Nisi enim cecidisset abiegna ad terram trabes, Argo illa facta non esset:nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria. *Interesse*] Colligitur illustrationis longioris summa, constitutaque definitione caussæ,tollitur illud sine quo. *Utinam*] Citatur hic Ennii locus in Topicis à Cicerone,& illic ponitur inter caussas hæc caussa sine qua, quam veriús hoc loco Cicero removet é caussis: quamvis non rectè totum caussæ genus uni efficientis speciei tribuit. *Nondum*] Proponit aliud exemplum ejusdem refutationis de Philoctete,à quo Hercules(ut Servius scribit)in OEta hominem exuens petivit, ne alicui sui corporis reliquias indicaret,jurareq; coëgit,& suas sagittas hydræ felle tinctas dedit.Et cúm responsum fuisset, Herculis sagittis opus esse ad expugnandam Trojam, inventus est Philoctetes: & de Hercule interrogatus, negavit se scire: deinde cúm cogeretur, confessus est mortuum:sepulchrumq;,ne jusjurandum falleret, non voce, sed pede ostendit. Post hęc cúm duceretur ad bellum, casu in eum pedem,quo sepulchrum ostendit,sagitta cecidit, vulnereq; immedicabili confectus est. Alii serpentis morsu vulneratum tradunt, cujus fœtor cúm à Græcis sustineri non posset,in Lemno relictus est: ubi cúm pristinæ sanitati restitutus esset,ad Trojam deductus est. Sic enim dicit Ulysses apud Ovid.in 13 Metam.

Nec Pœantiaden quòd habet Vulcania Lemnos,
Esse reum merui;crimen defendite vestrum:
(Consensistis enim)nec me suasisse negabo,
Ut se subtraheret belliq; viaq; labori,
Tentaretq; fero: requie lenire labores.
Paruit,& vivit.—

Lemno]Lemnos est insula maris Ægæi, ab Oriente Trojam,ab occasu Athon spectans, à Borea Thraciam,ab Austro Cretam.hic Vulcanus colebatur.

Ratio igitur e vètus aperit caussam:sed ex æternitate vera fuit hæc enunciatio, Relinquetur in insula Lemno Philoctetes: nec hoc ex vero in fal-

ſum poterat converti.neceſſe eſt enim in rebus contrariis duabus:(contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid,alterum negat.) Ex his igitur neceſſe eſt invito Epicuro alterum verum eſſe,alterum falſum:ut,Sauciabitur Philoctetes, omnibus antè ſeculis verum fuit: Non ſauciabitur, falſum. Niſi fortè volumus Epicureorum opinionem ſequi, qui tales enunciationes nec veras nec falſas eſſe dicunt: aut quum id pudet,illud tamen dicunt,quod eſt impudentius,veras eſſe ex cõtrariis disjunctiones:ſed quæ in his enunciata eſſent,eorum neutrum eſſe verum.O admirabilem licentiam,& miſerabilem" inſcitiam diſſerendi. Si enim aliquid in eloquendo nec verum nec falſum eſt,certé id verum non eſt:quod autem verum non eſt,qui poteſt non falſum eſſe?aut quod falſum non eſt,qui poteſt non verum eſſe?" Tenebitur id quod á Chryſippo defenditur. Omnem enunciationem aut veram aut falſam eſſe,ratio ipſa coget,& ex æternitate quædam eſſe vera,& ea non eſſe nexa cauſſis æternis,& á fati neceſſitate eſſe libera.

L.inſcitiam diſſ.

*fort.*Tenebitur ergo id,

RATIO IGITUR] Sextus locus eſt per occaſionem Carneadeæ ſententiæ,quo probatur á Cicerone Diodori ſententia,de omnis veritatis neceſſitate:ſed tantæ impietatis argumentum hîc apertius eſt, quám in ſuperioribus locis.Diſputatio tota eſt logica de axiomate contradictionis,quæ modó contrariorum nomine appellatur. *Contraria*] Disjunctio ex contradicentibus abſoluté vera, eſt etiam neceſſaria, ut antea docui, quamvis partium neutra ſit neceſſaria: Tu curres,aut non curres, neceſſaria disjunctio eſt:attamen(tu curres) non eſt enunciatio neceſſaria:(tu non curres)non eſt enunciatio neceſſaria. Neceſſitas veritatis in disjunctione (ut ſæpe jam dico) non pendet ex partium neceſſaria veritate, ſed ex neceſſaria ipſarũ diſſen-

diſſenſione. Attamen Diodorus tantus (ut Ciceroni videtur) dialecticus ſic argumentatur, Contradictionis neceſſe eſt alteram partem veram eſſe, alteram falſam: itaque in hac contradictione, Sauciabitur Philoctetes, non ſauciabitur Philoctetes, altera pars eſt neceſſarió vera, altera item neceſſarió falſa: ergo priorem partem (ſauciabitur Philoctetes) quia eventus veram probavit, neceſſe erat veram eſſe, poſteriorem eſſe falſam. Hic Cicero Epicureos exagitat, qui disjunctiones ex contradicentibus veras eſſe negarent: aut certé ſi disjunctiones veræ eſſent, partes earum tamen veras non eſſe. Itaq; Cicero exclamat, O admirabilem licentiam, & miſerabilem inſcitiam diſſerendi: ſed certé veriús id in Chryſippum, Diodorum, Ciceronem ipſum exclamari poteſt, quám in Epicurum. Hic enim dialecticæ nullam ſcientiam habuit, & in hac inficiatione majorem inſcitiam quám culpam oſtendit. At illi ex diſtortione præcepti dialectici, & ſophiſmate, capitalem humano generi fraudem commenti ſunt. Urgetur Epicurus ab ingenioſis illis & acutis logicis: Disjunctio neceſſaria eſt (inquiunt) ergo partium altera neceſſarió vera, altera neceſſarió falſa: ergo fatum: ergo omne verum neceſſarium. Hic Epicurus tam terribili conſecutione terrebatur; Gordium ſcilicet nodum ſolvere non poterat, fregit. Et tamen quod Epicurus ajebat, id Ariſtoteles in ἑρμηνείᾳ videtur ante Epicurum dixiſſe, qui futuri contingentis enunciationem diſputat, jam neq; verã, neq; falſam eſſe, quamvis altera futura vera, altera falſa futura ſit. Sic enim ait, in futuro contingenti contradictionis partem neutram eſſe ἤδη ἀληθῆ ἢ ψευδῆ. *Si enim*] Contexit ſoritem tribus gradibus adverſus Epicureos, quo probare vult omnem enunciationem veram eſſe aut falſam. Epicurei ſi tales eſſent, quales Cicero fingit, reſiſterent ſecundo & tertio gradui. *Eloquendo*] Eloqui verbum eſt oratorium: hinc eloquens Orator appellatur, & ejus facultas eloquentia nominatur. Hic autem dialecticé ſumitur pro enunciare. *Tenebitur*] Concludit contra Epicurum, omnem enunciationem veram eſſe aut falſam: pro Diodoro, ex æternitate quædam vera eſſe: contra Chryſippum, non eſſe nexa cauſſis æternis. De Diodoro idem error eſt, qui anté.

Ac mihi quidem videtur, quum duæ sententiæ fuissent veterum philosophorum, una eorum qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit: altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus volũtarii: Chrysippus tanquam arbiter honorarius" medium ferire voluisse, sed applicat se ad eos potiùs, qui necessitate motus animos liberatos esse volunt. Dum autẽ verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus. Atq; hoc, si placet, quale sit, videamus in assensionibus, quas prima oratione tractavi. Eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici & necessitate dicebãt. Qui autem ab his dissentiebant, fato assensiones liberabant, negabantq; fato assensionibus adhibito necessitatem ab his posse removeri: iiq; ita disserebant, Si omnia fato fiunt, omnia fiunt caussa antecedente: & si appetitus, illa etiam quæ appetitum sequuntur: ergo etiam assensiones. At si caussa appetitus non est sita in nobis, nec ipse quidem appetitus est in nostra potestate: quod si ita est, ne illa quidẽ quæ appetitu efficiuntur, sita in nobis sunt: non sunt igitur neque assensiones, neq; actiones in nostra potestate. Ex quo efficitur, ut neq; laudationes justæ sint, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia. Quod quum vitiosum sit, probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quæcunq; fiant.

al. medium se ferre vol.

Ac mihi] Declarat tandem pleniùs totam Chrysippi sententiam, fatum probantis, necessitatem tamen improbantis, ad eamq; rem ponuntur contrariæ veterũ sententiæ,

tiæ,quarum medium Chrysippus sequi voluerit. *Democritus*] Sic antea,Hinc Democritus,author atomorum,accipere maluit necessitate omnia fieri, quàm à corporibus individuis naturales motus avellere. *Heraclitus*] Hic philosophus omnia vera faciebat,& ideo partem contradictionis utramq; verā: contra quem Aristoteles in Philosophia disserit. *Empedocles*] Magna sæpe Aristoteli lucta est adversus hunc philosophum : contradictionem hic utraq; parte falsam ajebat esse: & refellitur ibidem cum Heraclito.in Physicis multos ejus errores Aristoteles reprehendit. *Aristoteles*] Aristoteles tamen in libro περὶ ἑρμηνείας, disputat contra fatum hisce feré argumentis, quæ pauló póst adhibebuntur,& differit aliquid verum futurum εἰς ἑκάτερον, neque necessarium. & Alexander in libro de Fato docet ex Aristotelis sententia fatum esse caussam naturalem, efficientem non necessarió, sed frequenter,ut quicquid fatale sit, sit etiam naturale, & quicquid naturale,fatale,ut fato casus & voluntas hominis non subjiciantur:quæ sola de tam multis Philosophorum sententiis vera est.Id,inquam,Alexander ait,attamen Aristoteles, ut dixi, Epicureum illud dogma tueri videtur, futuri contingentis enūciatum jam nec verū nec falsum esse,quamvis tamen futurum sit. Et in libello de Mundo, ἀνάγκην, εἱμαρμένην, πεπρωμένην, necessitatem, fatum, destinatum statuit. at hic libellus Aristotelis non videtur esse, cúm de mundi partibus pleraque narret Aristotelis temporibus nondum patefacta. *Arbiter*] Hæc forensis similitudo declarat á Chrysippo neutrā veterū sententiarum penitus damnatā,nec omnino etiam probatā esse,sicut arbiter honoris caussa ab utraq; parte delectus,neq; nihil, neq; totum quod petitur tribuit. *Medium ferire*] Videtur legendum *sentire*,vel *se ferre*.Nam si metaphora sit á sagittariis,exactum quidpiam hîc significaretur, quod arbitrio non satis conveniret:*medium* autem,quod μέσον verbum Platonis & Aristotelis in justitia proportionis arithmeticæ seu geometricæ valde conveniat : & infinitum *Voluisse*, sine alio verbo hîc etiam ostendit sententiam plenam non esse. *Qui autem*] Argumentatio veterum, fatum tollentium, sorite multorum graduum comprehensa , in

quo argumentum Carneadis antea positum, idem feré repetitur. Gradus autem sunt fatum, caussa antecedens, appetitus, appetitum sequentia, assensio. *At si*] Iteratur idem sorites é quatuor postremis gradibus, sed additur gradus alius de laudationibus & vituperationibus. *Quod quum*] Assumtio connexi soritæ per remotionem ultimi gradus, ut cæteri gradus removeantur.

Chrysippus autem quum & necessitatem improbaret, & nihil vellet sine præpositis caussis evenire, caussarum genera distinguit, ut & necessitatem effugiat, & retineat fatum. caussarum enim, inquit, aliæ sunt perfectæ & principales, aliæ adjuvantes & proximæ. Quamobrem quum dicimus omnia fato fieri caussis antecedentibus, nō hoc intelligi volumus, caussis perfectis & principalibus: sed caussis adjuvantibus, antecedentibus, & proximis. Itaq; illi rationi, quam pauló anté conclusi, sic occurrit: Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia caussis fiant antepositis: verúm non principalibus & perfectis, sed adjuvantibus & proximis. Quæ si ipsæ non sint in nostra potestate, non sequitur ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate. At hoc sequeretur, si omnia perfectis & principalibus caussis fieri diceremus, ut quum hæ caussæ non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. Quamobrem qui ita fatum introducunt, ut necessitatem adjungant, in eos valebit illa conclusio. Qui autem caussas antecedentes non" dicent perfectas, neque principales, in eos nihil valebit. Quód enim dicantur assensiones fieri caussis antepositis, id quale sit, facilé á se explicari putāt. Nam quanquam assensio non possit fieri nisi commota viso: tamen quum id visum proximam caussam habeat

L. dicunt

beat non principalem, hanc habet rationem, ut Chrysippus vult, quam dudum diximus, non ut illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata: necesse est enim assensionem viso commoveri.

Chrysippus autem] Declarat quid Chrysippus inter veteres medium sequatur, idque caussarum distinctione, qua ille sperabat se necessitatem effugere, ut fatum tamen retineret, quia omnia fierent caussis præpositis: sed alia principalibus & necessariis, alia proximis & non necessariis, & (ut clariús antea locutus est) externis, ut assensiones, & actiones, & appetitiones hominum, quæ á visis extrinsecus oblatis principium quidem suæ motionis acciperent, quod reliquum esset, suapte vi & natura moverentur: sed Chrysippea calumnia est ad invidiam odiosæ opinionis detestandam inventa. Quid enim attinet potiús appellari caussas illas adjuvantes, quám perfectas, si principium motionis inchoatæ reliqua motio necessarió consequatur? Nam si visum aliquod assensionem movebit, & tamen non necessarió assensio ipsa consequatur, sed resistat, imó etiam in contrarium sua sponte, nulla externa caussa feratur, sempiterna illa caussarum catena dissolvetur: nec omnia antecedentibus caussis fient, quia assensionis motio voluntaria erit, & ex se suaq; natura prorsus orietur. Et sic antea Carneades Tullio acutiús agere videbatur, cúm voluntatis nostræ non esse caussas externas & antecedentes differebat. Sic etiã ipse sua & voce & persona in exemplis Stilphonis & Socratis disseruit, vitia quæ naturalibus & antecedentibus caussis nascerentur, voluntate, studio, disciplina, id est, interioribus & principalibus, perfectisque caussis extirpari, & funditus tolli posse. Quare mirabilem disserendi scientiam in Chrysippeo isto arbitrio nobis ostendit, dum perfectas & principales caussas ab animis, & perfectas externis & adjuvantibus subjicit: antea contra Chrysippum disputavit, caussas externas interioribus & principalibus edomari & comprimi: nunc pro Chrysippo contrarium disserit, externas illas principales ita conseri & contexi, ut fatum efficiant. Hæc Chrysippi sententia ma-

gis pauló póst intelligetur. *Commota viso*] Visum vocat non solúm quod oculis visum sit, sed phantasiam in Academico interpretatur, id est, oblatam á sensibus speciem, vel etiam cogitatione fictam & depictã, qualia dormientium, ebriorum, furiosorum visa sæpe nominat Cic. sic idem visiones dicit. *Nulla vi*] Hîc definitio quædam est, ut idem sit vi externa excitari assensionem, & viso commoveri. 1 Acad. Esse censuit é quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam ille φαντασίαν, nos visum appellamus. In Divin. Huic omnia visa objiciuntur á mente & ratione vacua.

Sed revertitur ad cylindrũ & ad turbinẽ suum, quæ moveri incipere nisi pulsa nõ possunt. Id autem quum accidit, suapte natura, quod superest, & cylindrum volvi, & versari turbinem" putant. Ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrũ, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: sic visum objectum imprimet illud quidẽ, & quasi signabit in animo speciem suam: sed assensio nostra erit in potestate, eaq; quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi & natura movebitur. Quód si aliqua res efficeretur sine caussa antecedente, falsum esset omnia fato fieri: sin omnibus quæcunq; fiunt, verisimile est caussam antecedere; quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit, modó intelligatur, quæ sit caussarũ distinctio ac dissimilitudo?

fort. putat.

SED REVERTITUR] Declarat apertiús Chrysippi sententiam exemplis, quorum similitudine Chrysippus ipse utebatur. At collationis hujus tum propositio, tum redditio falsa est: nec enim unquam cylindrus aut turbo suapte natura volverentur, cúm pondera sint: sed cylindrus deorsum sua gravitate labitur, in eoque motu figura cylindrica caussa est adjuvans; non perfecta & principalis, ut Chrysippus putabat. Turbo autem tandiu volvitur, quandiu vis extrin-

extrinſecus impreſſa in eo permanet. Neq; veró animus noſter tanquam cylindrus eſt, qui externo viſo impulſus labatur tanquam pondere: ſed cubus potiús eſt, qui quancunque in partem ceciderit, poſſit tamen apté conſiſtere: mens enim externo viſorũ motu impulſa reſiſtere poteſt. Imó veró etiã alıorſum ſuo & libero & naturali motu ferri poteſt, cauſſasq; impulſionis externę poteſt edomare: tumque σύνταξις καὶ συμπλοκὴ ἀπαράβατος, ordo & ſeries immutabilis diſſolvetur. Cylindri Chryſippei meminit Gelli' lib. 6, cap. 2, & locum transfert his verbis á Chryſippo, Sicut (inquit) lapidem cylindrum, ſi per ſpacia terræ prona atq; dirupta jacias, cauſſam quidem & initium præcipitantiæ feceris, mox tamen ille præceps volvitur, non quia tu id jam facis, ſed quoniã ita ſeſe motus ejus & formæ volubilitas habet: ſic ordo & ratio & neceſſitas fati genera ipſa & principia cauſſarum movet, impetus veró conſiliorum mentiumq; noſtrarum, actionesq; ipſas voluntas cujuſq; propria, & animorum ingenia moderantur. Accommodat Gellius exemplum ad locum declivem & præcipitem: res eodem redit. labetur enim motus primúm externo aliquo motu cylindrus, & ſecundum motum aliquid volubilitas adjuvat, ſed præcipua cauſſa motus erit pondus & gravitas, eaq; cauſſa erit neceſſaria, qualem Chryſippus in animis noſtris minimé vult. Itaq; dũ Chryſippus diſtinctionibus tam captioſis utitur, delabitur in eas difficultates, ut neceſſitatem fati confirmet invitus: quod antea Tullius etiam ſenſit, ſed neſcio quomodo in Chryſippi laqueos, quos antea tã prudenter evitaverat, ſeſe induit, ut ad extremũ quod improbarat, comprobare videatur. Quamobrem totũ hoc arbitrium Chryſippi æquitatis nihil habet, ſed fraudis eſt & malitiæ pleniſſimum. Quamvis enim prima impulſio ſit externa, ſi reliqua tamen neceſſarió ſubſequatur, quęnam relinquetur animis aſſenſio libera? Cõtexit Chryſippus catenam ex cauſſis cõſertis inter ſe & ſempiternis indiſſolubilem: deinde cúm invidia libertatis hominibus ereptæ prematur, in hac, inquit, cauſſarum catena ſunt etiam voluntates noſtræ liberæ ab omni neceſſitate & ſolutæ. Verba hîc ſunt, res nulla. Nã ſi voluntates noſtræ ſint conſertæ cauſſis antecedentibus, ſic ut eas neceſſarió ſequãtur, quæ-

nam est ista verborum libertas, cui rerum necessitas imponitur? *Quod si*] Repetitur argumentũ Chrysippi toties adhibitum, & concluditur fallaci connexo, si aliquid fieret sine caussa, falsum esse omnia fato fieri. Sed primum verũ, secundum igitur.

Hæc cùm ita sint á Chrysippo explicata, si illi qui negant assensiones fato fieri, fateantur tamen eas sine viso antecedente fieri: alia ratio est: sed si concedunt anteire visa, nec tamen fato fieri assensiones, quòd proxima illa & continens caussa non moveat assensionem, vide ne idem dicant. Neq; enim Chrysippus concedens assensionis proximam & continentem caussam esse in viso positam, neque eam *caussam ad assentiendum necessariam esse concedet: ut si omnia fato fiant, omnia fiant caussis antecedentibus & necessariis.*" *Itemq; illi, qui ab hoc dissentiunt, confitentes non fieri assensiones sine præcursione visorum, dicent, Si omnia fato fierent ejusmodi, ut nihil fieret nisi prægressione caussæ, cõfitendum esse fato fieri omnia. Ex quo facile intellectu est, quoniam utriq; patefacta atq; explicata sententia sua, ad eundem exitum veniant, verbis eos, non re dissidere. Omninoq; quum hæc sit distinctio, ut quibusdam in rebus veré dici possit, quum hæ caussæ antegressæ sint, non esse in nostra potestate, quin illa eveniant, quorũ caussæ fuerint: quibusdã antè in rebus caussis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut illud aliter eveniat. hanc distinctionẽ utriq; approbant: sed alteri censent,* † *quibus in rebus quum caussæ antecesserint, ita ut non sit in nostra potestate, ut aliter illa eveniant, ea fato fieri: quæ antè in nostra potestate sint, ab his fatũ abesse.**

[Marginal notes: neq; *Lamb.* delet. — L. neq; illi — † *fort.* quib. rebus caussæ ant. — * *tale quid deest*: alteri, sive hæ, sive illæ caussæ antecesserint, á rebus fatũ abesse.]

HAEC

Haec cúm ita] Fuit adhuc fallax arbitrium Chrysippi inter contrarias veterum sententias medium: simile Ciceronis arbitrium sequitur, Chrysippi sententiam cum adversariorum senrentia comparantis, & eandem efficere contendentis, quód utrique fateantur quidem caussis antecedentibus omnia fieri, alia necessariis, non necessariis alia: sed alii caussis tantúm necessariis propositis fatum comprehendant, alii quibusvis: eos itaque verbis, non re dissidere, captio & fraus est. Negari enim potest Chrysippo antecedentibus & externis visis omnia fieri, cúm possit ex nobisipsis primus voluntatis, appetitionis, assensionis motus esse, visis extrinsecus oblatis excitari. *Alia ratio*] Hîc mirabilis est Ciceronis logicáne an memoria? Carneades enim hanc ipsam rationem differens Ciceroni videbatur acutiús agere. Cúm enim cõcessisset, motum nullum esse sine caussa, non concedebat tamen, omnia quæ fierent, fieri caussis antecedentibus: voluntatis enim nostræ non esse caussas externas & antecedentes. Hæc verba Ciceronis antea fuerunt, at nunc contrarium disputans & arbitrans logicus sibi peracutus videtur. quo in loco est syllogismus cõnexus inconstans: Si fateantur sine viso fieri, differunt: Sed primum falsum, secundum igitur. Assumtio etiam fallax est, & á Carneade improbata. *Necessariam*] Quid igitur, inquam, si necessaria non est externa impulsio, non sequitur ergo assensio: sed si resistat, fatalis series turbabitur, ut jam dixi: & hîc apparet logica Ciceronis. *Itemq;*] Connexi hujus, Si omnia fiant prægressione caussæ, confitentes assensionem non fieri sine prçcursione visi, confitebuntur fato omnia fieri, consequutio fallax. Et antecedens Carneadi falsum videatur: sed in verbis prçcursionis, antecessionis, prægressionis adhiberi debuit á Cicerone externum illud Carneadis verbum, quod calumniam sophismatis totam aperiret. *Verbis*] Sed Chrysippus abutitur fati nomine, in quo liberas & non necessarias caussas complectitur; alii proprié appellant. *Omnino*] Distinctio hîc repetita est vera, & utrisque probata. *Sed alteri*] Hîc propria est fati appellatio; deest autẽ comparationis pars altera pro Chrysippo.

Hoc modo hanc caussam disceptari oportet, non ab atomis errantibus, & de via declinantibus, præsidium petere. Declinat, inquit, atomus. Primùm cur? Aliam enim quandam vim motus habebunt, á Democrito impulsionis, quam plagam ille appellat, á te Epicure gravitatis & ponderis. Quæ ergo nova caussa in natura est, quæ declinet atomum? aut num sortiuntur inter se, quæ declinẽt, quæ non? aut cur minimo declinent intervallo, majore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus aut tribus? Optare hoc quidem est, non disputare. Nam neq; extrinsecus impulsam atomum loco moveri & declinari dicis, neque in illo inani per quod feratur atomus, quicquam fuisse caussæ, cur ea nõ é regione ferretur: nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita quum attulisset nullám caussam, quæ istam declinationem efficeret, tamen aliquid sibi dicere videtur, quum id dicat, quod omnium mentes aspernẽtur ac respuant. Nec veró quisquam magis cõfirmare mihi videtur non modó fatum, verúm etiam necessitatem & vim omnium rerum, sustulisseq; motus animi voluntarios: quám hic, qui aliter obsistere fato fatetur se nõ potuisse, nisi ad has commẽtitias declinationes confugisset. Nã ut essent atomi quas quidem esse mihi probari nullo modo potest, tamen declinationes istæ nunquã explicarentur. Nã si atomis, ut gravitate "ferantur, tributum est necessitate naturæ, quód omne põdus nulla re impediẽte moveatur & " feratur necesse est: illud quoq; necesse est, declinare quibusdã atomis: vel si volunt, omnibus " naturaliter.

L. deorsum ferantur, L. feratur deorsũ nec. L. tributũ esse naturaliter.

Mul-

Multa desunt.

HOC MODO] Exclamatio quædam est gestientis Ciceronis, tanquam præclaré veterum controversiam arbitrio & disceptatione sua dijudicarit: at inconstantia & levitas summa est. Disputavit Cicero contra Chrysippum initio tam subtiliter, tamque dialecticé omnibus ejus argumentis restitit: tot locis eum Diodoro, licet erranti, licet impiæ fraudis authori, tamen postposuit, ejus sententia fatalem necessitatem comprehendi confirmavit. Qui introducũt (inquit) caussarũ seriem sempiternam, hi mentem hominis voluntate libera spoliatã necessitate fati devinciunt. deinde in illis præclaris caussarum distinctionibus Chrysippi, quid de Chrysippo ait? Dum verbis (inquit) utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus: & revera (sicuti docui) necessitatem fati confirmat. Quid igitur est caussæ quamobrem hæc Chrysippi sentẽtia toties reprehensa, toties improbata, toties damnata, tandem laudetur & approbetur? Vidit Cicero Chrysippi argutiolas & distinctiones ad veterum disceptandam discordiã compositas: earũ acumine nescio quo modo captus est: Itaq; non solúm probavit, sed imitari etiã voluit, & Chrysippeæ logicæ Tullianam logicam parẽ demonstrare. *Hoc modo*] Conclusa superiorum concordia revertitur ad Epicurum, & ejus declinationem multis modis insectatur, imperitiamq; divisis caussarum & subductis generibus exaggerat. *Plagam*] Antea Lucretius etiã plagam Democriticam attribuit Epicuro, non tantúm pondus & declinationem. *Sortiuntur*] Allusio quędam est ad Rom. magistratus, qui delecti á populo provincias sortiebantur, quod est pauló aliter. & 1 de Finibus: Nam si omnes atomi declinabunt, nullæ unquam cohærescent; sive aliæ declinabũt, aliæ suo nutu recté ferentur, primúm erit hoc quasi provincias atomis dare, quæ recté, quæ obliqué ferantur. *Cur minimo*] Urget tanquam é paribus motibus: minus autem illud antea dictum est. Itaq; quidem tertius motus oritur extra pondus & plagam, cúm declinat atomus intervallo minimo: id appellat ἐλάχιστον. *Optare*] Sic antea, O admirabilem licentiam, & miserabilem

inſcitiam diſſerendi. *Nam neq;*] Urget cauſſam declinationis per ſpecies motus violenti,naturalis. *Ita quum*] Concludit ἀλογίαν Epicuri in commento declinationis. *Nec verò*] Diſputat, Epicurum hac commentitia declinatione non modó non evitare fatum, ſed etiam confirmare.Argumentum ex paribus eſt:Motus ponderis eſt neceſſarius, ergo motus declinationis etiam neceſſarius erit. Epicurus utrunq; negaret. *Nullo modo*] Geometricum illud antea fuit,Non modó corpus,ſed ne lineam ullam eſſe individuam.

Maxima pars libri deinceps amiſſa eſt.

Habemus autem fati Ciceroniani diſputationem ex his reliquiis utcunque per nos collectam,in qua fati neceſſitas nulla perhorreſcenda eſt,ſed potiùs levitas hominum deploranda & miſeranda.Poſidonius cæli affectione, Chryſippus naturæ cõtagione, divinatione, enunciationis definitione, cauſſarum anteceſſione,dum fatum ſuum nobis inculcant, perſpeximus quám miſeris modis impediantur & hæreant: Diodorus, Epicurus, Carneades contra fatum Stoicis vehementer opponuntur,& omnibus viribus quaſi præliantur:ſed ita tamen, ut graviores ipſi plagas á ſeipſis accipiant,quám adverſariis imponant.Diodorus dum fortuitam accidentiam,liberam utriuſq; partis potẽtiam tollit,Dei hominisq; potentiam tollit.Epicurus providentiam hominum Deorumq; deſtruit,dum omnia fortunę,temeritatiq; tribuit. Carneades divinationem, omnemq; futurorum contingentium cognitionẽ de cælo detrahit,Deosque ſuos hominibus nihilo ſapientiores facit. Cicero qui judex harum ſententiarum diſceptatorq; videri voluit, Epicurum tametſi nihilo deteriorem cõtemnit, cæterorum ſceleratas & impias fraudes defendit:cum Diodoro neceſſitatem nobis imponit:cum Carneade divinationem cęleſtibus eripit:cum Stoicis æquiſſimo tandem, ut ſibi viſus eſt,arbitrio fatum,licet oppugnatum initió & damnatum, tamen ad extremum ita conſtituit,ut verbo libertatem relinquat,re ipſa & æternę ſeriei immutabilitate nihil hominum poteſtati relinquat.

FINIS.

SCIPIONIS SOMNIUM EX SEXTO M. T. CICERONIS DE REPUBLICA LIBRO, PETRI RAMI PRÆLECTIONIBUS EXPLICATUM.

EXPLICANDUM sumseram primis hisce diebus, quibus Academia respirare, & é superioris anni pestilentia se paulisper recreare cœperat, Scipionis somnium ex sexto Ciceronis libro de Repub. Atque in tanti, tamque gravis somnii quæstione, existimavi veluti deliberationem quandam non ariolorum aut conjectorum imperitorum, sed eorum hominum, qui de his rebus scienter & prudenter loqui possent, habendam esse: neque metuendum, ne nobiles authores, qui suis in studiis singuli probarentur, universi unum in locum advocati, cúm sententias nobis suas explicarent, molesté aut fastidiosé audirentur. Itaque quæ tunc habui in illo tumultuario, subitatioque docendi interpretandique studio, magis ea rapui, quám distinguere vel ornare potui: multos locos á Platone, Aristotele, Cicerone, Plinio, nonnullos á poëtis, quosdam etiam á nostræ religionis hominibus huc conjeci. Hujus igitur cōsultationis partes, tanquam librarius aut notarius (nihil enim ampliús meum hîc esse duco) conscripsi: easq; ad studiosorum utilitatem in publicum emisi. Vale.

P. RAMI PRÆFATIO IN SOMNIVM SCIPIONIS.

M*Arcus Tullius Cicero sex libris de Republica optima civitatis statum informaverat. Qui sive perierint, sive sub signo claustrisq; (quod audio) à certis hominibus in Repub. nimium religiosis tanquam Sibyllini libri retineantur, magna sane publicæ utilitatis jactura desiderantur. E quorum sexto Scipionis somnium, unica scilicet de universo naufragio tabula superest. De quo priusquam dicamus, arbitror antè nobis exponenda ea esse, quæ de libris illis partim e Cicerone ipso, partim ex D. Augustino cognovimus, & quo tempore, & ad quorum imitationem, & per quas personas, & quàm vario consilio subinde scripti ac rescripti, & quarum rerum explicationem, quàmq; laudabilem continuerint. De tempore & imitatione Cicero sic in secundo libro de Divinatione, cúm suos de philosophia libros enumerat:* Atq; his libris annumerandi sunt sex de Republica, quos tunc scripsimus, quum gubernacula Reipubl. tenebamus. magnus locus, philosophiæque proprius, à Platone, Aristotele, Theophrasto, totaq; Peripateticorum familia tractatus uberrimé. *Quæ disputatio in quorum hominum personā instituta, & quomodo aliter initio distributa fuerit, idem perscribit epistolarum ad fratrem lib.*3. Quód quæris quid de illis libris egerim, quos, cúm essem in Cumano, scribere institui; non cessavi, neq; cesso, sed sæpe jam scribendi totum consilium rationemq; mutavi. Nam jam duobus factis libris, in quibus novendialibus iis feriis, quæ fuerunt Tuditano & Aquilio Coss. sermo est à me institutus Africani pauló ante mortē, & Lælii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis, & Lælii generorum Fannii & Scævolæ. Sermo autem in novem & dies & libros distributus, de optimo statu civitatis, & de optimo cive: sané texebatur opus lucu-

luculenter, hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat. Hi libri cùm in Tusculano mihi legerentur, audiente Sallustio, admonitus sum ab illo multò majore authoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer de Republica, præsertim cùm essem non Heraclides Ponticus, sed consularis, & is qui in maximis versatus in Republica rebus essem; quæ tam antiquis hominibus attribuerem, † ea visu mirifica esse: Oratorium sermonem in illis nostris libris, quòd esset de ratione dicendi, bellè à me removisse; ad eos tamen retulisse, quos ipse vidissem. Aristotelem denique, quum de Republica & præstante viro scribat, ipsum loqui. Commovit me, & eo magis, quòd maximos motus nostræ civitatis attingere non poteram, quòd erant inferiores, quàm illorum ætas qui loquebantur. Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens, offenderem quempiam: nunc & id vitabo, & loquar ipse tecum, & tamen illa quæ institueram, ad te, si Romam venerim, mittam. Puto enim te æstimaturum à me libros illos non sine aliquo meo stomacho esse relictos. *Ex iis Ciceronis verbis intelligi potest, aliam primùm partitionem fuisse, quàm quæ postea fuit, & cogitatum esse de mutandis personis, quod tamen effectum non est. nam de libris iisdem editis in lucem prolatisq́ue, cùm Atticus quereretur Varronem in aliquem locum disputationis non venisse, ad eum libro 4 ita scribitur:* Nunc pergam ad cætera: Varro, de quo ad me scribis, inducetur in aliquem locum, si modò erit locus: sed nosti genus dialogorum meorum; ut in Oratoriis, quos tu in cælum fers, non mentio potuit fieri cujusquam ab iis qui disputant, nisi ejus qui illis notus aut auditus esset. Hanc ego de Republica, quam institui, disputationem, in Africani personam, & Phili, & Lælii, & Manilii contuli: adjunxi adolescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duos Lælii generos, Scævolam & Fannium. Itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor procemiis, ut Aristoteles in his quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere, ut non sine caussa istum appellarem; id quod intelligo tibi placere, utinam modò conata efficere possim. Rem enim (quod te non fugit) magnam complexus sum & gravem,

† *al.* ea visum iri ficta

& plurimi otii; quo ego maximè egeo. *Atq; hæc de Varii personarum cōsilio. De operis autē univerſi argumento ſignificationes quædā ſunt nō obſcuræ tū in Ciceronis, tum in Auguſtini libris. nam definita Reſpublica prima diſputatione, tum in genera deinceps parteſq; diſtributa, & omnes excellentiis in Repub. viri artes erant tandem explicatæ. Primis ſiquidem libris definitiones & partitiones illas adhibitas, jam locus hic Auguſtini demonſtrabit cap. 21, lib. 2, de civitate Dei.* Sed ſi contemnitur qui Romanam Rempub. peſſimam ac flagitioſiſſimam dixit (de Salluſtio pauló antè mentio fuerat) nec curant iſti quanta morum peſſimorum ac flagitioſorum labe ac dedecore compleatur, ſed tantummodo ut conſiſtat & maneat: audiant eam non (ut Salluſtius narrat) peſſimam ac flagitioſiſſimam factā, ſed (ſicut Cicero diſputat) jam tunc prorſus periiſſe, & nullam omnino remanſiſſe Rempub. Inducit enim Scipionem, cum ipſum qui Carthaginem extinxerat, de Republ. diſputantem: quando præſentiebatur ea corruptione, quam deſcribit Salluſtius, jamjamq; peritura. eo quippe tempore diſputabatur, quo jam unus Gracchorum occiſus fuit; á quo ſcribit ſeditiones graves cœpiſſe Salluſtius. Nam mortis ejus fit in iiſdem libris commemoratio. Cúm autem Scipio in ſecundi libri fine dixiſſet: Ut in fidibus ac tibiis atque cantu ipſo ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditę ferre non poſſunt, iſq; concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſummis & mediis & infimis interjectis ordinibus, ut ſonis, moderatam ratione civitatem conſenſu diſſimillimorum concinere: & quæ harmonia á muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in civitate concordiam, arctiſſimum atq; optimum omni in Repub. vinculum incolumitatis: eamq; ſine iuſtitia nullo pacto eſſe poſſe. Ac deinde cúm aliquāto latiús & uberiús diſſeruiſſet, quātum prodeſſet juſtitia civitati, quantumq; obeſſet, ſi abfuiſſet: ſuſcepit deinde Philus unus eorum qui diſputationi aderant, & popoſcit ut hæc ipſa quæſtio diligentiús tractaretur, ac de juſtitia plura dicerentur, propter illud quod jam vulgó ferebatur, Rempub. regi ſine

ac injuria non posse. Hanc proinde quæstionem discutiendam & enodandam esse assensus est Scipio: respondit que nihil esse quod adhuc de Republica putaret dictum, & quo possent longiús progredi, nisi esset confirmatum, non modó falsum esse illud, Sine injuria regi non posse; sed hoc verissimum esse, Sine summa justitia Rempublicam regi non posse. Cujus quæstionis explicatio cúm in diem consequentem dilata esset, in tertio libro magna conflictatione res acta est. Suscepit enim Philus ipse disputationem eorum qui sentirent sine injustitia regi non posse Rempub. purgans se præcipué, ne hoc ipse sentire crederetur. Egitque seduló pro injustitia contra justitiam, ut hanc esse utilem Reipubl. illam veró inutilem, verisimilibus rationibus & exemplis velut conaretur ostendere. Tum Lælius, rogantibus omnibus, justitiam defendere aggressus est, asseruitque quantum potuit, nihil tam inimicum quám injustitiam civitati, nec omnino nisi magna justitia geri aut stare posse Rempublicam. Qua quæstione quantum satis visum est pertractata, Scipio ad intermissa revertitur, recolitque suam atque commendat brevem Reipubl. definitionem, qua dixerat eam esse rem populi. Populum autem non omnem cœtum multitudinis, sed cœtum juris consensu & utilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde quanta sit in disputando definitionis utilitas: atque ex illis suis definitionibus colligit tunc esse Rempubl. id est, rem populi, cúm bene ac justé geritur, sive ab uno rege, sive á paucis optimatibus, sive ab universo populo. Cúm veró injustus est rex, quem tyrannum more Græco appellavit; aut injusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem; aut injustus ipse populus, cui nomen usitatum non reperit, nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret: non jam vitiosam, sicut pridie fuerat disputatum, sed sicut ratio ex illis definitionibus connexa docuisset, omnino nullam esse Rempub. quoniam non esset res populi, cúm tyrannus eam factione capesseret: nec ipse populus jam populus esset, si esset injustus: quoniam nõ esset multitudo & juris consensu & utilitatis cõmunione sociata, sicut populus fuerat definitus. *Hæc August. apud quẽ libro ejusdem operis 19, cap. 21, locus alter est eadem de re, sic an-*

tem habet: Quapropter nunc est locus, ut quàm potero breviter ac dilucidé expediam, quod in secundo hujus operis libro me demonstraturum esse promisi, secundum definitiones quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de Republica, nunquam Rempublicam fuisse Romanam. Breviter enim Rempubl. definit esse rem populi. quæ definitio si vera est, nunquam fuit Respubl. Romana: quia nunquam fuit res populi: quam definitionem voluit esse Reipubl. Populum enim esse definivit cœtum multitudinis, juris consensu & utilitatis communione sociatum. Quid autem dicat juris consensum, disputando explicat: per hoc ostendens geri sine justitia non posse Rempublicam. Ubi ergo justitia vera non est, nec jus potest esse. Quod enim justé fit, profectó jure fit: quod autem fit injusté, nec jure fieri potest. Non enim jura dicenda sunt, vel putanda, iniqua hominum constituta, cúm illud etiam ipsi jus esse dicant, quod de justitiæ fonte manaverit: falsumque esse quod á quibusdam non recté sentientibus dici solet, id esse jus, quod ei qui plus potest, utile est. Quocirca ubi non est vera justitia, juris consensu sociatus cœtus hominum non potest esse: & ideo nec populus; juxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem. Et si non populus, nec res populi; sed qualiscunque multitudinis, quæ populi nomine digna non est: ac per hoc si Respublica res populi est, & populus non est, qui consensu non sociatus est juris: non est autem jus, ubi nulla justitia est: proculdubio colligitur, ubi justitia non est, non esse Rempublicam. justitia porró ea virtus est, quæ sua cuique distribuit. Quæ igitur justitia est hominis, quæ ipsum hominem Deo vero tollit, & immundis dæmonibus subdit? hoccine est sua cuique distribuere? An qui fundum aufert ejus á quo emtus est, & tradit ei qui nihil in eo habet juris, injustus est: & qui seipsum aufert dominanti Deo, á quo factus est, & malignis servit spiritibus, justus est? Disputatur certé acerrimé atque fortissimé in eisdem ipsis de Republica libris adversus injustitiam pro justitia. Et quoniam cúm priús ageretur pro injustitiæ partibus contra justitiam, & diceretur nisi per injustitiam Rempublicam stare augerique non posse; hoc veluti validissimum positum erat, injustum

justum esse, ut homines hominibus dominantibus serviant: quam tamen injustitiam nisi sequatur imperiosa civitas, cujus est magna Respublica, non eam posse provinciis imperare. Responsum est á parte justitiæ, ideo justum esse, quód talibus hominibus sit utilis servitus, & pro utilitate eorum fieri, cúm recté fit, id est, cúm improbis aufertur injuriarum licentia; & domiti se meliús habebunt, qui indomiti deteriús se habuerunt. Subditumque est, ut ista ratio firmaretur, veluti á natura sumtum nobile exemplum, atque dictum est: Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, cæterisque vitiosis animi partibus? Plané hoc exemplo satis edoctum est, quibusdam esse utilem servitutem: & Deo quidem ut serviatur, utile esse omnibus. Serviens autem Deo animus, recté imperat corpori, inque ipso animo ratio Domino Deo subdita, recté imperat libidini vitiisque cæteris. Quapropter ubi homo Deo non servit, quid in eo putandum est esse justitiæ? quandoquidem Deo non serviens, nullo modo potest justé animus corpori, aut humana ratio vitiis imperare. Et si in homine tali non est ulla justitia, proculdubio nec in hominum cœtu qui ex hominibus talibus constat. Non est hic ergo juris ille consensus, qui hominum multitudinem populum facit, cujus res dicitur esse Respublica. Nam de utilitate quid dicam? cujus etiam communione sociatus cœtus hominum, sicut se habet ista definitio, populus nuncupatur. Quamvis enim, si diligenter attendas, nec utilitas sit ulla viventium, qui vivunt impié: sicut vivit omnis qui non servit Deo, servitque dæmonibus, tantó magis impiis, quantó magis sibi, cúm sint immundissimi spiritus, tãquam diis sacrificari volunt: Tamen quod de juris consensu diximus, satis esse arbitror, unde appareat per hanc definitionem non esse populum, cujus Respublica esse dicatur, in quo justitia non est. Si enim dicunt, non spiritibus immundis, sed diis bonis atque sanctis in sua Republica servisse Romanos: nunquid eadem toties repetenda sunt, quæ jam satis, imó ultrá quám satis est, diximus? Quis enim ad hunc locum per superiores hujus operis libros pervenit, qui dubitare adhuc possit malis & impuris dæmonibus servisse Roma-

nos:nisi vel nimiúm stolidus, vel impudentissimé contentiosus? Sed ut taceam quales sunt quos sacrificiis colebant, in lege veri Dei scriptum est, Sacrificans diis eradicabitur, nisi Deo tantúm. Nec bonis igitur, nec malis diis sacrificari voluit, qui hoc cum tanta comminatione præcepit. *Hæc Augustinus. Hinc intelligimus non solúm definitas rationes, sed de dialectica differendi utilitate admonita perutilia fuisse: tum divisionem generum conjunctam magnum & clarum lumen attulisse, qualis Platonis fere disputatio est primo secundoq; libro de Republ. definientis justitiam, eamq; tum acriter accusantis, tum fortiter studioseq; defendentis. Quarto autem Ciceronis libro, ut Platonis 2, 3, & 10, descriptionem quandam civium esse factam percipimus ex alio ejusdem Augustini loco libri 2, cap. 9, ejusdem operis.* Quid autem hinc senserint Romani veteres, Cicero testatur in libris quos de Republ. scripsit, ubi Scipio disputans ait: Nunquam comœdiæ, nisi consuetudo vitæ pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent. Et Græci quidem antiquiores vitiosæ suæ opinionis quandam convenientiam servaverunt; apud quos fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comœdia nominatim, vel de quo vellet, diceret. Itaque, sicut in eisdem libris loquitur Africanus, quem illa non attigit, vel potiús quem non vexavit? cui pepercit? Esto, homines populares, improbos in Republ. seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum læsit. Patiamur, inquit: etsi hujusmodi cives á censore melius est, quám á poëta notari: sed Periclem, cúm jam suæ civitati maxima authoritate plurimos annos domi & belli præfuisset, violari versibus, & eos agi in scena, non plus decuit, quám si Plautus, inquit, noster voluisset, aut Nævius Publio & Cneo Scipioni, aut Cęcilius Marco Catoni maledicere. Deinde pauló póst: Nostræ, inquit, contrá duodecim tabulæ cúm perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis actitavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitiúmve alteri precaretur. Judiciis enim ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poëtarum ingeniis habere debemus; nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat, & judicio defendere.

re. Hæc ex Ciceronis quarto de Republ. libro ad verbum excerpenda arbitratus ſum, nonnullis propter faciliorem intellectum vel prætermiſſis, vel paululum commutatis: multum enim ad rem pertinent, quam molior explicare, ſi potero. Dicit deinde alia, & ſic concludit hunc locum, ut oſtendat veteribus diſplicuiſſe Romanis, vel laudari quenquam in ſcena vivum hominem, vel vituperari. Sed, ut dixi, hoc Græci, quanquam inverecundius, tamen convenientius licere voluerunt, cúm viderent diis ſuis accepta & grata eſſe opprobria non tantúm hominum, verúm & ipſorum deorum in ſcenicis fabulis: ſive á poëtis eſſent illa conficta, ſive flagitia eorum vera commemorarentur & agerentur in theatris, atque ab eorum cultoribus utinam ſolo riſu, ac non etiam imitatione digna viderentur. Nimis enim ſuperbum fuit famæ parcere principum civitatis & civium, ubi ſuæ famæ parci numina noluerunt. Nam quod affertur pro defenſione, non illa vera in deos dici, ſed falſa atque conficta; id ipſum eſt ſceleſtius, ſi pietatem conſulas religionis: ſi autem malitiam dæmonum cogites, quid aſtutius ad decipiendum atque callidius? Cúm enim probrum jacitur in principem patriæ bonum, atque utilem, nónne tantó eſt indignius, quantó á veritate remotius, & á vita illius alienius? Quæ igitur ſupplicia ſufficiunt, cúm Deo ſit iſta tam nefaria, tam inſignis injuria? *Hæc Auguſtinus. Quibus ex verbis conjicimus factam eſſe quarto libro quandam deſcriptionem civium, & de poetis præſertim ſermonem eum tractatum, quem videmus á Platone diſputari* 10 *libro. Quinto autem libro, ſi proœmii argumentum ſequemur, collatio quædam Rerumpublicarum fuit, ut apud Platonem eſt* 8 *&* 9 *de Republ. in quo requirebatur ubi nam eſſet ea vera Reſp. quam Cicero per Scipionem conſtituiſſet. proœmium hoc eſt apud Auguſt. lib.* 2. *cap.* 21, *in continua reprehenſione.* Quando ergo Reſpubl. Romana talis erat, qualem illam deſcripſit Salluſtius? non jam peſſima ac flagitioſiſſima, ſicut ipſe ait, ſed omnino nulla erat, ſecundum iſtam rationem, quam diſputatio de Repub. inter magnos ejus tum principes habita patefecit. Sicut etiam ipſe Tullius non Scipionis, nec cujuſquam alterius, ſed

suo sermone loquens, in principio quinti libri demonstravit, commemorato prius Ennii poëtæ versu, quo dixerat:

Moribus antiquis res stat Romana virisq;.

Quem quidem ille versum, inquit, vel brevitate, vel veritate tanquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur. Nam neq; viri, nisi ita morata civitas fuisset: neq; mores, nisi hi viri præfuissent, aut fundare, aut tam diu tenere potuissent tantam, & tam justé latéq; imperantem Rempublicam. Itaq; ante nostram memoriam, & mos ipse patrius præstantes viros adhibebat, & veterum morem ac majorum instituta retinebant excellentes viri. Nostra veró ętas cúm Rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed evanescentem vetustate, non modó eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit: sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus & extrema tanquam lineamenta servaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam: quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modó non colantur, sed etiam ignorentur? Nam de viris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt, virorum penuria. Cujus tanti mali non modó reddenda ratio nobis, sed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda caussa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, Rempubl. verbo retinemus, reipsa veró jam pridem amisimus. Hæc Cicero fatebatur longé quidem post mortem Africani, quem in suis libris fecit de Republica disputare, adhuc tamen ante adventum Christi. Quæ si diffamata & prævalescente religione Christiana sentirentur atq; dicerentur, quis non istorum ea Christianis imputanda esse censeret? Quamobrem cur non curarunt dii eorum, ne tunc periret atq; amitteretur illa Respubl. quam Cicero longé anté, quám Christus in carne venisset, tam lugubriter deplorat amissam? Viderint laudatores ejus, etiam illis antiquis viris, & moribus, qualis fuerit, utrúm in ea viguerit vera justitia; an forté nec tunc fuerit viva moribus, sed picta coloribus. Quod & ipse Cicero nesciens, cúm eam præferret, expressit: sed aliás, si Deus voluerit, hæc videbimus. Enitar enim suo loco, ut ostendam secundum definitiones ipsius Ciceronis, quibus quid sit Respublica, & quid sit populus, loquente Scipione breviter

posuit,

posuit, attestantibus etiam multis, sive ipsius, sive eorum quos loqui fecit in eadem disputatione, sententiis, nunquam illam fuisse Rempublicam, quia nunquam in ea fuit vera justitia. Secundum probabiliores autem definitiones & pro suo modo quædam Respubl. fuit: & meliús ab antiquioribus Romanis, quám á posterioribus administrata est. vera autem justitia non est, nisi in ea Republica, cujus conditor rectorq; Christus est: si & ipsam Rempublicam placet dicere, quoniam eam rem populi esse negare non possumus. Si autem hoc nomen, quod aliter alibi vulgatum est, ab usu nostræ locutionis est forté remotius; in ea certé civitate est vera justitia, de qua scriptura sancta dicit: Gloriosa de te dicta sunt civitas Dei. *Hactenus locutus Augustinus argumentum quoddam libri quinti nobis aperuit. Locus est Ciceronis in epistolis ad Atticum ex quinto libro sumtus, ubi aliquid similiter ostenditur:* Quód me magno animi motu perturbatum putas, sum equidem; sed non tam magno, quám tibi fortasse videor. Levatur enim omnis cura, cúm aut consistit consilium, aut cogitando nihil explicatur. Lamentari autem licet: illud tamen totos dies: sed vereor ne nihil cúm proficiam, etiam dedecori sim. In studiis ac literis nostris consumo omne tempus, considerans quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter (ut tibi quidem videmur) expressimus. Tenésne igitur moderatorem illum Reipub. quó referre volumus omnia? nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio: Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria: sic huic moderatori Reipublicæ, beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hujus enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse effectorem volo. *Ac de quinto libro hæc habuimus. Sexto autem libro princeps Reipubl. erat informatus, & suis legitimis moribus ornatus, quod ex libro ad Atticum septimo perspicitur, ubi scriptum est:* Quód si ista nobis cogitatio de triumpho injecta non esset, quam tu quoque approbas: næ tu haud multum requireres illum virum, qui in sexto libro informatus est. quid enim tibi faciã, qui libros illos devorasti? *Hãc principis institutionem*

copiosiùs Plato tractavit 3,4,5,6,7, libris de Republ. Verùm Ciceroni propositum id non fuerat, ut Platonis vestigia perpetuò sequeretur: multa siquidem ex Aristotele, Theophrasto, cæterisque philosophis transtulerat, multa addiderat de Romana Republica, multò plura suo ingenio judicioque pepererat, quemadmodum ex reliquiis, quæ in Somnio sunt, intelligi poterit. Qualis autem disputatio ista, quámque probata fuerit, sexto libro ad Atticum sic scriptum est: Flens mihi meam famã commendasti. quæ epistola tua est, in qua mentionem non facias? Itaque irascatur qui volet. patiar. τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, præsertim cúm sex libris tanquam prædibus meipsum obstrinxerim, quos tibi tam valde probari gaudeo: é quibus unum ἱστορικὸν requiris de Cn. Flavio Cn. filio. ille veró ante decemviros non fuit, quippe qui Ædilis curulis fuerit: qui magistratus multis annis post decemviros institutus est. quid ergo profecit quód protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi paterent paucis. Nec veró pauci sunt authores, Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse: ne me hoc, vel potiús Africanum (is enim loquitur) commentum putes. οὐκ ἔλαθες. *Produxi locum paulo longius, ut admonitiunculam de historia dubitatione, non alienã hac commentatione adjungerem. Atque hæc pauca ex sex libris Ciceronis de Republ. (quæ memoria tenui) propterea existimavi proponenda, antequam ad Somnii explicationem pervenissem, unde suspicari saltem aliquid de optatissimo opere possemus. Ad Somnium igitur venio. In extremo 6 de Republ. libri cúm jam perorandi tempus esset, questus est Lelius Nasica statuas nullas in interfecti tyranni (Tiberium enim labefactantem statum Reipubl. necaverat) remunerationem locatas, qua motus (ut apud Macrobium est) conquestione Scipio:* Quanquam, *inquit*, sapientibus cõscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est præmium, tamen illa divina virtus, non statuas plumbo inhærentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quædam & viridiora præmiorum genera desiderat. Quæ tamen ista sunt? inquit Lælius. Tum Scipio, Patimini me, inquit, quoniam jam

tertium

tertium diem feriati sumus, & cætera prosequi. *Hinc sumta occasio cohortationis ad colendam justitiam conservandumque (qui descriptus fuerat) optima civitatis statum, proposita æternis in cælo præmiis: quod quò majore cum authoritate fieret, Cicero fingit Africano minori, in cujus persona oratio ista constituitur, à patre Pauli & avi Africani beatis animis in cælo ipso narrari. Genus enim hoc sermonum (ut est in Lælio) positū in hominum veterum authoritate & eorum illustrium, plus nescio quomodo videtur habere gravitatis. Hinc legum latores leges suas ad authorem aliquem Deum retulerunt, Zoroastes ad Oromasin, Trismegistus ad Mercurium, Minos ad Jovem, Charondas ad Saturnum, Lycurgus ad Apollinem, Solon ad Minervam. Quo in genere cùm Platonem ab Epicureis reprehensum Cicero meminisset, ut ex Macrobio perspicimus, dixissetq́, se minimè vereri, ne id sibi contingeret, Platonis consilium de persuasione justitiæ divinæ sequutus est, fingendi genus est aspernatus. Plato enim* 10 *de Republ. libro, mortuum quendam militem suscitavit, qui gaudia piorum & justorum in cælo, impiorū & injustorū apud inferos supplicia memoraret. Hanc fictionem Colotes Epicureus scripta oratione coarguit (ut Macrobius author est) aitque à philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus, veri professoribus conveniret. Etenim (ait) si rerum cælestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, cur non simplici & absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quæsita persona casusque excogitata novitas & composita advocati scena figmentis ipsam quærendi veri januam mendacio pollueret? Platonicam itaque fabulam, sic ab Epicureo illo Colote reprehensam, tametsi Cicero non improbaret, sed calumniatorem imperitum Colotem judicaret, sequi tamen noluit: verùm aliam figmenti rationem inituexistimavit, opinor, & aptius ad dignitatem, & ad probabilitatem elegantius, inducere in hunc sermonem virum in Republica summa cum laude diutissimè versatum, & iis de rebus somniantem, quæ notæ illustresque essent, quàm militem contra omnes naturæ leges reviviscentem, & poetarum more*

fabulas narrantem, comminisci. Sed de personis fictis militis & veri imperatoris satis. Ad rem tandem veniamus, in qua, ut imperatores facere solent, cùm milites instruxerunt ad pugnam, quò reddant eos alacriores ad dimicandum, præmia futura fortunæ amplificant, præsentemq; extenuant: ita Ciceronianus hic Scipio, cùm cives suos ad justitiam instituisset, quò magis ejus amore incenderet, pulcherrimam jucundissimamq; cæli possessionem, in remunerationem ostentat, terrarum habitationem raram & angustam, & brevem ac caducam despicit: quóq; spe firmiore propositis tantis præmiis boni cives excitentur, animos immortales esse docet, & illic ævum cum diis sempiternum acturos. Quod priusquam efficiat, comparat se ex naturalibus caussis ad futurum somnium, ne quid indecorè tantus princeps videlicet ageret. honestissimi autem sermones de Republ. deq; Reipubl. principibus caussa illa somnii fuerunt. Atq; jam Scipionem ipsum in somnio loquentem audiamus.

SOMNI-

SOMNIVM
SCIPIONIS EX LIBRO SEXTO CICERONIS DE REPUBLICA.



ÚM in Africam venissem" A. Manlio consule ductus ad quartam legionem, ut scitis, tribunus militum, nihil mihi potius fuit, quàm ut" Masinissam convenirem, regem familiæ nostræ justis de caussis amicissimum.

al. à Manlio Cos. L. M. Manilio consuli ad quartã legionem (ut scitis) L. Massanissam

AFRICA mundi tertia pars est ad meridiem mediterraneo mari ab Europa divisa. Scipio in tribunatu (ait Plinius) cohortes octo obsidione vallatas, consilio & virtute servavit, á quibus corona obsidionali donatus est. quod & Livius libro 49 pauló fusiús, ubi Catonis illud de Scipione memorat, qui, cúm egregia Scipionis facinora memorarentur, dixit Scipionem unum animi vigore, cæteros umbra pugnare. Masinissa, rex Massesulorum in Numidia, ut Livius lib. 10, decad. 3, justis de caussis Scipionum familiæ, in quam adoptatus fuerat Publius Paulus, qui postea fuit alter Africanus, filius Æmilii, qui Persem vicerat (ut Plutarchus in Pauli vita) amicissimus erat: Africanus enim major pulsum regno restituit, & maxima de Syphacis regno accessione locupletavit.

Ad quem ut veni, complexus me senex collacrymavit, aliquantoque póst suspexit in cælum: &. Grates, inquit, tibi ago summe Sol, vobisque reliqui cælites, quód antequam ex hac vita migro, conspicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem, cujus ego nomine recreor. Ita nunquam

ex animo meo discedit illius optimi atq; invictissimi viri memoria.

ADVENTANTEM] Scipionem Masinissa singulari animi lætitia excipit, nec præ gaudio loqui potest: pauló tamen póst cúm se collegisset, ad seque redusset, gratias diis habet immortalibus, gratulatione videlicet humanas gratias superante. Atq; hic inprimis observandum arbitror, quanta dignitate regi seni facta sit hæc oratio, quám paucis verbis, quám gravem altamq; sententiam complexis. In verbis poëticum illud *grates*, nónne cujusdam gravitatis & authoritatis pondus habet? Sic Virgilianus Æneas, ut nunc rex iste senex,

—Grates persolvere dignas
Non opis est nostræ.—

Solem, reliquasq; stellas, deos appellat: nec enim tota illa rudis antiquitas pro diis habuit, nisi id á quo homines adjuvarentur. Deus est mortali, inquit Plinius lib. 2, cap. 7, juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Ac ne ipsi quidem philosophi, cúm multa quæsierint, aliud feré in deorum numerum retulerunt, quám mundum & stellas, ut ex singulorum sententiis Cicero in dialogis de natura Deorum docuit. Summum veró solem primúm affatur, qui pauló póst dux & princeps, & moderator reliquorum luminum appellabitur. tam veró gratum esse Scipionem ipsum præsentem quid mirum? cúm nomen ipsum Scipionum per se sit gratissimum, ob sempiternam Africani viri & domesticis & bellicis laudibus clarissimi memoriam.

Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra Repub. percõtatus est: multisq; verbis ultró citróque habitis, ille nobis consumtus est dies.

ATQUE hac prima salutatione facta, sermones regibus & principibus congruentes deinde sunt consecuti, quę futuri somnii informatio est, an Masinissa summa tranquillitate paceque fruatur: vicissim Scipionem Masinissa de Romana Repub. percontatur, qui sint Coss. quo animo Rempub. gerant, an nulla domi seditio moveatur, quibus cum populis Romani bella gerant, qui Romæ floreant, qui

qui ſtatus provinciarum, multiſq; hujuſmodi ſermonibus honeſtis ultró citroque habitis, ille conſumtus eſt dies.

Póſt autem apparatu regio accepti, ſermonem in multam noctem produximus, cúm ſenex nihil niſi de Africano loqueretur, omniaque ejus non ſolúm facta, ſed etiam dicta meminiſſet.

Coena regio more, exquiſitis ſcilicet epulis, omnique apparatu magnifico inſequuta, unde & oratio alia ex alia inſerta magnam noctis partem conſumeret, cùm annis pluſquám 90 confectus ille ſenex (hanc enim ætatem tum illi fuiſſe Livius author eſt lib. 48) præ amore nil niſi de Africano loqueretur, pugnas ejus & victorias, Livii, Plutarchi, Plinii hiſtoriis celebratas narraret, quód ad Ticinum, patrem liberaſſet, quód deſperatas Cannenſis cladis reliquias ad ſpem patriæ erexiſſet, quód Carthaginem in Hiſpania primo die cepiſſet, quód Aſdrubalem, Magonem, tandemque ipſum Annibalem viciſſet, Carthaginemque ſubegiſſet: neque ſolúm Africani facta, ſed etiam dicta memoriter recenſeret. Atque é multis illa fortaſſe, quemadmodum dicere ſolitus eſſet Scipio, nunquam ſe minús ociosum eſſe, quám cúm ociosus eſſet: nec minús ſolũ, quám cúm ſolus eſſet. Item quód cúm Linterni exularet, vetaretque ne oſſa Romam referrentur, dixiſſet, Ingrata patria, ne tu oſſa quidem habebis mea.

Deinde ut cubitum diſceſſimus, me & feſſum de via, & qui ad multam noctem vigilaſſem, arctior quám ſolebat ſomnus complexus eſt.

Ergo harum collocutionum epulis animo ſaturato, Scipio dormitum conceſſit, defatigatumque itineris labore & multis vigiliis altior arctiorq. ſomnus complexus eſt. illæ ſiquidem veri naturaliſque ſomni cauſſæ. Placet enim Galeno in ſymptomatũ cauſſis, ſomnum quietem eſſe, qua defatigatæ ſenſuum vires reficiuntur: rectéque idem Ovidius 11 Metamorph.

Somne, quies rerum, placidiſſime Somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit; qui feſſa diurnis
Membra miniſteriis mulces, reparaſq; labori.

Hic mihi (credo equidem ex hoc quod eramus locuti: fit enim feré, ut cogitationes sermonesq; nostri pariāt aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissimé vigilans solebat cogitare & loqui) Africanus se ostendit ea forma, quæ mihi ex imagine ejus, quám ex ipso notior erat. Quem ut agnovi, equidem cohorrui.

al. ubi agn.

CAUSSAE adhuc & somni & somnii positæ sunt: sed somnii pressiús explicantur. quales cogitationes & collocutiones vigilantium, talia dormientium somnia solent esse: somnia siquidem visa sunt, quæ in animis dormientium simulacris perceptarum rerum commoventur, ut Aristoteles ait in libello de somniis. Somniorum autem genera á Macrobio proposita, derisa sunt á Julio Cæsare Hippocratis interprete, quód sine judicio non somniorum genera, sed somnia collecta sint, oraculum, insomnium, visum, phantasma: de quibus nil video quod nobis hoc loco dicendum sit. Neque enim Cicero divinationem nobis proponere voluit ex aliquo certo somnii genere, sed fingere quod possit & soleat frequenter accidere: hæc enim est dialogorum licentia, de qua ipse Cicero ad Varronem, cúm de Academicis quæstionibus loquitur, quibus in dialogis Varro loquebatur ea quæ nunquam loquutus erat. Puto (inquit) fore, ut cúm legeris, mirére, id nos loquutos esse inter nos, quod nunquam loquuti sumus: sed nosti morem dialogorum. Ad somnii caussas redeamus, quales de Homero Græcorum poetarum principe scribit Ennius, Latinorum poetarum quondam princeps. Cúm enim Ennius Homeri versus legeret, meditaretur, ediscerer, imitaretur, totumque se ad illius imitationem componeret, somniavit se Homerum esse factum, animaque Homeri, juxta Pythagoricum dogma, animatum. hinc illud Horatii in Epistolis:

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut Critici dicunt, leviter curare videtur,
Quó promissa cadant, & somnia Pythagorea.

Idem Persius notavit:

Cor

Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides, quintus pavone ex Pythagoreo.

Locus autem Ennii, ubi somnium illud narrabatur, videtur illo hemistichio significari, quod in Lucullo Ciceronis est,

—Visus Homerus adesse poeta.

Hæ caussæ somnii sunt, de quibus Socrates apud Platonem 9 de Repub. magnificé philosophatur. Cicero locum iis verbis primó de Divinatione transtulit, cúm ait: Vide quid Socrates in Platonis politia loquatur. Dicit enim, cúm dormiẽtibus ea pars animi, quæ mentis & rationis est particeps, sopita langueat: illa autem in qua feritas quædam sit atque agrestis immanitas, quum sit immoderato tumefacta potu atque pastu, exultare eam in somno, immoderatéque jactari. Itaque huic omnia visa objiciuntur á mente ac ratione vacua, ut aut cum matre corpus misceri videatur, aut cum quovis alio homine vel Deo, sæpé belua, atque etiam trucidare aliquem, & impié cruentari, multaque facere impuré ac tetré cum temeritate atque impudentia. At qui salubri & moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quæ mentis & consilii est, agitata & erecta, saturataque bonarum cogitationum epulis, eaque parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti: quorum utrunque præstinguere aciem mentis solet, sive deest naturæ quidpiam, sive abundat atque affluit: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata atque restincta: tum eveniet, duabus animi temerariis partibus compressis, ut illa tertia pars rationis & mẽtis eluceat, & se vegetam ad somniandũ acremq; prębeat: tũ ei visa quietis occurrent tranquilla atq; veracia. Hæc verba ipsa Platonis expressi, ait de se Cicero. Ergo Scipioni somniãti Africanus ostẽdit se ea forma, quæ notior erat ex imagine, quæ more Rom. cum majorũ imaginib. in atrio servabatur, quám ex ipso. aut enim AEmilianus Africanũ nunquam viderat, ut ex Chronologia Liviana intelligi potest: aut admodũ puer, ut feré Plutarchus indicat, qui facit AEmilianũ in pugna Macedonica cũ patre Paulo dimicantem, quæ pugna 14 ad summũ annis mortem præcesserat Africani. De imaginibus autem cereis aut

marmoreis in atrio positis illud est Juvenalis:

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria: nobilitas sola est atq; unica virtus.

Et Ciceronis illud in Pisonem: Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginū; quarum simile habes nihil præter colorem. Hæ imagines honoris gratia portabantur in funere principis: ut pro Milone Cicero, Tu P. Clodii cruentum cadaver ejecisti domo, tu in publicum ejecisti, tu spoliatum exequiis, imaginibus, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. sed hæc de imaginibus satis. Unde notior Africanus esse potuit. Formam credi vult augustiorem quandam fuisse, qualem de Romulo Proculejus narrat, ut insolita quadam specie cohorruerit.

Sed ille, Ades, inquit, animo, & omitte timorem Scipio, & quæ dicam, memoriæ trade. Vidésne illam urbem, quæ parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere? (ostendebat autem Carthaginem de excelso & pleno stellarum illustri & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis pené miles, hanc hoc biennio Consul evertes: eritq; cognomen id tibi per te partū, quod habes adhuc á nobis hæreditarium. Cúm autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, Censorq; fueris, & obieris legatus Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciam, deligêre iterum Consul absens, bellumq; maximum conficies, Numantiamq; excindes. Sed cúm eris curru in Capitolium invectus, offendes Rempubl. perturbatam consiliis nepotis mei.

Prosopopoeia est deinceps Africani loquentis, & Scipionis nomine omnes Reipubl. principes ad justitiam cohortantis: cohortationis autem hujus summa hoc syllogismo comprehensa est:

Qui

Qui Rempub. conserVaVerint & auxerint, beati aVo sempiterno fruentur:
Omnes vero principes (ut hic Scipio) patriam tuentur & augent:
Beati igitur sempiterno aVo fruentur.

Ad assumtionem pertinet Scipionis vita, quæ velut ex oraculo futura narratur. Africanus ex lacteo circulo loquitur, qui est inter æthereas stellarum flammas splendidissimus, propter confertam stellularum, ut Aristoteles & Ptolemæus ajunt, multitudinem: unde γαλαξίας á Græcis propter lactis similitudinem nuncupatur. multa veró de hac regione cæli, & poetæ fabulantur, & docti philosophātur. Poetæ enim ajunt Junonii lactis effusione lacteum illum candorem, alboremque splendentem extitisse: Philosophi, ut Pythagorei, solaris quondam currus exustione. Theophrastus commissuram quandam, compagemque mundi cohærentium partium censuit esse. Diodorus credit non commissuram, sed rimam quandam intersistētium hemisphæriorum. Posidonius existimat syderei caloris abundantiam; idcirco contra Zodiaci iter obliquatam, ut temperaret reliquas mundi partes, ad quas Zodiacus non pertingeret. Verúm Aristotelis Ptolemæique sententia verior est habita, statuentium lacteum illum candorem cæli ex conferta stellularum multitudine effici. Carthaginem igitur Africanus á se victam, & pristina bella (quæ duo præcesserant, primum 22 annorum, secundum 18) renovātem, ex orbe lacteo, de quo postea rursum duobus locis, Scipioni ostendit: ad quam oppugnandam pené miles (si futuri honores spectentur, triumphus, Consulatus, Censura, legatio ad externas nationes, alter iterum & Consulatus, & triumphus) venerat, quamque intra biennium consul decem annis consulari ætate minor, tamen solutus legibus, ut Livius 50 lib. effectus evertet. Posteaquam enim tres annos obsessa fuerat á superioribus imperatoribus, Scipio sex mē-sibus eam cepit, atque evertit, & Africanus cognominatus est: quod cognomen ab avo priús habuerat hæreditarium. Scipio avus primus é Romanis imperator nómine victæ á se gentis (ait Livius lib. 10 tertiæ Decad.) est nobilitatus: exemplo deinde hujus nequaquam victoria pares, insignes

imaginum titulos, claraque cognomina victoriæ fecere. Huic igitur hæreditarium cognomen Africani, triumphus de Carthagine deleta & Asdrubale fuit, ut Livius lib. 51. Censura memorabile illud habuit de Mummio inerte collega, de quo AEmilianus in Senatu: Utinam mihi collegam dedissetis, aut non dedissetis, ut Plinius ait. De legatione Plinius indicare aliquid videtur, cùm ait ad reges adeundos missum. Justinus lib. 38, ait Africanum cum Spurio Mummio & L. Metello ad inspicienda sociorum regna venisse. Cicero in Lucullo rursùm meminit: Africani, inquit, historiæ loquuntur, in legatione illa nobili (quam ante Censuram obiit) Panætium unum omnino comitem fuisse. quàquam hoc loco descriptum illum ordinem temporis, vates hic Africanus non sequitur. Obiit, inquit Cicero in Lucullo, legationem ante Censuram: at hic contrà, cùm dixisset, *Censor fueris*, addidit, tanquam postea futurum, *& obieris legatus AEgyptum, Syriam*, &c. Sed hoc μνημονικὸν ἁμάρτημα doctis hominibus non insolitum. Consulatus alter 14 póst anno contigit, ut Livius 56. In quo miror quid sibi velit Livius, cùm solutum legibus Africanum ait: Nil enim contra leges tum contigit annales, quæ vetabant intra decem annos eundem magistratum capere. Numantia, ait Florus libro 2, cap. 18, Celtiberorum millibus quatuor, quadraginta Romanorum millium exercitum per annos quatuordecim sola non solùm sustinuit, sed pudendis fœderibus affecit: tandem Numantini fame coacti, se suaque omnia cæde atque incendio consumserunt, Scipioq; duntaxat de nomine urbis triumphavit. hic triumphus est alter, quo more triumphantium, exercitus laureati clamore & lætitia, populi plausu acceptus, per urbem vectus est in Capitolium, ut Jovi gratiæ pro victoria haberentur.

Hic tu Africane ostendas oportebit patriæ, lumen animi, ingenii, consiliiq; tui. Sed ejus temporis ancipitem video quasi fatorum viam. nam cùm ætas tua septenos octies Solis anfractus, reditusq; converterit, duoque hi numeri (quorum uterque plenus, alter altera de caussa habetur) circuitu naturali

rali summam tibi fatalem confecerint, in te unum, atq; tuum nomen se tota convertet civitas: te Senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus in quo nitatur civitatis salus: ac ne multa, Dictator Rempubl. constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. L. atque in tuum

Hic cursus honorum (quos Africanus habuit) definitus est: seditione enim tribunitia pauló póst occubuit. Tiberius enim Gracchus Africani superioris nepos (genitus siquidem ex Cornelia Africani filia) cúm legem Agrariam ferre perseveraret, á Nasica cæsus est, & idcirco pauló ante hoc somnium tyrannus in sexto de Republica libro appellatus est: qua de cæde quum rogaretur in concione AEmilianus, respondit Tiberium jure sibi cæsum videri: hinc invidia & caussa mortis. Cúm enim rogationes Agrarias oppugnasset, domumque se fortis ac validus, ut Livius libro 59, recepisset, postridie mortuus in cubiculo repertus est. hinc avus Africanus nepoti tristem exitum velut addubitans auguratur, ne (hac enim figura aut præteriri, aut subindicari tantummodó infortunati tristesque casus solent) AEmilianus vehementiús tanto periculo commoveretur, ancipitem viam dicit, & tamen quasi fatorum, ubi ad Platonicum dogma allusio quædam est. Plato enim 10 de Republ. fingit necessitate (cui tres subservirent filiæ, Lachesis, Clotho, Atropos) mundum regi. Definitur autem ætas Africani duobus numeris quinquagesimosexto anno: tot enim conficiunt octies septenæ Solis conversiones: annus siquidem perfecto Solis atque absoluto cursu conficitur. Est veró dictio hæc notanda *septenos octies*. Cicero enim, quod vulgó Arithmetici bis duo, ter tria, septies octo dicunt; idem dicit per numerum illum distributionis, quem grammatici vocant, bis bina, ut secundo libro de Natura deorum, cúm de physicis Epicuri loquitur: Quæ si bis bina quot essent, didicisset Epicurus, certé non diceret: & hîc septies octonos, non septies octo. quam sermonis elegantiam ex Lazaro Baysio viro ætatis nostræ

longé doctiſſimo didici, quod poſtea multis exemplis veriſſimum cognovi. Sic Livius lib.7, decad.3, Ter novenæ virgines Ennii carmen canebãt. Quamvis poetæ jus ſuum plerunque teneant, & carminis gratia nonnunquam aliter loquantur. Rectè igitur Virgilius,

Bis denis Phrygium conſcendi navibus æquor. Et,
Aſpice bis ſenos lætantes agmine cygnos. Et,
Bis quinos ſilet ille dies. Attamen idem contrà,
Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ.
Item Ovidius,
Tempus ad hoc luſtris jam bis mihi quinque peractis.

Anfractus Solis nominatur propter obliquitatem orbis zodiaci, per quem Sol modò ad Septẽtrionem inflectitur, modò relabitur ad meridiem: ſinuoſas enim & flexuoſas vias, anfractus appellamus, ut fluminum, ut littorum ſolẽt eſſe. Duo verò numeri, ſeptenarius & octonarius, alter altera de cauſſa pleni dicuntur à Pythagoreis, & Pythagoreos multis philoſophis ſequutis. Macrobius multa de ſeptenario ex partibus, unitate, & ſenario, binario & quinario, ternario & quaternario: quarum partium perfectionẽ omnem vult etiam ſeptenario contineri, tum multa genera colligit rerum ſeptenario comprehenſarum, conceptionem hominis ſeptem horis, ſeptem diebus formationem, ſeptem menſibus partum, multaq; alia per bis, ter, quater, quinquies, ſexies, ſepties, octies, decies ſeptena. Deinde ad ſimplices ſeptenarios revertitur: nigra membra hominis dicit eſſe ſeptem, linguam, cor, pulmonem, jecur, lienem, & renes duos: item ſeptem cibi & ſpiritus membra, guttur, ſtomachum, alvum, veſicam, inteſtina principalia tria: ſeptem organa ſenſuum, linguã, oculos, nares, aures, ac pleraque ejuſmodi: addit & animam mundanam ab illo Deo Platonico ſeptenis numerorum limitibus eſſe cõpoſitam, & ſeptem planetas, & quater ſeptenis diebus curſum lunæ diſtingui, & bis ſeptenis Oceani motus: denique hunc numerum Palladi ſacrum, quia neque gignatur niſi ab uno, ut Pallas à ſolo patre Jove abſque mulieris ſemine. Similia quædam apud Cenſorinum de die natali recẽſentur, quód per omnem vitam ſeptimus quiſque annus ſit criſimus & periculoſus, & climactericus vocetur, & alii aliis difficiliores

res á genethliacis observati sint. Hac igitur tam multiplici subductione exemplorum credidit Macrobius aliquid sacrum de hoc numero se docuisse, cúm pleraque tamen horum falsa sint, ut cúm ait ter septeno mense puerum loqui, & quater septeno ambulare, & quinquies septeno lac horrescere, cúm sæpé illa ante tẽpus hoc, & postea contingant, & illis exemplis quicquam ad hujus numeri perfectionem contineri valde superstitiosum videatur existimare. quin licet infinita alia septenarii exempla colligere, septẽ montes Romæ, septem ostia Nili, septem peccata mortalia, quæ dicuntur septem dormientes in Gallia, & per cæteros numeros similia licet exempla commemorare, quid tamen propterea? quæ vis hujus numeri demonstrabitur? A Galeno acerrimi judicii medico video fabulosa ista Pythagoreorum somnia meritó derisa in Criticis libris. non enim si qua vis Lunæ motusque aliarum caussarum tempore certo ad eventus destinatos progreditur, & tempus illud numero concludatur, ideo vis ista non naturalium legitimarumque caussarum est potiús quám numerorum: numerus siquidem vis animi est, qua confusam multitudinem distinguimus, quaque magnas rationes & implicatas absolvimus: & si quid certis numeris efficeretur, non numerus id, sed homo perficeret: sed si quid Deus septenario numero definierit, ut sabbathum, ut libertatem servorum, ut agrorum cessationem, ideo vis ista numeri septenarii fuit, non illius numerantis & ratiocinantis Dei. Ad octonarium venio, quem Pythagorei justitiæ numerum vocant, quia par sit pariter par, & in partes particulasque pares dividatur, si similitudo quæreretur ad explicandam perpetuam justitiæ æquabilitatem, ut quemadmodum octonarius in quaternarios duos, iiq; in binarios, tandem illi in unitates, partes perpetuó pares dividãtur; sic justum virum in omni caussa parem, nõ in hanc aut illam partem magis propensum esse oportere, esset hæc aliqua docendi non negligenda utilitas: docere autem divinitus in illo numero arcanũ nescio quod justitię symbolum occultari, nullam interpretari caussam, quamobrem id ita fiat, Pythagoricum magis est, quám philosophicum. Pythagorei enim nullam sentẽtiæ suæ rationem reddebant, philosopho autem turpe sit si-

ne ratione loqui. Addit Macrobius aliam plenitudinis caussam in octonario, quia cubus sit, & solidus: neque istud omnino quicquam plenitudinis nobis ostendit: omnes siquidem numeri cubos ex sese procreant, quare etiam plenos, nec ideo excellentiæ quicquam octonario dabitur. Galenus cúm septenarium in morbis regem appellasset, quód tanquam bonus princeps aut misericordia ægrotos velut reos liberâret, aut magnam partem morbi, quasi supplicii detraheret; senarium contrariis nominibus tyrannum vocavit, eisque octonarium persimilem fecit, neque tamen hanc ipsam potestatem numeris attribuit, sed cœlestibus motibus, qui sua virtute mutationes istas in corporibus efficiant. Audio veró perlibenter Euclidem de perfectis numeris disserentem, & iis magnas utilitates explicantem, at quarum nihil septenario, nihil octonario possit omnino convenire: perfectus enim numerus definitur ab eo, libro septimo elementorum, qui partibus suis sit æqualis, ut senarius æqualis est unitati, binario, ternario, á quibus solis numeratur: septenarius non est par unitati, á qua solà numeratur: octonarius non est par unitati, binario, quaternario, á quibus solis numeratur: imó veró impares & ii numeri, ab Arithmeticis imperfecti vocantur. Quare jam licet per nos sive genethliaci á Christianis sæpé publicis decretis damnati, sive Pythagorei á reliquis philosophis frequenter irrisi, cum numerorum fictis somniis valeant. Et hæc satis de numerorum plenitudine, quam Cicero de Pythagoreis & Platonicis huc transtulit. Quæ sequuntur, solatia sunt obiter indicatæ mortis, quæ futura tamen non sunt: in eo civitatis salus nitetur, & velut humeris ejus sustentabitur. sic enim niti dicimus:

Ille (vides?) pura juvenis qui nititur hasta, ait Virgilius 6 AEneid.

Perturbatis rebus dictator AEmilianus subveniet, si impias propinquorum manus effugerit: creditur ab uxore Cornelia ideo interemptus, quia Gracchorum erat soror. Romani, tametsi reges é Republ. expulerant propter tyrannidem, in quam regia potestas facilé delabitur, tamen in summis patriæ periculis ad regiam authoritatem tanquam singularem extremorum malorum medicinam recur-

currebant. At ne quid obesset, sex mensibus definiebant. ad hos igitur tam acerbos casus Africanus dictator adhibebitur, si impias propinquorum manus effugerit.

Hic cùm exclamasset Lælius, ingemuissentque cæteri vehementiùs, leniter arridens Scipio: Quæso, inquit, ne me é somno excitetis, & pax sit rebus: audite cætera. Sed quó sis Africane alacrior ad tutandam Rempubl. sic habeto: Omnibus qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in cælo ac definitum locum, ubi beati sempiterno ævo fruantur. Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit (quod quidem in terris fiat) acceptius, quám concilia, cœtusque hominum jure sociati, quæ civitates appellantur. Harum rectores & conservatores hinc profecti, huc revertentur. L. parum rebus:

Laelius qui uná de Republ. in his libris disputaverat, dolore perturbatus, exclamavit, & cæteri, Scævola, Fannius, Tubero, Manlius, Philus vehementiús de tanta indignitate atque acerbitate ingemuerunt. Est autem principi fortiq; viro valde decorum, quod sequitur: pericula Scipionis á Scipione ipso narrantur, quorum auditione cæteri qui adsunt, commoventur: ipse veró ad quem pertinent, immotus, imperterritus, constansque permanet, aut (quod de AEnea Virgilius,)

—— curisq; ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

AEmilium enim εἴρωνα Cicero in Lucullo testis est fuisse. Libenter (ait de Socrate) uti solitus est ea dissimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant, quam ait etiam in Africano fuisse Fannius, idque propterea vitiosum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate. Quare AEmilianus ex illa dissimulatione leniter arridet & festivé jocatur, Ne me é somno excitetis, somnium memineritis me non historiam vobis narrare: pax sit rebus, tacete, &

audite cætera. Hinc propositio adhortationis universæ sequitur, quæ confirmatur efficientibus caussis: conservatores & authores Rerum publicarum beati ævo sempiterno in cælo fruentur, quia Deus qui justos remuneratur, justitiam & pietatem in patriam diligit. Adhuc Cicero Platonis nil nisi numeros Pythagoreos imitatus est, neq; ista de loco in cælo definito Platonica sunt. Plato enim Pythagorã sequutus, cúm animas 10 lib. de Repub. fecisset immortales, ait easdem semper esse, nunquam plures, nunquam pauciores. Idemque in Timæo & Phædro confirmat animarum numerum astris parem ab initio genitum, & singulis suum astrum attributum, ad quod certis temporum intervallis revertantur: deinde in alia corpora demigrent. Cicero veró semper in cælo permansuras esse confirmat, quod & religioni Romanæ aptius illi videbatur, & ad veritatem congruentius: Crediderunt enim Romani viam lacteam (quæ pauló anté excelsus & plenus stellarum, illustris & clarus locus appellabatur, & aliquantó póst rursus appellabitur) sedem esse fortunatorum ac beatorum. Ut Ovidius 1 Metamorph.

Est via sublimis cælo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso,
Hac iter est superis ad magni tecta tonantis.

Quod idem Manilius lib. 1 de hoc circulo scribens ait:

An fortes animæ, dignataq; nomina cælo,
Corporibus resoluta suis, terraq; remissa,
Huc migrant ex orbe, suumq; habitantia cælum
Æthereos vivunt annos, mundoq; fruuntur?

Quod ipsum ad Christianæ, id est, verissimæ religionis pietatem magis accedere videretur, nisi postea quiddam deterius adderetur. Confirmatio est cælestis felicitatis ex authore Deo, qui civilem justitiam, pietatem in patriam charam habet. Cúm enim duabus legibus omnem bene beatéque vivendi spem concluserit, alteram in religione & pietate erga Deum; alteram in amore propinquorum civiumque nostrorum constituit: Ergo Deo non gratum esse non potest, si legibus ejus obtemperemus, ejusque sanctissimæ voluntati morem geramus: Hominum igitur cõservatores, qui non tantúm seipsos illi immortali principique

pique Deo, sed cives suos justos, temperátes, liberales, pios præstiterint, ut á cælesti potestate virtuteq; profecti, ita ad eam revertentur. Hæc laus conservatæ Reipublicæ quia maxima in terris & singularis esset, certant poetæ & oratores de tam veræ gloriæ possessione,

—Fuit hæc sapientia quondam, (ait Horatius)
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere saxo.
Sic honor & nomen divinis vatibus, atq;
Carminibus venit.—

Eandem laudem Crassus oratoribus tribuit primo libro de Oratore: Ut veró ad illa summa veniamus, quæ vis alia potuit, aut dispersos homines unum in locum congregare, aut á fera agrestique vita ad hunc humanum cultum, civilemque deducere, aut jam constitutis civitatibus leges, judicia, jura describere? Verúm quid illud est *hinc profecti?* Enimvero paulo póst explicatiús idem ponitur, hominibus datos esse animos ex illis sempiternis ignibus, quæ sydera & stellas nos appellamus. Chaldaica sentẽtia ista est, quam Heraclitus, Plato, Aristoteles, reliquiq; feré philosophi sunt imitati. Chaldæi ignem, Deum rerum omnium constituerunt. Heraclitus similiter ex igne constare dixit omnia, & Deum ipsum, & animas hominum. Plato in Timæo, cúm omnem cælestem regionem igneam esse confirmet, naturamq; mundi, & illos secundarios, quasi minorum gentium deos ex eo faciat, in eodem rursus cratere superioris permistionis reliquias aggregando, animas hominũ componit. Aristoteles tametsi suis uti decretis videri vult, eandem tamen sententiam sequitur: quinetiam quandam naturam quatuor elementorum dissimilem censuit esse, unde essent astra, mentesque hominum singulares, ut Cicero in Academicis & Tusculanis quæstionibus author est. Stoici, Zenonis sectatores & æmuli, statuerunt ignem esse, qui quidque gigneret, mentem atque sensus. Itaq; cúm omnia illa supera ignea facerent, ut suapte natura omnia levia sursum: sic igneos animos nulla vitiorum fæce coinquinatos veteres existimaverunt, cúm á corporibus laxati essent, in sublimem illam æthereamque regionem ferri. hos poetæ

ſequuti, ſimilia nobis tradiderunt. Unde ſunt illa Virgilii 6 AEneid.

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant:
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra.

Hinc & illud Juvenalis 15 Satyra, cùm de ratione loquitur:

—Separat hæc nos
A grege mutorum, atq; ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, divinorumq; capaces,
Atq; exercendis, capiendisq; artibus apti,
Senſum à cæleſti demiſſum traximus arce.

Ergo philoſophi animam eſſe naturæ cæleſtis crediderunt.

Hic ego etſi eram perterritus, non tam mortis metu, quàm inſidiarum à meis, quæſivi tamen, Viveretne ipſe, & Paulus pater, & alii, quos nos extinctos arbitraremur. Imò verò, inquit, ii vivant, qui ex corporum vinculis tanquam è carcere evolaverunt. Veſtra verò, quæ dicitur vita, mors eſt. Quin tu aſpicias ad te venientem Paulum patrem: quem ut vidi, equidem vim lacrymarum profudi. Ille autem me complexus atque oſculans flere prohibebat. Atque ego ut primùm fletu repreſſo loqui poſſe cœpi: Quæſo inquam pater ſanctiſſime atque optime, quoniam hæc eſt vita (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? Non eſt ita, inquit ille: niſi enim Deus is, cujus hoc templum eſt omne quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non poteſt: homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ terra dicitur: hisq; animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſydera & ſtellas vocatis: quæ globoſa & rotundæ divinis

al. oſculatus

vinis animata mentibus circulos suos orbesq; conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec injussu ejus, á quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum á Deo defugisse videamini. Sed sic Scipio, ut avus hic tuus, ut ego qui te genui, justitiam cole & pietatem: quæ cúm sit magna in parentibus & propinquis, tum" in patria maxima est. L. in patriá
"Ea vita via est in cælum, & in hunc cœtum eorum al. Quia ea
qui jam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt vit.
locum, quem vides. Erat autem in splendidissimo candore inter flammas elucens circulus, quem vos (ut á Grajis accepistis) orbem lacteum nuncupatis.

Propositis justæ & innocenti vitæ præmiis, duæ quæstiones occurrunt, An mortui vivant: tum si vivant in tanta lætitia, cur tam diuturnam vitam trahimus? Quærit igitur AEmilianus, an vivant, qui vulgó putantur extincti: quia & vita, & anima, ignea quædam vis credatur, quæ uná cum corpore extingui existimetur: id breviter affirmatur proposito in exemplum quæstionis Pauli patris animo, ad cujus aspectum & effusæ lacrymæ, & complexus illius, & oscula pietatem summam declarant, ut diu loqui AEmilianus nequiverit. antea simile fuit, *me complexus senex collacrymavit*; nunc etiam ampliús suavia adhibita sunt, & illic aliquantó póst, & hic postquā loqui posse cœpi. Quid igitur moror in terris, si vita nostra mors est? Multi extitere, ait Plinius libro 7, qui non nasci optimum censerent, aut quám ocyssimé aboleri. Hæc quæstio divinæ legis authoritate dissolvitur, addita quadam disciplinæ militaris similitudine, valde loquentibus imperatoribus decora. Militibus in urbis præsidio custodiaque positis, injussu imperatoris discedere non licet: hominibus veró tanquam militibus corporis custodia ab illo summo & principe

Deo commissa est:hinc igitur ejus injussu discedere non licet. Templum Dei omne cælum quod conspicitur appellat, & proprié cælum,templum dicitur,á tuendo. Hinc est illud Ennii,

Contremuit templum magnum Jovis altitonantis.

Et quemadmodum in terris sacræ ædes,templa:ita cælitum domicilia, templa nominãtur. Et similiter pauló póst, *Nónne aspicis,quæ in templa Veneris?* Templa igitur deorum cælum nominat. Stellas globosas esse Aristoteles existimat,tum quia nusquam progrediantur,nec aliam idcirco formam requirant:tum quia verisimile sit Lunæ,quæ stella item sit,reliquas stellas forma similes esse. Stoici eadem ratione tributam syderibus istam formam crediderunt,ut 2 de Natura deorum Cicero,qua mundo universo: quia nil sit ea figura pulchrius,quę sola omnes alias figuras complexa continet, quæq; nil asperitatis habeat, nil offensionis,nil incisum angulis,nil anfractibus, nil eminens, nil lacunosum. divinis autem animatas esse mentibus stellas ex Platonico dogmate est: minores siquidem sunt illi dii, quos fingit in Timæo Plato á summo Deo factos, & immortalitate donatos: quod Aristoteles in libris de cælo & iis voluminibus quæ τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ nominantur,secutus videtur: cælum enim animal appellat,& quinquaginta quinque deos,rectores totidem cælestium orbium constituit,naturas æternas & cælestium principia motionum vocat. Et Themistius Aristotelis interpres in lib.de anima,dicit animalium tria esse genera; cælestium,quæ perfectissima sunt; terrestrium ,quæ maximé contra sunt imperfecta;medium collocat hominem,utriusq; participem extremi. Arabes & scholastici homines quidam non animalia nominarunt, sed intelligentias etiam nominibus appellatas syderibus affixerunt,Saturno Cassielem,Jovi Zachielem, Marti Samuelem,Veneri Anaëlem,Mercurio Raphaëlem, Lunæ Gabrielem,quæ cujusmodi sint, scholasticis altercationibus æstimanda relinquo. Quanta celeritate circulos suos dii illi conficiant, Solis cursus indicare potest,qui cúm viginti quatuor horis 360 gradus orbis percurrat singulis diebus, si uni gradui 60 millia passuum duntaxat (ut terræ gradibus attribui solẽt) attribuas,semel & vicies supra sexcente-

centena ſenaque millia paſſuum ſingulis diebus conficiet. Proximæ quæſtionis reſponſio deinceps concluditur, permanendum eſſe in corporis præſidio, dum dominans ille Deus nos hinc evocaverit. Quæret autem hîc aliquis, qua ratione igitur Cato, Brutus, Caſſius ſibi manus attulerunt, ſi non liceat imperatoris Dei injuſſu demigrare? Video equidem quid pro Catone Cicero tanquam divinæ voluntatis interpres reſponderit. Ait enim prima Tuſculana, Cato ſic abiit é vita, ut cauſſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet: vetat enim dominans ille in nobis Deus injuſſu hinc nos ſuo demigrare: cúm veró cauſſam juſtã Deus ipſe dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, ſæpe multis, nę ille medius fidius vir ſapiens lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit; nec tamen illa carceris vincula ruperit (leges enim vetant) ſed tanquam á magiſtratu aut á poteſtate aliqua legitima, ſic á Deo evocatus atque emiſſus exierit. Verúm huic ſubtilitati graviter occurritur, & á Philoſophis diſſerentibus, mortem ſibiipſi conſciſcere, fugientem vel inopiam, vel amorem, vel moleſtiam, fortis magniq; animi non eſſe, ſed timidi potiús & anguſti; & á divinæ legis contrario mandato, Non occides. Quód ſi pro libidine militi liceat conſilia imperatoris interpretari: quænã tandem ſtabiles & firmæ cuſtodiæ retinerentur? Martialem veró hîc multó libentius, quám Ciceronem audio:

Quod magni Thraſeæ, conſummatique Catonis
Dogmata ſic ſequeris, ſalvus ut eſſe velis:
Corpore nec nudo ſtrictos incurris in enſes,
Quod feciſſe velim te, Deciane facis.
Nolo virum facili redimit qui ſanguine famam:
Hunc volo laudari, qui ſine morte poteſt.

Ergo retinenda nobis vita eſt, & cuſtodia nobis commiſſa tuenda eſt, ne defugiſſe munus á Deo datum videamur; juſtitia, pietaſque colenda; quæ cúm in parentes magna ſit, tum multó major eſt in patriam, quę & nos, & propinquos noſtros complexa ſit. Africanus patrem ad Ticinum liberavit, pietatis in patrem magnum exemplũ eſt: Paulus Æmilius cúm ad bellum Macedonicum proficiſceretur, in concione precatus eſt, ut quicquid diri pop. Rom. immineret, in domum ſuam converteretur: magna pie-

tas in patriam fuit. Justæ illius piæq; vitæ gradibus itur in cælum,& in beatorum cœtum,qui lacteam illam candentemq; cæli regionem incolunt.

Ex quo omnia mihi contemplanti, præclara cætera & mirabilia videbantur. Erant autem eæ stellæ, quas nunquam ex hoc loco vidimus, & eæ magnitudines omnium quas esse nunquam suspicati sumus: Ex quibus erat ea minima, quæ ultima cælo, citima terris, luce lucebat aliena. Stellarum autem globi, terræ magnitudinem facilé vincebãt. Jam veró ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret. Quam cúm magis intuerer, Quæso, inquit Africanus, quousque humi defixa erit tua mens? nónne" aspicis, quæ in templa veneris? Novem tibi orbibus, vel potiús globis connexa sunt omnia, quorum unus est cælestis extimus, qui reliquos omnes complectitur. Summus ipse Deus arcens & continens cæteros, in quo sunt infixi illi, qui volvuntur stellarum cursus sempiterni: cui subjecti sunt septem, qui versantur retro contrario motu atque cælum. Ex quibus unum globum possidet stella illa, quam in terris Saturniam nominãt. Deinde est hominum generi" prosper & salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis. Tum rutilus, horribilisque terris, quem Martem dicitis. Deinde subter mediam feré regionem Sol obtinet dux & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi & " temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret & compleat. Hunc ut comites sequuntur Veneris alter, alter Mercurii cursus: in infimoque orbe Luna radiis Solis accensa convertitur: infra

L. cernis,

L. prosperus

L. temperator,

"infra autem eam nil est, nisi mortale & caducum, præter animos munere Deorum hominum generi datos. Supra Lunam sunt æterna omnia. Nam ea quæ est media, & nona tellus, neq; movetur, & infima est, & in eam feruntur omnia suo nutu pondera. al. infrá autem jam nihil est,

Ex hoc itaq; lacteo circulo templa illa diis immortalibus devota & consecrata, non quemadmodum in terris opere hominum aut manu facta, sed virtute potentiaq; divina, primúm spectanda Publio proponuntur, tum ad angustias terræ revocatur. Collatio igitur ista cæli & terræ breviter ponitur, tum per partes explicabitur latiús. Macti ingenio este cæli interpretes, rerumq; naturæ capaces, argumenti repertores, quo deos hominesq; vicistis: ait Plinius. Ergo interpretem hunc Africanum audiamus: E lactea via Æmiliano contemplanti præclara cætera & admirabilia videbantur. Quid mirum? Equidem (inquit Plinius) & consensu gentium moveor: Nam quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellaverunt, eum & nos á perfecta absolutaq; elegantia mundum. Stellæ, inquit, tales in cælo sunt, quales é terra nunquam homines cernimus, & tantæ magnitudinis, quantas nunquam suspicati sumus: quod minorum collatione demonstratur: Luna siquidem omnium stellarũ minima est, quæ major tamen est, quám dimidia pars terræ, ut Mathematici ante Ciceronem tradidere. Quantas igitur majorum stellarum magnitudines esse putabimus? Verúm locus controversiam cum decretis recentium Astrologorum habet non parvam. Nam neque stellarum minima Luna ab iis dicitur: neq; major, quám dimidia pars terræ. quod totum, ut planiús exponatur, referam quæ Thebitius & Alphraganus de magnitudine stellarum prodidere ex diametrorum, cuborum, globorum proportione: partes integras particulis omissis tãtúm recensebo, quod ad hunc locum satis esse possit. Terra tribus stellis major est, Luna, Mercurio, Venere, á cæteris facilé vincitur. Terra enim major est, quám Luna tricies novies; quám Mercurius, 21952; quám Venus, 37. Minor auté est Sole, 166; Marte, toto dimidio; Jove, 9; Saturno 91. Stella

primæ magnitudinis, 107; secundæ, 90; tertiæ, 70; quartæ, 54; quintæ, 35; sextæ, 18. Ex quorum hominum sententia, videmus Mercurii stellam, non Lunæ, minimam omnium esse, & Lunam non esse minorem dimidia terræ parte. Utri autem veriores sint, illíne veteres Mathematici, quos Cicero secutus est, an hi recentiores, Deus ille, qui globis istis præsidet, novit. Luce aliena luna lucet: Solis enim luce collustratur. Ideoque tenuissimum lumen facit proximus ejus accessus ad Solem, digressus autem quisque longissimus plenissimum. Stellarum autem globi terrarum magnitudinem facilé vincebant: Luna siquidem duplicata, terras magnitudine superat; quanto magis igitur totus ejus globus, reliquiq; quãto altiores erũt? Jam veró ipsa terra tam angusta, parvaque visa est, ut imperiũ Romanum pusillum admodum videretur: quod quasi punctum terræ efficeret. nondum Romani Taurum montem in Asia transierant, nondum Gallis, nondum Germanis, nondum Afris imperabant. Itaque castigatur Æmilianus, ejusque animus ad cælum contemplandum excitatur. Quandiu igitur in terrenis atque humanis rebus spem cogitationum tuarum defixam habebis? Erige oculos & mentem, hominemque te præsta. Deus enim homines terræ quidem incolas, sed & cæli contemplatores esse voluit.

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cælumque videre
Jussit, & erectos ad sydera tollere vultus: ait

Ovidius primo Metamorph. Nónne consyderas admirabiles istas ædes diis immortalibus sacras? mundus universus novẽ globis ornatus & coagmentatus est, quorum octo cælesti regione continentur, nonus & ultimus, terra. quæ partitio Platonica est. Platonicus enim mundum efficere moliens Deus, terram ignemque junxit, eaq; aquæ & aëris vinculis colligavit. Cælestem autem regionem igneam Plato credidit, unde pauló anté sempiterni ignes, stellæ nominantur. Platonica autem de mundo philosophia est, omnia quatuor elementis constare, eaque in omnibus omnia esse permixta: ita ut syderibus ignis aspectabile lumen, vitalem calorem, motum promtissimum, aër pellucentem perspicuitatem, aqua lenitatem æquabilem,

lem, terra ſolidam craſſitudinem præbeat. Sed ad cæleſtes orbes, vel potiús globos redeamus: cúm enim duæ formæ præſtantes ſint ex ſolidis globis (ſic enim σφαῖραι interpretari placet) ait Cicero 2 de Natura Deorum, ex planis circulus, aut orbis, qui κύκλος Græcé dicitur: proprié ſolida illa corpora globi, non orbes nominantur, quos octo duntaxat antiquitas omnis eſſe ſenſit, orbem ſtelliferum extimum, ſubjectosque ei planetas ſeptem. Verúm Hipparchus & Ptolemæus, hosq; deinceps Aſtrologi ſequuti, cúm triplicem in orbe ſtellifero motum animadvertiſſent, primum ab ortu per meridiem ad occaſum, ſecundum circa principia Arietis & Libræ á Septentrione ad Meridiem, contráque tertium ab occaſu per Meridiem ad ortum: decimum globum authorem primi motus, nonum ſecundi ſtatuerunt, tertium qui triginta ſex millibus annorum abſolveretur, ſtellifero orbi tradiderunt; tametſi neq; deſint hodie vetuſtatis defenſores, quiq; & tranſverſum illum á Septentrionibus motum nullũ eſſe confirment, & primũ qui 24 horis efficitur, univerſi cæli eſſe proprium, deinde in ſingularibus globis item ſuum, in primo orbe ſexies & tricies millenorum annorum, in Saturno, Marte, Jove, cæterisq; ſimiliter certis temporibus definitum: atq; id á Ptolemæo ſumere ſe diſputant. Quam quæſtionem Auguſtinus Ricius ſubtiliter & acuté tractavit. In Planetis eſt etiam illa diverſitas, Plato primam Lunam á terra, ſecundum Solem, tertiam Venerem, quartum Mercurium, quintum Martem, ſextum Jovem, ſeptimum Saturnum facit. Cicero recentiores ſecutus ſecundum globum Mercurio, tertium Veneri, quartum Soli dedit. Platonem igitur hîc non probavit, quem ſecundo de Natura Deorum eadem in re probaverat. Duo veró genera Deorum veteres coluêre; unum æternum, ut cælum & ſtellas: alterum ab hominibus conſecratum, partim magnitudine beneficiorum, ut Herculem, Romulum; partim excellentia, ut mentem, virtutem, victoriam; partim ratione phyſica, ut Cererem, Neptunũ, Bacchum, quemadmodum Cicero docet in Natura Deorum. Ex æternis igitur diis ſtellifer orbis princeps & ſummus Deus habitus eſt, qui more potentiſſimorum in terris regũ, ad comitatus ſcilicet honorem atq; dignitatem, ſtel-

las tam multas (quàm cernimus) assumsit: septem autem subjectis singulis suos globos assignavit, qui falsò planetæ errantesq; nominantur. Nihil enim errat, quod in omni æternitate conservat progressus & regressus, reliquosque motus constantes & ratos. Quod eò est admirabilius in his stellis, quas diximus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum autem subsequuntur, tum celeriùs moventur, tũ tardiùs, tum omnino ne moventur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt. Ex quibus proximum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant, gelidæ ac rigentis naturæ, unde [illegible] sydus existimatum, qui morosi idcirco sunt ac diffici[illegible]: orbem suum conficit 29 annis, diebus 162, horis 12, ob quam motus tarditatem Saturnus, ratione quadam Physica, appellatus est, quòd saturetur annis, ut ait Cicero secundo de Nat. quódq; consumat ætas temporum spacia, annisq; præteritis insaturabiliter expleatur. Deinde est hominum generi prosper ille & salutaris fulgor, qui dicitur Jovis, quod ipsum nomen á mansueta clementiq; syderis natura formatum est. Jupiter enim, id est, juvans pater, ait ibidem Cicero, quem conversis casibus appellamus, á juvando Jovem; á poëtis pater deûmque hominumq; dicitur: á veteribus autem Romanis optimus, & maximus; & quidem anté optimus quám maximus, quia majus est, certéq; gratius prodesse omnibus, quám opes magnas habere. Alligasse Saturnum in fabulis dicitur, quia immoderata Saturni frigora temperat. Hinc illud Persii:

Saturnumq; gravem nostro Jove frangimus unà.

Cursum suum absolvit 11 annis, diebus 313, horis 20. Tum rutilus horribilisq; terris, quem Martem dicitis: igneus siquidem est, & rapidus, unde ardores animorum ad præliandum, atq; hac de caussa bellorum deus habitus. Hinc pro bello:

—Martemq; accendere cantu, ait Virgilius.

Horatius; *Tyrtæusq; mares animos in Martia bella*
Versibus exacuit.—

Hujus syderis ardore nimio & rigore Saturni interjectum ambobus ex utroq; temperari Jovem, salutaremq; fieri

fieri Plinius existimat. Deinde subtermediam feré regionem Sol obtinet, dux & princeps, & moderator luminum reliquorũ, mens mundi & temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret & compleat. De loco Solis & ordine syderum dictum antea est: de principatu sic astrologi docent, á Sole non solúm lumen reliquis syderibus suppeditari, verúm virtutes officiaq; præscribi, ut Saturnus propter diuturnam experientiam reconditamq; peritiam, velut in regno nostro cancellarius; Jupiter ob æquitatem moderationemq;, judex; Mars propter ardorem, præses bellorum; Venus ob humidam & fœmineam mollitiem, materfamilias; Mercurius, quia sagax, scriba: Luna, quia velox & promta, nuncia rerum constituatur. Præclaræ istæ Solis & admirabiles laudes sunt, quód dies noctesq;, æstates, hyemes, & his reliqua duo interjecta tempora, sua cõversione conficiat. Plinius libro secundo Naturalis historiæ, cúm de Planetis loquitur: Quorum, inquit, medius Sol fertur amplissima magnitudine ac potestate, nec temporum modó terrarumq;, sed syderum etiam ipsorum, cælique rector. Hunc mundi esse totius animum, ac planiús mentem, hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decet opera ejus æstimantes. Hic lucem rebus ministrat, aufertq; tenebras: hic reliqua sydera occultat: hic vices temporum, annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat: hic cæli tristitiam discutit, atq; etiam nubila humani animi serenat: hic suum lumen cæteris quoque syderibus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi literarum Homero placuisse in uno eo video. Animadverte in hac caligine deorum & veræ religionis ignoratione, quám varié ferantur ingenia de diis suis scribentium. Pauló anté stellifer orbis summus ipse Deus appellatus est, nunc Sol princeps reliquorum luminum, & initio rex Masinissa non stelliferum orbem, sed Solem summum salutavit: *Grates ago tibi summe Sol, vobisq; reliqui cælites.* Mens mundi nominatur, de qua Virgilius Æneid. 6,

Principio cælum ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra

Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & pleno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumq; genus, vitaq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.

Ubi tamen Virgilius spiritum animamq; mundi, Soli præcipué non attribuit, ut hîc Cicero: nec ipse Cicero in Academicis vim Solis animum dicit esse mundi. sic autem de Academicorum sententia loquitur: Parteis autem esse mũdi, omnia quæ insint in eo, quæ natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. nihil enim valentius esse á quo intereat. quam vim dicunt animum esse mundi, eandemq; esse mentem, sapientiamque perfectam: quem Deum appellant, omniumq; rerum, quæ sunt ei subjectæ, quasi prudentiam quandam, procurantem cælestia maximé: deinde in terris ea quę pertinent ad homines: quam interdum necessitatem appellant, quia nihil aliter esse possit, atq; ab ea constitutum sit: interdum quasi fatalem & immutabilem continuationem ordinis sempiterni: nonnunquam quidem eandem fortunã, quód efficiat multa improvisa, & nec opinata nobis, propter obscuritatem, ignorationemq; caussarum. Hęc Cicero. Quid ergo, inquies, mens mundi modó Sol erat, modó Deus, non Soli duntaxat, sed omnibus mundi partibus infusus appellatur: quid, inquam, ab ignaris & religionis veritate caligantibus hominibus hîc constantiã requiramus? fuit hæc inconstantia confessio quædam ignorationis. Sed tamen ad Solis laudem redeamus. Tanta maguitudine, duodeviginti quippe partibus, ait in Academicis Cicero, major universa terra, vel, ut Ptolemæus in magna cõstructione, centies sexagies sexies: quæ magnitudo admirabilis nobis videri debet, reputantibus quantitatem ejus oculorum nostrorum judicio pedalem, aut bipedalem duntaxat esse, quod Epicurus censebat. Motus ejus 365 diebus, 5 horis, 49 minutis, 16 secundis perficitur, ut astrologi recentiores docuere. Hunc ut comitem consequitur alter Veneris, alter Mercurii cursus. Venus anno cursum conficit, lustrando latitudinem signiferi orbis: nec unquam á Sole discedit duorum signorum intervallo, tum antecedens, tum consequens: brumæ siquidem tempore phosphorus,

Latinè Lucifer appellatur. Hinc illud Martialis,

Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo Phosphore redde diem.

Æstivis autem diebus consequitur, & Hesperus nominatur. Hinc Virgilius,

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

Plinius idem ferè: Infra Solem ambit ingens sydus appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisq; cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. præveniens quippe, & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut Sol alter diem maturans: contrà ab occasu refulgens nuncupatur Vesper, ut prorogans lucē, vicemq; Lunæ reddens. Quam naturam ejus Pythagoras Samius primus deprehendit Olympiade circiter 42, qui fuit urbis Romæ annus centesimus quadragesimus secundus. Jam magnitudine extra cuncta alia sydera est, claritatis quidem tantæ, ut unius hujus stellæ radiis umbræ reddantur. Itaq; & in magno nominum ambitu est: alii enim Junonis, alii Isidis, alii Matris deûm appellavere. Hujus natura cuncta generantur in terris; nanq; in alterutro exortu genitali rore conspergens, non terræ modò conceptus implet, verùm animantium quoq; omnium stimulat. Signiferi autem ambitum peragit tricenis & duodequinquagenis diebus, ab Sole nunquam absistens partibus sex atque quadraginta longiùs, ut Timæo placet. hæc Plinius de Venere. Mercurius nūquam longiùs signi unius intervallo abscedit, tum antevertens, tum subsequens. Plinius ait viginti tribus partibus nunquam remotiorem esse, & novem diebus ocyore ambitu, quàm Venerem, toto orbe circumferri. De cælestibus globis ad hujus illustrationem loci dictum satis (ut opinor) est. Unus globus superest ex aëre, aqua, terra coagmentatus: ætherea igneaq; regio superiores octo globos complexa est: illic æterna, constantia, immutabilia dicuntur esse. Hic contrà caduca, plena erroris, & inconstantia sunt omnia, præter igneos illos & cælestes animos, ab ætherea regione in humanorum corporum custodiam immissos: elementa enim varia mutabiliaq; sunt.

Quæ quanquam spacio distant, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, & in ipsa cadunt: resolutaq; tellus

In liquidas rarescit aquas, tenuatur in auras,
Aeraque humor habet: demto quoque pondere rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aera transit:
Hinc in aquas: tellus glomerata cogitur unda.
Nec species sua cuique manet: rerumque novatrix
Ex aliis alias renovat natura figuras. Ovid. 15 Metamorph. Hæc pars est quam in mundo mortalem veteres philosophi credidere. Tellus neq; movetur, ut superiores æthereiq; globi, quanquam Nicæas Syracusanus supera omnia stare censet, terram solā moveri: atq; hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, sed obscuriús: & nostro seculo quidam hanc sententiam revocavere magni nominis astrologi. sed tamen Scipioni receptam doctrinam sequenti, terra non movetur, sed abjecta est in infimum mundi locum, in eamq; labuntur omnia suo nutu suaq; sponte pondera. Lex ista naturæ corporibus imposita, quam breviter aperuit Oividius,

Ignea convexi vis & sine pondere cæli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce:
Proximus est aer illi levitate, locoque:
Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui. Ergo in terram sua sponte gravia labuntur.

Quæ cúm intuerer stupens, ut me recepi, " Quis hic, inquam, est, qui complet aures meas tantus & tam dulcis sonus? hic est, inquit ille, qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen " pro rata portione distinctis, impulsu & motu ipsorū orbium conficitur, qui acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt, & natura fert ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autē acuté sonent. Quā ob caussam summus ille cæli stelliferi

al. Quid? inquam: quis hic est,

al. pro rata parte ratione dist.

feri cursus, cujus conversio est concitatior acuto, & excitato movetur sono, gravissimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra nona immobilis manens, ima sede semper haret, complexa medium mundi locum: illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est " duorum, septem efficiunt distinctos intervallis sonos, qui numerus rerum omnium feré nodus est. Quod docti homines nervis imitati, atque cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum: sicut alii, qui præstantibus ingeniis in vita humana divina studia coluerunt, hoc sonitu oppletæ " aures obsurduerunt. Nec est ullus hebetior sensus in vobis, " sicut ubi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus. Ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic veró tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut eum aures hominum capere nō possint, sicut intueri Solem nequitis adversum, ejusque radiis acies vestra sensusque vincitur.

L. duorum modorum, sept. *al.* duorum, Mercurii & Veneris, modorū sept.

L. aures hominum, obs. *al.* sicut in illis, ubi Nil.

QUAMOBREM mirabilia ista deorum templa, spretis contemtisq; terris, cúm Æmilianus attonitus ac stupens spectaret, ut ad se rediit, ac animum collegit, cælestem harmoniam audivit. *Quis hic, inquam, est, qui complet aures meas tantus & tam dulcis sonus?* Pythagoras, cúm in omni mathematum genere, tum in musicis præcipué discipulos suos exercuit: quod studium ut accenderet, persuasit cælum ad harmoniā moveri. Ex illis igitur Pythagoreis decretis, quod audierat Africanus, cælestem harmoniā esse respōdit, & definitione harmoniæ, loco nominis ipsius utitur. *Est, inquit, ille sonus, qui ex intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu & motu globorum cælestium efficitur, qui acuta*

cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. quæ harmoniæ definitio secundo lib. de Republ. quod antea intelligi potuit, eadem fuerat his verbis: In fidibus ac tibiis, atq; ipso cantu, & vocibus concẽtus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt; isq: concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens. est igitur hic sonus, qui auditur, concentus orbium cælestium. *Nec enim silentio tanti motus incitari possunt.* Ratio est Pythagoræ, ut Aristoteles 2 lib. de Cælo ait, Lapides, arbores, ac pleraq; ejusmodi corpora, cúm agitãtur in aëre, collidũturq;, sonos edunt: quanto magis igitur orbes tanta magnitudine, tantaq; celeritate incitati? Nec veró tantúm immensæ & innumerabiles stellæ sonos, sed concordes inter se & congruentes sonos efficiunt. Quia definitio quædam harmoniæ in cælestibus globis proposita est: de globorum sonis, & quot, & quales essent, dicendum fuit. Maximi globi, quia summa celeritate moveantur, acutissimos sonos efficiunt; infimi contrá, quia tardissimi, gravissimos: intermedii veró mediocres, & utriusque generis, tum superorum, tum inferorũ participes orbium. Octo itaq; illi cursus septem efficiunt sonos intervallis distinctos, quæ á musicis spacia dicuntur: tametsi enim octo sint orbes, septem duntaxat intervalla conficiunt. Intervallum siquidem est sonorum, qui ex duobus agitatis nervis, aut aliis corporibus efficiuntur, ratio. Locus autem ille, *in quibus eadem vis est duorum*, ex musica ratione est intelligendus: nam ex Lunæ & Mercurii intervallo, sonus unus efficitur, ut ex Mercurii & Veneris, tum ex Veneris & Solis, tum ex Solis & Martis, tum ex Martis & Jovis, tum ex Jovis & Saturni, tum ex Saturni & Stelliferi orbis ratione. Admonendum tamen illud esse censeo, quod de hac harmonia Plinius scriptum reliquit. Non enim veram harmoniam á Pythagora in cęlo descriptam videtur affirmare, sed musica quadam similitudine mundi intervalla descripta. Sic autem 2 lib. loquitur: Sed Pythagoras interdum ex musica ratione appellat tonum, quantum absit á terra Luna. Ab ea ad Mercurium, spacij ejus dimidium: & ab eo ad Venerem feré tantundẽ:

á qua ad Solem ſeſquiplum: á Sole ad Martem tonum, id eſt, quantum ad Lunam á terra: ab eo ad Jovem dimidium, & ab eo ad Saturnum dimidium, & inde ſeſquiplum ad Signiferum. Ita ſeptem tonos effici, quam diapaſon harmoniam vocant, hoc eſt, univerſitatem concentus. In ea Saturnum Dorio moveri, Mercurium phthongo, Jovē Phrygio, & in reliquis ſimilia, jucunda magis quám neceſſaria ſubtilitate. Plinius igitur magis ſimilitudinem harmoniæ, quám harmoniam exiſtimat á Pythagora eſſe propoſitā, & eam tamen irridet, non ſecus videlicet quám Cicero ipſe in lib. 3 de Natura Deorum: Niſi putamus, ait, ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras exiſtimat. Cenſorinus in die natali, idem feré quod Plinius oſtendit. Itaq; feſtivum & jucundum commentum magis quám verum & neceſſarium, licet ab Africano, qui non tanquam philoſophus, ſed velut divinus interpres fingitur, tamen audierimus. Hic concentus ſeptem efficit diſtinctos intervallis ſonos: quam harmoniam Muſici diapaſon nominãt, quæ de ſimplicibus tertia eſt: harmoniarū ſiquidē genera duo Muſici faciũt, ſimplices alias, alias compoſitas. Simplices tres, διατεσσάρων, ex quatuor ſonis; διαπέντε, ex quinq; ; διαπασῶν, ex omnibus, qui ſeptem ſunt. Compoſitæ autem duæ ſunt διαπασῶν, διαπέντε, δισδιαπασῶν. ſimplex harmonia διαπασῶν in cæleſtibus globis eſt ex ſeptem ſonis, qui numerus omnium feré nodus eſt: de ſeptenario dictum eſt priús. Verumenimvero cur hunc orbium ſyderumq; concentum, non potiús animo cogitamus, quám auribus attendimus? qui ſané mirabilis diſſimillimis motibus poſſit intelligi, ut cúm ſumma Saturni refrigeret, media Martis incendat, idem interjecta Jovis illuſtret & temperet, infraque Martem duę Soli obediant, ipſe Sol mundum omnem ſua luce compleat, ab eoq; Luna illuminata, graviditates & partus afferat, maturitatesq; gignendi: quæ copulatio rerum, & quaſi conſentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturæ, quem non commovet, hunc hominē nihil unquam reputaviſſe certó ſcio. Hic ſyderum concentus humanæ vitæ moderatio ac temperatio quædam eſt. Prima ſiquidem ætas lunarem ſequitur poteſtatem: tunc enim alentis tantúm ac vegetantis animæ viribus ſuſten-

tamur. Secundá Mercurialem, quando literarum, citharæque & luctæ, similiumque ludorũ studiis exercemur. Tertia Veneream, quando turgent membra seminibus, & ad procreationem vehementiús incitamur. Quarta Solarem, tunc enim excellit vigor, ętatisq; perfectio ac robur expromitur. Quinta Martiam, in qua potestatem & victorias, regna & opes expetimus. Sexta Jovialem, quæ prudentiam actionesq; vitæ modestas civilesq; desiderat. Septima Saturniam, in qua naturæ consentaneum est á generatione desistere, seq; á corporeis segregrare, & ad alteram incorporeamq; vitam se transferre. Hæc Proclus de anima & dæmone, ubi etiam docet, per harmoniam in cęlo regnantem, superos harmonia mirabili cuncta moderari atq; regere. Illi sunt typographi, quorum characteribus primúm animus noster est informatus, ut Platonici quidam tradidere, quibus placet animam hominum, cúm é lactea via descendit, sylvestrem quandam obliviosamq; molem contrahere, quæ deinde á planetis [illegible]em subjectis varié formaretur: á Saturno rationis & prudentiæ, á Jove industriæ & actionis, á Marte affectus, á Sole sensus, á Venere cupiditatis, á Mercurio orationis, á Luna vitę, & procreationis, & velut aqua terrarum (quas præterfluens alluit) qualitatem & naturam sumeret. Concentum igitur hunc docti homines nervis imitati, atq; cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum. Philosophi, ut Pythagorei, harmoniam illam cælestem, ejusq; constantiam, pulchritudinem, admirabilemq; in omni tempore veritatem cõtemplati, cúm mores animosq; suos ad imitationem harmoniæ cælestis composuissent, in lacteam illam candentemq; beatorum sedem Africani judicio redierunt. Neque porró musicos cantores ebriosos hic appellat Africanus, quos Diogenes ille Cynicus meritó derisit, quód citharam ad harmonicos concentus compositam gererent, mentem, mores, animos immoderatos, & nulla vitę harmonia compositos haberent. Tam necessariam veró musicā formandis moribus Plato esse censuit, ut musicis modis atq; cantibus immutatis, Respubl. necessarió immutari crederet. Itaq; ut prima Tuscul. Cicero, eruditionem veteres Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Igitur

tur Epaminondas princeps, meo quidem judicio, Græciæ, fidibus præclaré cecinisse dicitur. Themistocles aliquot anté annis, cúm in epulis recusaret lyram, est habitus indoctior. Ergo in Græcia Musici floruerunt, discebantq; id omnes, nec qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur. Et Timagenes author est, ait Quintilianus, omnium in literis studiorum antiquissimam musicen extitisse: & testimonio sunt clarissimi poëtæ, apud quos inter regalia cóvivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur: ut apud Homerum Demodochus & Phemius. Quid apud Virgilium? nónne

—Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas?
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores.

Gravissimus author in Originibus dixit Cato, morem apud veteres Romanos hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent, canerét ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. Ergo Pythagoreis cælestes concentus imitatis, moris, inquit Quintilianus lib. 9, in literarum studiis fuit, ut cúm evigilassent, animos ad lyram excitarent, quó essent ad agendum erectiores, & cúm somnum peterent, ad eandem priús lenire mentem, ut si quid fuisset turbidiorum cogitationũ, componerét: quod idem 4 Tuscul. Cicero, Mentes, inquit, suas á cogitationũ intentione, cantu, fidibusque ad tranquillitaté traducebant: & quod quoque dic, ut idem Cicero de Senectute, dixerant, audierant, egerant, commemorabant vesperi. Itaque suis istis studiis, cúm animos ad justitiam & virtutem composuissent, reditum sibi & Pythagorei, & Pythagoreorum similes reliqui philosophi aperuerunt. Sicut alii qui præstantibus ingeniis in vita humana, divina studia coluerunt, quales ii qui optimé de patria, de Republica, de propinquis & civibus suis meriti sunt. Sic vità beata duplex intelligetur, & philosophorum, qui honestis & ingenuis contemplationibus dediti, cives suos utilibus præceptis instituerunt & ornarunt: & principum, qui Rempublicam providendo & augendo conservarunt & auxerunt. Cælestis harmoniæ & definitio, & caussæ, & accommodatio ex orbium intervallis ad concentum adhuc informata

est, & felicitas eorum conclusa, qui vita & factis illos concentus essent æmulati. Verùm admirans & stupens quæret aliquis, quamobrem á nobis harmonia tanta nunquam audiatur? cui Pythagorei respondebunt, caussam esse, sonitus excellentiam, præstantiamque, quod similibus duobus explicatur. Primùm qui habitant ad Catadupa Nili, propter sonitus magnitudinem, sensu audiendi carent: sic propter amplitudinem, sonitus cælestis humanis auribus percipi non potest. Secundum est, sicut intueri Solem nequimus adversum, ejusque radiis acies nostra sensusq; vincitur: sic harmoniæ cælestis admirabili sono aures nostræ facilé superantur. Ergo Pythagoreorum ratio ad hanc quęstionem ex intimo naturæ fonte sumitur. Colores, odores, sapores, calores, si valde remissi languidiq; , aut contrá nimis vehęmentes & incitati, sensus hominis vel effugiunt, vel hebetant: sic soni, si pertenues fuerint, non sentiuntur; ut ille auribus nostris á natura perpetuo quodam susurro conclusus: si graves & valde magni, sensum offundunt atque obruunt, nec percipi possunt. In his similibus Pythagoreis duo lumen & explicationem desiderant: alterum, quód sensus aurium omnium tardissimus & inertissimus affirmetur: alterum, quæ Catadupa nominentur. De sensibus animalium ita scribit Plinius libro decimo : Ex sensibus ante cętera homini tactus, deinde gustus, reliquis superatur á multis: aquilæ clariús cernunt, vultures sagaciús odorantur, liquidiús audiunt talpæ obrutæ terra, tam denso, tamque surdo naturæ elemento. Hæc ille, quibus ostendit acerrimos esse sensuum in nobis tactum & gustum. De tribus igitur contentio ista reliqua fuerit, qui maximé sit hebes omnium. De oculis & auribus Aristoteles in libro de Sensu & iis quæ percipiuntur sensu, ait, auditum sensum esse disciplinæ: & quamvis plura rerum genera deprehendantur oculis, quám auribus, tamen quód omnia doceamur auribus, hac adventitia ratione fieri, ut oculi vincantur ab auribus. Constat igitur Aristotelis judicio, etiam aures hebetiores oculis esse. De odoratu quæstio superest, eóne hebetior sit auditus in homine. De Catadupis jam dicendum. Græcum vocabulum κατιδουπεῖν, est præcipitando sonum edere, perstrepere, ex alto loco cum sonitu

ſonitu cadere. hinc κατάδυπος, locus præruptus & præceps. Græcũ aliud eſt vocabulũ, idem ſignificans, & apud coſmographos in hac ſententia magis uſitatum, καταράκτης, & uſu factũ Latinum. Cataractæ igitur ſive Catadupa, præcipites ſunt ex aſperis & altis rupibus torrentes: unde cataractas in Nilo Strabo duos commemorat, majorem in montanis AEthiopiam ſpectantibus: minorem juxta Syenen. Frequentia illic, ut Diodorus ait, ſaxa ſcopulis ſimilia fluvii curſum inhibent, retroq; ac ſpumis redundantibus repellunt ingenti cum admiratione & ſtupore ſpectantium. Et ſunt tamen illic qui in regum ſpectaculum levibus ſcaphis inſidentes, unà cum amne ex ingenti altitudine ſeſe præcipitent, & incolumes enavigent, quod & Strabo ſcribit, & Seneca velut incredibile admiratur. Idem Seneca ſcribit lib.4, Propter ſonitus magnitudinem, multos accolas coactos quietiores ſedes quærere. Plinius lib.5 de Nilo ſcribit, Subinde inſulis impactus, totidem incitatus irritamentis, poſtremò incluſus montibus, nec alibi torrentior, vectus aquis properantibus ad locum AEthiopum, qui Catadupi vocantur, noviſſimo cataracte inter occurſantes ſcopulos non fluere immenſo fragore creditur, ſed ruere. Idem ſexto lib. commemorat aliquot oppida AEthiopum à Romanis expugnata, ubi ait: Nilus præcipitans ſe fragore, auditum accolis aufert. Sed de Catadupis ſatis: quod nomen ſicut Cataractæ generale, & ut Nili, ſic Euphratis, ſic Rheni Cataractę & Catadupa nominari poſſunt. Demonſtratis præclaris illis cælitum templis, exauditaq; mirabili in his harmonia, jam tempus eſt ut ad alterã cohortationis partem veniamus, & de terreſtri illo nonoque globo dicamus. Cohortatio ſiquidem Africani ad cæleſtem illam ſempiternamque vitam in contentione hac, ut diximus, incluſa eſt, cælum totum admirabile eſſe, terram contemnendam.

Hæc ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem. Tum Africanus, Sentio, inquit, te ſedem etiam nunc hominum contemplari ac domum. Quæ ſi tibi parva (ut eſt) ita videtur, hæc cæleſtia ſemper ſpectato, illa humana cõtemni-

to. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra raris & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas: hosq; qui incolunt terram, non modó interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos,
L. traversos, *partim" aversos, partim etiam adversos stare vo-*
al. expectare *bis: á quibus" sperare gloriam certé nullam potestis. Cernis autem terram eandem quasi quibusdam redimitam & circundatam circulis: é quibus duos maximé inter se diversos, & cæli verticibus ipsis ex utraq; parte subnixos, obriguisse pruina vides: medium autem illum & maximum Solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles: quorum australis ille, in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus: hic autem alter subjectus aquiloni, quem incolitis, cerne quám vos tenui parte contingat. Omnis enim terra quæ colitur á vobis, angustata verticibus, lateribus latior, parva quadam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terris. Qui tamen tanto nomine quám sit parvus, vides.*

Hæc ait AEmilianus, admirans deos illos, Saturnum, Jovem, Martem, Solem, Venerem, Mercurium, Lunā, summumq; illum stelliferum cæteros coërcentem & complectentem. Hæc itaq; admirans, & captus incredibili suavissimi concentus voluptate; referebam tamen oculos ad terrā identidem, & ad res humanas cogitationem revocabam, nec tantum splendorem, tam beatum, divinumque lumen animo diutius perferre poteram, sic obstupueram. Age veró vatem hunc Africanum ex illo sublimi summoque loco concionantem audiamus: Hæc cælestia spectato, inquit.

Natura

Natura siquidem homines humo excitatos, celsos & erectos constituit, ut deorum cognitionem, cælum intuentes capere possent: sunt enim ex terra homines, non ut incolæ & habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atq; cælestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantiũ pertinet: ut Cicero 2 de Natura deorum. Humana contemnito: tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam cõsequi potes? In qua feré Romani summũ bonum, ut in dedecore summum malum, situm esse arbitrabantur. Scriptus erat hac de re liber á Cicerone, qui, sicut alia ejusdẽ ingenii permulta monumẽta, si extaret, hic locus pleniús & explicatiús expositus nobis esset: extat autem Ciceronis quoddam judicium de gloria, in defensione Archiæ poetæ. Nullam (ait) virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, judices, quid est quód in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Hæc non Romanis solúm, sed omnibus feré Rerumpublicarũ conditoribus merces rectè factorum visa est. hinc coronæ institutæ victoribus, decretiq; triumphi. Verúm hîc viridiora præmiorum genera, stabilioraque proponit Africanus, & Platonem sequutus authorem, Reipub. bene gestæ ac conservatæ fructum altiorem quendam, præstantioremq; rebus humanis spectavit: gloriã igitur humanã ex angustiis terræ angustissimam, & ex temporum brevitate maximé caducam demõstrat. Vides habitari in terra raris & angustis in locis: Oceanus siquidem maximam partem nobis eripuit, & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas: quæ pauló póst clariús ex tribus zonis mundi, quæ desertæ atq; incultæ putabantur, clariús intelligentur: hosque, qui incolunt terram, non modó interruptos, ita ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim aversos, partim etiam adversos stare vobis, á quibus spectare gloriam certé nullam potestis. Considera igitur in his terrarum angustiis, interruptiones regionũ, inter quas ab aliis ad alios pervenire nihil possit. In tria genera cosmographi terræ universæ incolas partiuntur, quæ nunc Africanus attigit: verumenimvero

obscurius id erit iis quibus cosmographi non erunt lecti vel auditi. Quamobrem eorum gratia pauca nobis de situ ac descriptione cæli ab Astrologis mutuanda sunt ad illustrandum hunc locum. Quemadmodum igitur magnæ & amplæ civitates, in principes quatuor regiones, atq; hæ regiones ipsæ deinde in minutiores vias distingui, secarique solent: ita cælum (liceat enim docendi gratia parvis magna componere) id est deorum, sic terra, id est, hominum civitas distribui solet: & quidem cælum prius, quia hinc terræ dimensio sumitur: ergo quatuor in hac rotunda deorum civitate, principes portæ designantur, Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio. In Septentrione, & loco ei ad meridionalē plagam opposito, duo mundi cardines (circa quos cælum volvitur) Poli nominantur: noster, qui nobis Lutetiæ supra terras quadraginta octo feré gradibus elevatus cernitur, arcticus vocatur, propter vicina signa arctos ursasq; referentia: oppositus illi, adversusq; antarcticus, contrario nomine appellatur. At quæ via á Septentrione, per capitis nostri verticem, ad Meridiem rectá tendit, sub terrasq; delapsa ad Septentrionem redit, orbis meridianus dicitur, quia meridiem Sol nobis efficit, cúm ad illum circulum pervenerit. Altera veró, quæ ab Oriente verno ad Occidentem vernum tendit, & sub terras ad idem initium revertitur, quæque meridianum orbem idcirco ad angulos rectos in summo infimoque cæli loco dividit, æquinoctialis orbis nominatur: quia Sol, cúm ad signa, quæ sunt in ea cæli parte, pervenerit, noctes efficiat diebus æquales, cujusmodi signa sunt duo, Aries & Libra. de quorum priore Virgilius 1 Georg.

Libra die noctisq; pares ubi fecerit horas.

Hæ principes viæ sunt in cælo, quæ singulæ in trecentas sexaginta partes (quas gradus appellant) distribuuntur, ad quorum circulorū imitationem multi deinde circuli sunt informati. cúm enim á meridiano (quem primum finxeris) Orientem vel Occidentem versus abieris, alium atque alium subinde meridianum á polo ad polum, per verticem capitis, efficies: idem quoque cúm ab æquinoctiali ad Septentriones, vel Austros secesseris, alios atque alios orbes efficies: æquinoctiali tantó minores, quantó propius ad

polos

polos perveneris: quales quatuor in sphæram adhiberi solent intermedio æquatore separati: cùm enim ab æquatore ad polum nostrum vigintiquatuor gradus processeris, orbem usquequaq; ab æquatore æquè distātem conficies, qui tropicus Cancri nominatur: quoniam Sol cúm primā signi illius partem attigerit, tum τρέπηται, id est convertatur, ad austros, á quo tropico ad eundem polum quadraginta duarum partium spacio designabis orbem usquequaque pariter distantem, & hic Aquilonalis aut Septentrionalis orbis erit. Simili autem differentia duos alios æquidistantes orbes ab æquatore versus austros dimetiri licet, vigintiquatuor partibus ab æquatore versus antarcticum polum, tropicum Capricorni constitues, eadem caussa nominatum, qua superior ille tropicus Cancri dictus est: quia Sol cúm ad primam signi illius partem descenderit, tum rursum ad Septentriones reflectitur. Ab hoc tropico ad quadragesimam octavam partem, orbem ultimum definies, ab antarctico polo viginti quatuor partibus undiq; æqualiter distantem, cui antarcticus nomen est: quia polū antarcticum ambitu suo complexus est. Itaque quinque conformantur æquidistantes (quos parallelos Græco verbo dicimus) arcticus, tropicus Cancri, æquator, tropicus Capricorni, antarcticus, quibus similes alios æquidistantes innumerabiles fingere possumus, sed his paucis, cum meridianis contenti esse possumus: hæc enim ad instituti nostri rationem satisfaciunt. Quamobrem ad illos populos obliquos, aversos, adversos redeamus, & singulos adhibita cosmographiæ luce definiamus. Qui sunt igitur obliqui? qui sunt aversi? qui sunt adversi? Obliqui Græco vocabulo á cosmographis periœci vocātur, qui sunt sub eodem æquidistante circulo nō maximo, & secto punctis adversis ejusdem meridiani. Aversi antœci nominantur, qui sunt sub eodem semimeridiano & diversis parallelis æquali spacio distinctis ab æquatore. Adversi sunt antipodes, qui habitant sub ejusdem meridiani partibus terræ diametro divisis, seu quos recta linea per centrum mediumque terræ locum acta dispesceret. Antipodes igitur, si huc atq; illuc finguntur adversis vestigiis oppositi, longam lineam mundū in duas partes æquas secantem conficient. Obliquos, aver-

ſos, adverſos, non modó ſic interruptos Cicero exiſtimat, ut nihil inter ipſos ab aliis ad alios manare poſsit, ſed multó graviore quadam ac difficiliore ratione disjunctos. De Periœcis & Antipodibus eadem quæſtio eſt, ſintne ulli. Ingens, ait Plinius libro 2, cap. 65, hic pugna literatorum, contráque vulgi, circumfundi terræ undique homines, converſisq; inter ſe pedibus ſtare, & cunctis ſimilem eſſe cæli verticem, ac ſimili modo ex quacunque parte mediam calcari: illo quærente, cur non decidant contrá ſiti: tanquam non & ratio præſto ſit, ut nos non decidere mirentur illi. intervenit ſententia, quamvis indocili probabilis turbæ, inæquali globo, ut ſi ſit figura pineæ nucis, nihilominus terram undique incoli. ſed quid hoc refert alio miraculo exoriente? pendere ipſam, ac non cadere nobiſcum: ceu ſpiritus vis mundo præſertim incluſi dubia ſit, aut poſſit cadere, natura repugnante, & quó cadat negante. nam ſicut igniũ ſedes non eſt niſi in ignibus, aquarum niſi in aquis, ſpiritus niſi in ſpiritu: ita terræ, arcentibus cunctis, niſi in ſe locus non eſt. Cum Cicerone & Plinio Cleomedes, Strabo, Mela, Solinus ſentiũt Antipodas eſſe, & hodie patefactis omnibus terræ latebris, apertisque in AEthiopiam ultimam, in Indiam, in novas terras navigationibus, obliquos, averſos, adverſos populos oculis ipſis judicibus aſſecuti ſumus. Auguſtinus in Civitate dei fabulas incredibiles eſſe exiſtimat, quæ de Antipodibus afferuntur. Lactantius idiotas ridiculos facit, qui credant eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora, quám capita. E recentioribus Galeotus in hanc eandem ſententiam adductus eſt. cujus erroris cauſſa eſſe potuit, quód inferius hemiſphærium terræ totum aquis occupatum crederent: ideoque nullos Periœcos, nullos Antipodas eſſe. Verúm premimur, atque violenter urgemur á nautis & mercatoribus, ab hisque in rem præſentem deducimur, ut illis potiús liceat imperitis & ignaris literarum, quám doctiſſimis illis, graviſſimisque authoribus aſſentiamur: neque tantúm credamus eſſe quoſdam obliquos nobis, averſos quoſdam, quoſdam penitus adverſos, ut Cicero ſcribit; ſed Ciceroni ipſi repugnemus, non interruptos ita eos eſſe, quin ab aliis ad alios permulta, tum navigiis, tum vehiculis exportari poſsint: nec ab his tantúm

laudem

laudem & honorem, cúm de nostris rebus gestis loquentur, sed etiam fructus & utilitates plurimarum, maximarumque rerum singulares expectare possimus. Quód autem existimarit Cicero hîc interruptos esse, qui adversi essent, effecit quædam vetus opinio ex fabulosis Atlantici maris æstibus concepta: crediderunt enim veteres, cúm mare Mediterraneum trajecissent, uberiora illa immensi pelagi æquora navigabilia non esse. Et apud Platonem in Timæo, AEgyptius quidam sacerdos affirmat mare illud quondam terram continentem fuisse; in eaq; reges admirabilis potentiæ fuisse: sed ingẽti terræ motu in aquas mariaque esse demersam. Quæ caussa fuerit, ut propter relictum absorptæ terræ limum, mare illud innavigabile redderetur. Hinc falsa Ciceronis opinio. Pergit Africanus, Non satis est terram raris habitari locis, & in his ipsis angustiis multa vastis solitudinibus occupari: reliqua sic habitari, partim Periœcis, partim Antœcis, partim Antipodibus, ut commercia ipsis inter se nulla esse videãtur. *Cernis autem terram eandem, quasi quibusdam redimitam & circundatam cingulis.* Secunda divisio est terræ usitatior, apud Cosmographos tripartita illa superiore, & ex cæli divisione sumitur. In cælo enim quinque regiones & Zonæ notantur: prima intra circulum septentrionalem, quadraginta octo partium meridiani latitudine comprehensa: secunda, ab eo ad tropicum Cancri latitudine quadraginta duarum partium: tertia, intra duos tropicos æquatore intermedio divisa, latitudine quadraginta octo partium: quarta, á tropico Capricorni ad antarcticũ circulum, latitudine quadraginta duarum partium: quinta, intra antarcticum comprehensa, latitudine quadraginta octo partium. Atque in dimensione terræ prorsus eadem quinquepartita distributio traditur, & quinque terræ zonæ, quæ quinq; cælestibus zonis rationis quadam proportione respondeant, effinguntur. Harum quinque zonarum terrestrium duæ extremæ frigoribus obriguisse, media caloribus exarsisse, ita veteribus visæ sunt, ut habitari nõ possent. Hęc Aristotelis est sentẽtia secundo Meteorωn, & multorũ ante Aristotelem philosophorũ, quos omnes erroris sui authores habet Cicero, quos poetæ nostri deinde sunt secuti,

Tibullus, Virgilius, Ovidius. Tibullus libro quarto,

Et quinq; in partes totus disponitur orbis,
Atq; duæ gelido vastantur frigore semper,
Illic & densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incœpto perlabitur unda liquore;
Sed durata riget densam in glaciemq; nivemq;:
Quippe ibi non unquam Titan superingerit ortus.
At media est Phœbi semper subjecta calori,
Seu propior terris æstivum fertur in orbem,
Seu celer hybernas properat decurrere luces:
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terra,
Non illic colit arva Deus, Bacchúsve, Cerésve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est, interq; rigentes,
Nostraq;, & huic adversa solo pars altera nostro,
Quas similes utrinque tenens vicinia cœli,
Temperat alter, & alterius vires negat alter,
Hinc placidus nobis per tempora labitur annus:
Hic & colla jugo didicit summittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confiditur ære.
Quinetiam structis exurgunt oppida muris.

Virgilius 1 Georg.

Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent cœlum zonæ: quarum una corusco
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni:
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter, mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ divûm; & via secta per ambas,
Obliquus quà se signorum verteret ordo.

Ovidius 1 Metamorph.

Utque duæ dextra cœlum, totidemque sinistra
Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura dei, totidemque plagæ tellure premuntur:

Quarum

Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu:
Nix tegit alta duas: totidem inter utramque locavit,
Temperiemque dedit, mista cum frigore flamma.

Poetas consequuti deinde Plinius, Strabo, Mela, atque omnes feré ad Ptolemæi tempora, qui primus fallaci opinioni descriptis in AEthiopia terris lumen veritatis opposuit. de Plinio magis est mirandum, qui lib.2, cap.67, scribit totum feré Oceanum navigatum esse, idque certis exemplis & experimentis cõstare. Nostris veró beatissimis temporibus (quibus Deus optimus maximus singularia, planéque divina ingenia innumerabilia excitavit, quotidieq; summa cum sua laude gloriaque excitat) quid dicam fabulosos Atlantici maris æstus pacata navigatione subigi? quid ardores incendiaq; torridæ flagrantisq; zonæ omni cultus genere plerisque locis temperata cognosci? quid rigentia frigora postremarũ zonarum á multis populis non solúm tolerari, sed etiam habitari ac celebrari? Philosophi, oratores, poëtæ, mundique universi & quidem tot seculorum sapientes ignoravere, quod nautæ, quod mercatores, quod rudes & imperiti homines non argumentando, sed experiendo, docuere. En igitur defendamus authoritates, ingenia suspiciamus, vetustatem admiremur, simplicibus tamen exemplis, & sensuum rudibus experimentis hîc cogimur fateri antiquissima illa sapientiæ miracula tandem aliquando elocata esse ac superata. Ergo zonę mundi quinque proponuntur, duo cinguli maximé distantes, & in toto mundo extremi, cæli verticibus ipsis utraque parte subnixi: noster enim cingulus septentrionali vertici, antarcticus adverso vertici subjectus est. Appellat Cicero Latiné verticem, quem eundem Græco, sed usitato vocabulo, polum dicimus. sic Virgilius 1 Georg.

Hic vertex nobis semper sublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.

Medius veró cingulus ille & maximus intra tropicos quadraginta octo partes patet, ac trecentas sexaginta in longum porrectus est, si totum circulum metiare. Nullus autem est ardor, nullus Solis æstus, quin singularis temperies vel in medio ejus loco, ex æqualitate dierum noctiumque. Illic enim cúm dies æquales sint noctibus, necesse est

diurnos calores nocturnis frigoribus temperari: & terræ illæ cognitæ magnis argumentis suam temperiem demõstrant. celebris & locuples insula est Taprobane, quam tamen satis constat æquatori subnixam esse, quales multæ sunt regiones in Americis terris, hoc seculo repertæ navigationibus Hispanorum. Duo reliqui cinguli hominibus habitandi relinquuntur. Alter australis, ab austris ventis, á meridie flantibus, cógnominatur. In quo qui insistunt & habitant, adversa nobis urgent vestigia: sic in Lucullo Cicero, Nonne etiam dicitis esse é regione nobis á contraria parte terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodas vocatis? Locus autem hic sic intelligẽdus, non ut omnes illius zonæ homines nobis sint antipodes: quidam enim sunt nobis duntaxat aversi, & antœci, sed antipodas illius zonæ in nostra esse zona, nostræ zonæ vicissim antipodas non nisi in illa zona esse. Ad illos veró á nobis, & ab illis ad nos vicissim viæ multiplices apertæ, ut jam monui, ut ex eodem errore id fit, ex quo & illa superiora de obliquis & adversis. Hic autem subjectus & subnixus aquiloni. Par superiori definitió, ex vento nempe sumta, qui flat á Septentrione contrariis ventis. Detractis quatuor zonis mundi docet Africanus quám tenuis & angusta Romani nominis gloria in quinta possit esse. Considera, inquit, quám tenui parte vos, vestrumque imperium contingat. Omnis enim terra, quæ vobis colitur & habitatur, ab ejusdem zonæ hominibus angustata verticibus, lateribus latior. Veteres Græci terræ longitudinem ab uno mundi vertice ad alterum, latitudinem ab ortu ad occasum definiebant, ut Aristoteles 2 de cælo. quam sententiam hic Cicero sequitur, cúm latitudinem ab ortu ad occasum, longitudinem intra polos interpretatur. Zona autem nostra intra vertices & polos est angusta propter interjectum mare mediterraneum: tum quia per se sex gradibus minor sit media: lateribus latior. centum octoginta gradus cultæ & habitatæ hujus zonæ Ptolemæus in geographia monstravit, & multó plus hoc seculo cognitum est. Plinius libro secundo, habitatæ terræ longitudinem maximam ab ortu ad occasum, hoc est ab India ad Herculis columnas, octuagies quinquies centena septuaginta millia passuum. Latitudinem

tudinem autem á Meridiano situ ad Septentrionem dimidio feré minorem colligit quinquagies quater centena sexaginta duo millia. Ergo lateribus latior est, verticibus angustior: *parva quadam insula est.* Id veró de nostra zona vix, ac ne vix quidem probari potest: de universa terra veriùs id affirmari solet. Strabo libro primo de cælo, Aristoteles de mundo, quicunque Aristoteles is fuit (neque enim hic Platonis auditor esse potuit, qui terras explicet nondum illis cognitas temporibus) sed tamen Aristoteles cúm duo genera statuit insularum, majores quasdā, quasdam minores, totam terram á nobis cognitam unam quandam é majoribus insulam facit. *Circumfusa mari illo, quod Atlanticum, quod magnum, quod oceanum appellatis in terris.* Atlas Mauritaniæ in Africa & mons, & rex fuit. Hic propter Astronomiam á se inventam, ille propter altitudinem stellifer vocatur. Virgilius sexto Æneidos,

—Jacet extra sydera tellus,
Extra anni Solisq; vias, ubi cælifer Atlas
Axem humeris torquet stellis ardentibus aptum.

Ab eo igitur monte, quem alluit, mare dicitur Atlanticum: magnum veró, cúm magnæ quædam in terris aquæ maria etiam nominentur, ut mediterraneum, rubrum, Persicum, Gangeticum, Hyrcanum: oceanum mare, á fabulosa velocitate & rapido æstu nominatum est: ab α privatione, & κίω, quod χίζω significat, id est diffindo, Suidas deducit, quasi minimé diffissum, sed perpetuum sit. Solinus & Servius ab ὠκὺς, id est velox, propter fluctus, quibus asperum se & innavigabile redderet. Hinc fabula de columnis Herculis, Calpe & Abyla quas tantus impetus oceani perfractas quasi terræ vinculis effecisset. Plato (ut antea diximus) falsó creditæ asperitatis & velocitatis in oceano caussam aliam in Timæo reddit, de Atlantica insula, quæ ingenti quodam motu terræ in aquas demersa pelagus illud innavigabile fecerit. Oceani veró tumescentis ac residentis æstus jam ante Plinium á Pythea Massiliēsi cogniti fuerāt, & navigatio facilis contra fabulosa illa somnia inventa est. *Qui tamē tanto nomine quàm parvus sit, vides:* si quis veró nostrûm é cælo terrā oceano circumfusam cerneret,

formicam stilla tenui guttulaque immersam se videre existimaret. Ut cúm solvimus ex aliquo nobilis & amplæ civitatis portu, primó civitatem ipsam, á qua discedimus, ex altiore loco totam magnitudinem, & latitudinem, & longitudinem situs spectamus: cúm veró in mare longiús invecti sumus, oppiduli speciem tantúm intuemur: tum domus veluti exiguam quandam formam paulatim hebescente oculorum acie cernimus, tandem tumulum quendam in litore duntaxat aspicimus: postremó magna illa civitas omnem oculorum obtutum effugiet: Sic cúm é terra (fingamus enim animis, quoniam cogitationes liberæ sunt) sursum animus evolabit in cælum, cúm aëris supremam regionem attigerit, oceanus magna quædam palus diffusá spectanti videbitur: cúm se ad orbem Lunæ extulerit, lacus quidam perangustus: cúm veró immensa illa regionum spacia per orbem Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis, Saturni, transcenderit, sedemque illam beatorum attigerit, quid oceanum contemplanti, cujus tandem aquulæ fossulam aspecturum arbitramur? Certé non solúm, sicut ait Africanus, parvus oceanus, sed vix exiguus rivulus esse videbitur: cúm enim tota terra cælesti globo comparata, puncti duntaxat in tanta mole locum teneat: quid quæso cúm puncti nulla distractio, nullaq; diremtio cogitari possit, totamque id quod terram mariaque dicimus, individuum quoddam in cæli complexu ambituq; esse statuamus, quónam pacto é summo globi, supremoque loco spectanti oceanus, id est pars hujusce puncti, distingui conspicive poterit? Verendum equidem potiús esse arbitror, ne ex illo sublimi loco potiús amplificare, quę tenuissima sunt, quám amplissima quæ sunt, extenuare Africanus videatur. Sed ad reliqua pergamus.

Ex his ipsis cultis notisq; terris, num aut tuum, aut cujusquam nostrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnare? quis in reliquis orientis aut obeuntis Solis ultimis, aut Aquilonis, Austrive partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis

cernis profectò quantis in angustiis vestra se gloria dilatari velit.

TAURUS mons, quem palàm est, ait Solinus, terras continuare voluisse, ni profundis æquoribus interrumperetur: ubi est altissimus, Caucasus vocatur. pro gentiū enim varietate plurifariam, inquit idem, nominatur. Apud Indos Imaus, mox Paropamissus: Choathras apud Parthos, pòst Niphates. ubi dehiscit hiulcis jugis, facit portas Armenias, Caspias, Cilicias. Est autem Caucasus asper, & inhospitalis. Virg. lib. 4,

—Sed durus genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Caucasum igitur nominat Africanus, quia præ cæteris emineat montibus. Tantæ siquidem altitudinis ab Aristotele in Meteoris esse dicitur, ut ejus vertex adhuc tertia parte noctis Sole illustretur. Ad Caucasum autem imperium Romanum nondum pervenerat: primus enim é Romanis Pompejus imperator Mithridate superato, penetravit in Colchidem, Albaniam & Hyrcaniam, quæ regiones á Sarmatia montibus illis Caucaseis dividuntur: & cúm Africanus ista loqui fingitur, tum limes imperii Romani Taurus mons in Asia fuit, victo Antiocho rege á Scipione Asiatico: nam inter leges & conditiones, quas rex ille victus á Romanis accepit, una est illa apud Livium octavo libro quartæ decadis: Excedito urbibus, agris, vicis, castellis, cis Taurum montem usque ad Tanaim amnem, & á valle Tauri usque ad juga, qua in Lycaoniam vergit. Nondum igitur Romani Caucasum transcendere potuerant, vel Gangem tranare. Ganges, Indiæ fluvius, ubi minimus est, octo millia passuum latitudine: ubi modicus, stadiorum centum: altitudine nusquam minore passuum viginti, ut inquit Plinius. Ad quem fluvium tantum abest, ut Romanum imperium pervenerit, ut Euphratem (qui á Gange distat quinquagies centena millia passuum & viginti unum, si Plinio credimus) postea multis temporibus vix attigerit. Caucasi Gangisq; incolæ nomen tuum nunquam audierunt: quis é remotioribus Indis, quis ad obeuntem & occidentem Solem é Gallis & Britannis, ad aquilonem é Germanis, ad au-

ctrum é Mauris & Æthiopibus? Quamobrem concludit Africanus ex antecedentibus subjectæ terræ divisionibus, cúm terra raris & angustis locis habitetur, habitantiumq; ab aliis ad alios permanare nil possit, cúm de quinque partibus terræ tres desertæ & incultæ sint, quarta nihil ad nostrum genus attineat, é reliqua quamcunq; in mundi partem, orientem, occidentem, septentrionem, meridiem te converteris, minimam portionem esse, ad quam nominis Romani gloria dilatari possit. Plinii caput est secundo libro sexagesimum octavum ad istam Africani sententiam iisdem argumentis valde eleganter conscriptum: totum igitur legendum nobis, vel potiús cum iisdem Africani verbis meditandum ediscendumque existimo. Jam primúm, ait, in dimidio computari videtur, tanquam nulla portio ipsi decidatur oceano, qui toto circúdatus medio, & omnes cæteras fundens recipiensq; aquas, & quicquid exit in nubes, ac sydera ipsa tot & tantæ magnitudinis pascens, quo tandem amplitudinis spacio credetur habitare? Improba & infinita debet esse tam vastæ molis possessio. adde quód ex relicto plus abstulit cælum. Nam cúm sint ejus quinque partes, (quas vocant zonas) infesto rigore & æterno gelu premitur omne, quicquid est subjectú duabus extremis, utrinque circa vertices, hunc qui Septentrio vocatur; eumque qui adversus illi Austrinus appellatur. Perpetua caligo utrobique & adeno molliorum syderum aspectu, maligna ac pruina tantúm albicans lux. Media veró terrarum, qua Solis orbita est, exusta flammis & cremata, cominus vapore torretur. Circa duæ tantúm, inter exustam & rigentes, temperantur, eæque ipsæ inter se non perviæ propter incendium syderis. ita terræ tres partes abstulit cælú: Oceani rapina in incerto est. Sed & relicta nobis una portio haud scio an etiam in majore damno sit. Idem siquidem Oceanus infusus in multos (ut dicemus) sinus, adeó vicino accessu interna maria allatrat, ut centum quindecim millibus passuum Arabicus sinus distet ab Ægyptio mari: Caspius veró 375 millibus á Pontico. idem interfusus intrat per tot maria, quibus Africam, Europam, Asiamque dispescit. Quantum terrarum occupet, computetur etiam nunc mensura tot fluminum, tantarum paludum. Addantur

tur & lacus, & stagna: jam elata in cælum, & ardua aspectu quoque juga: jam sylvæ vallesq; prærupta, & solitudines, & mille caussis deserta detrahantur. Hæ tot portiones terræ, imó veró, ut plures tradidere, mundi punctus (neque enim est aliud terra in universo) hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes: hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella etiam civilia, mutuisque cædibus laxiorem facimus terram. Et, ut publicos gentium furores trãseam, hæc in qua conterminos pellimus, furtoque vicini cespitem nostro solo affodimus, ut qui latissimé rura metatus fuerit, ultraque fines exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat? vel cúm ad mensuram avaritiæ suæ propagaverit, quam tandem portionem ejus defunctus obtineat? hæc Plinius.

Ipsi autem qui de″ vobis loquuntur, quám diu loquentur? Quinetiam si cupiat proles illa futurorum hominum, deinceps laudes uniuscujusque nostrûm á patribus acceptas, posteris prodere: tamen propter eluviones exustionesq; terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modó non æternam, sed ne diuturnã quidem gloriam assequi possumus. Quid autem interest ab iis qui postea nascentur, sermonem fore de te, cúm ab iis nullus fuerit, qui ante nati sint? qui nec pauciores, & certé meliores fuerunt viri, cúm præsertim apud eos ipsos, á quibus nomen″ nostrum potest audiri, nemo unius anni memoriam consequi possit. homines enim″ populariter annum tantũmodo Solis, id est, unius astri reditu metiũtur:″ cúm autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandéq; totius cæli descriptionẽ longis inter vallis retulerint: tũ ille veré vertes annus appellari potest, in quo vix dicere audeo quám multa secula hominum teneantur. nanq; ut olim deficere Sol hominib. extinguiq; visus

al. nobis

al. vestrum

L. jocularíter

L. reapse autem cúm ad idem,

est, cùm Romuli animus hac ipsa in templa penetravit, ita quandocunq; eadem parte Sol eodemq; tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium stellisq; revocatis expletum annum habeto." Hujus quidem anni nondum vigesimam partem scito esse conversam.

L. Cujus

ALTERUM est argumentum extenuandæ fœlicitatis humanæ ex adjunctis temporis, quód omnis nostra gloria brevissima sit: homines enim non solúm brevi, sed etiam incerta conditione vivimus: natura siquidem dedit hominibus usuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præstituta die, ait prima Tuscul. Cicero. Quæ gloriæ brevitas magnis & certis argumentis cõfirmatur, Non modó singulorum hominum brevis est vita, sed etiam universorum quædam est mors, & internecio necessaria: nec enim literæ, quæ posteritatis caussa repertę sunt, ut subsidio oblivioni esse possint, (ut pro Sylla Cicero) neque historia, quamvis testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis, ut idem secundo oratorio inquit; vindicare hominum laudes ab interitu possunt, cúm ipsæ uná cum authoribus & literæ & historiæ prorsus intereant. Qua de re diserta est apud Platonis Timæum senis sacerdotis AEgyptii narratio, Græcos ob vetustatis ignorationem pueros appellantis: O Solon Solon, Græci pueri semper estis, nec quisquam é Græcia senex. Cur istud diceret percontante Solone, respondisse sacerdotem: Quia juvenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. Quod ideo vobis contingit, quia multa & varia hominum exitia fuerunt, eruntque: Maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquæ inundationibus pervenire necesse est; minora veró aliis quibuslibet calamitatibus fieri. Nam quod apud vos fertur, Phaëthontem quondam Solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione servata exussisse terrena, ipsumque flammis cælestibus conflagrasse, quamvis fabulosum videatur, verum quodammodo esse putandum est. Fit enim longo temporis intervallo cælestis circuitus per-

permutatio quædam, quam inflammationis vastitas necessarió sequitur. Tunc ii qui edita & arida incolunt loca, magis pereunt, quám mari fluviisque vicini. Nobis porró Nilus cúm in plerisq; salutaris est, tum hujusmodi á nobis arcet exitium. Quando veró dii aquarum colluvione terræ sordes diluunt, pastores ovium, atq; bubulci, qui juga montium habitãt, periculum illud evadunt: vestræ autem civitates in planitie sitæ, impetu fluminum ad maria rapiuntur. Sed in hac nostra regione, neque tunc, neque aliás unquam aqua in agros superné descendit: contrá veró sursum é terræ visceribus scaturit. Quam ob rem antiquissimarum rerum apud nos monumenta servantur. Proinde ubicunq; nec imbrium tempestas nimia, nec incendium ingens contingit, licet aliás pauciores, aliás plures, semper tamen homines sunt. Quæcunq; veró á nostris, sive á vestris, sive aliis nationibus gesta sunt memoratu digna, modó ad aures nostrorum pervenerint, nostris in templis descripta servantur: apud vos & alias gentes res gestæ nuper literis monumentisq; traduntur, sed certis temporum curriculis illuvies immissa cælitus omnia populatur: ideo qui succedunt, & literis & musis orbati sunt. Quo fit, ut quasi juvenes iterum sitis, & rudes, præteritarum rerum omnium prorsus ignari. Hęc Ficinus ita convertit. Stoici veró caussas conflagrationis afferunt, quæ sunt apud Ciceronem secundo de Natura Deorum. Sunt autem stellę natura flammeæ: quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui á Sole ex agris tepefactis & ex aquis excitantur; quibus altæ renovatęq; stellæ atq; omnis æther refundunt eodem, & rursum trahunt in idem, nihil ut feré intereat, aut admodum paulúm, quod astrorum ignis & ætheris flamma consumat. Ex quo eventurum nostri putant, id de quo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cúm humore consumto neq; terra ali posset, neq; remearet aër: cujus ortus, aqua omni exhausta, esse non posset. Ita relinqui nihil præter ignem, á quo rursum animante, ac de eo renovatio mundi fieret, atq; idem ornatus oriretur. Astrologi caussas exustionũ atq; eluvionum istarum ad astra, sed alio modo referunt, quód certis conjunctionibus modó terras exuri, modó inundari pu-

rant. Hac eadem de re scriptum idem feré reliquit Aristoteles, cúm omnium genitarum rerum certas velut ætates constituit, ut nascantur, alantur, adolescant, consenescant, tandemq; certis temporum intervallis intereant. Maria in terras, terræq; vicissim in maria commutantur:

Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus
Esse fretum, vidi factas ex æquore terras,

ait Ovidius decimoquinto Metamorph. Hinc aridi alvei, quæ flumina fuerant: hinc perennes fluvii, quæ cultæ fuerant aratæq; terræ: hinc quemadmodum quadripartita anni tempora naturali vicissitudine distincta cernimus, sic universi mundi certas ac partitas leges existimare debemus: quarum hyemes, inundationes aquarum & colluviones efficiant: æstates veró contrá suscitent exustiones & incendia terrarum: quam legem naturamque mundi primus ille generis humani propagator Adamus (ut Josephus in antiquitate Judaica testis est) perspexerat, ac prædixerat duplicem labem terrarum, vastitatemq; venturã, alteram inundationibus aquarum, alteram ignium flammarumq; ardoribus. Quod idem sacris nostris literis testatum consignatumque tenemus. De inundatione Genesis septimo capite testimonium est amplissimum, quemadmodum perennes quadraginta dierum pluviæ tanta altitudine excreverint, ut omnes sub cælo mõtes quindecim cubitis superarentur. De futura conflagratione mundi, horribilis est illa vox Petri Apostoli: Veniet autem dies Domini sicut fur in nocte, qua cæli procellæ in morem transibunt; elementa veró æstuantia solventur; terraque & quæ in ea sunt opera exurentur. Cúm igitur hæc omnia solvantur, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus ac pietatibus, expectantes & accelerantes adventum diei Dei, per quem cæli incensi solventur, & elementa æstuantia liquescent? Sed cælos novos, ac terram novam juxta promissum illius expectamus, in quibus justitia inhabitat. Quamobrem cúm non hominum tantúm singulorum, sed universi hominum generis, sed cæli terrarumque certos interitus occasusque ratis temporum spaciis definitos agnoscamus: in hac vita non modó æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam consequi possumus. Quid enim est omnino hoc

ipsum

ipsum diu (ait Cicero pro Marcello) in quo est aliquid extremum? quod cúm venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est habenda, quia postea nulla futura sit. Ergo, inquit Africanus, cúm plures & meliores viri (qui mortui sunt & extincti) te non laudant, quid laboras, ut pauciores ac nequiores de te loquantur? Lætus sum laudari me, inquit Hector, opinor apud Nævium, abs te pater laudato viro. Ea est enim profectó jucunda laus, quæ ab his proficiscitur, qui ipsi in laude vixerint, ut Cicero ad Catonem, cúm præsertim apud eos ipsos, á quibus nomen nostrum potest audiri, nemo unius anni memoriam consequi possit. Exigua certé laudis expectatio, quæ spem unius anni consequi non possit: homines enim populariter annum tantummodo Solis, id est, unius astri reditu metiuntur. Annus autem, ut Grammatici docent, dictus est quasi annulus, quód in se redeat: unde est illud Maronis 2 Georg.

Atq; in se sua per vestigia volvitur annus.

Ergo quoniam omnium stellarum conversio certa est, suus etiam stellarum propriusque erit annus: & ut Solaris, sic Mercurialis, Venerius, Martius, Dialis, Saturnius, stelliferi orbis annus dici poterit. Sed ad populi (qui hoc modo jam olim loqui didicit) cõsuetudinem annum tantummodo ex Solis conversione dicimus: sicuti & dies, & noctes, & horas, & momenta. Deus enim, ut inquit in Timæo Plato, Solem quasi lumen accendit, ut esset mensura quædam temporum. De solari autem anno magna diuturnaque contentio fuit, de qua multa scripta sunt á Censorino de die natali. Cæsar ab Ægyptiis edoctus, corruptam anni descriptionem ad trecentos sexaginta quinque dies & sex horas revocavit. Posteris tamen minimé probatus est: deprehenditur enim annus esse minor decem minutis, & quadraginta quatuor secundis, cúm calculus ratioque solaris conversionis trecentos sexaginta quinque dies reperiat, horas quinque, minuta quadraginta novem, secunda sexdecim. Sed excusari etiam Cæsarem á nonnullis intelligo, qui persuadere conantur tempus aliquod fuisse, cúm Cæsaris definitio vera fuerit, & rursus idem aliquando futurum. Cúm autem ad idem, unde profecta sint, cuncta astra redierint, eandemq; totius cęli descriptionem

longis intervallis retulerint, tum ille veré vertens & abſolutus annus appellari poteſt: annus ergo vertens pro abſoluto completoq; dicitur, quomodo etiam Plautus menſem vertentem vocat,

—Tu hanc ſi emeris,
Nunquam hercle hunc menſem vertentem credo ſervibit tibi.

Quid ergo cúm ſingulares anni vertentes populariter nominentur aſtrorum ſingulorum ad ſua principia reditus, qualem univerſi cæli atq; omnium ſyderum vertentem decet æſtimari? Nunquid univerſi cæli ſingulorumq; ſyderum abſoluta converſio? locus autem eſt in Timæo, ubi cúm de Luna & Sole præceptum eſt, tum ait Plato, Cæterorum autem ſyderum ambitus ignorantes homines præter admodum paucos, neq; nomen appellant, neq; inter ſe numero commetiuntur. Itaq; neſciunt hos ſyderum errores idipſum eſſe, quod rité dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili præditos: attamen illud perſpici & intelligi poteſt, abſoluto perfectoq; numero temporis, abſolutum perfectumq; annum tunc compleri; denique, cúm ſe octo ambitus confectis ſuis curſibus ad idem caput retulerunt, cúmq; eos permenſus eſt ſemper ſui ſimilis orbis. In quo Platonis loco non ſolúm eadem quæ Ciceronis definitio, ſed pro vertente vides perfectum & abſolutum annum appellari: ſed in vertentis vocabulo quædam velut alluſio nominis ad anni propriam ſignificationem incluſa eſt, quaſi annus ut annulus vertentẽ in ſe ſua veſtigia ambitum conficiat. De hoc anno magno idem ſecundo de natura Deorũ Cicero, cúm de ſtellis errantibus dixiſſet, quarum ex diſparibus motionibus magnum annum Mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, cúm Solis & Lunę & quinq; errantium ad eandem inter ſe comparationem confectis omnium ſpaciis eſt facta converſio, quæ quám longa ſit, magna quæſtio eſt: eſſe veró certam & definitam neceſſe eſt. quod Aratus duobus verſibus complexus eſt, quos Cicero puer converterat:

Hæc faciunt magnos longinquis temporis annos,
Cúm redeunt ad idem cæli ſub tegmine ſignum.

In quo vix dicere audet Africanus quám multa ſecula homi-

hominum teneantur: variæ enim sunt hominũ opiniones, quas Censorinus recensuit: alii duobus solaribus annis definiunt: hinc trieteris magnus ille annus, quód tertio quoque anno rediret: alii quatuor: hinc penteteris, quód quinto: quod idem tempus & olympias Græcé, & Latiné lustrum dicebatur. Hinc ratione simili octoeteris, enneateris, dodecateris, decaenneateris. Magnus annus Philolai Pythagorei ex annis quinquaginta nové, item Callippi ex annis septuaginta sex, & Democriti éx annis octoginta duobus, & Hipparchi ex annis trecentis quatuor, & Ægyptiorum ex annis mille trecentis sexaginta uno. Mundanum annum (quem Plato, quem Aristoteles instituere) Aristarchus æstimat annorũ esse bis millenorum quadringentorum octoginta quatuor, Aretes quinquies millenorum quingentorum quinquaginta duorum, Herodotus & Linus decies millenorum & octingentorum, Dion decies & ter millenorum nongentorum octoginta quatuor, Orpheus centum viginti, Cassandrus ter millies millenorum supra septingenties millenorum: alii veró infinitum esse, nec in se unquam reverti existimaverunt: quod Plato significare visus est, cúm dixit tempus illud esse multitudine infinita: idemq; sequutus Cicero videtur, cúm ait magnam quæstionem esse, quám longa sit illa syderum omniũ conversio. Astrologi quidam putant illum annum motum esse fixarum stellarum, quem Ptolemęus affirmavit esse annorum sexies & tricies millenorum, qui homines parum considerate Ptolemæi sententia abutuntur; nec enim sequitur ut, si motus fixarum stellarum fuerit tricies & ter millenorum annorum, propterea eo motu confecto omnium stellarum etiam errantium eodem tempore conversiones ad idem initium referantur. Josephus in antiquitate Judaica magnum annum sexcentis annis solaribus definivit. Extat hac de re dictum domus Eliæ prophetæ his verbis, Sex annorum millia durabit mundus, postea collabetur. Verúm cabalisticum illud commentum testimonio Christi refellitur: De die enim illa & hora, inquit apud Matthęum, nullus neq; homo, ɳeq; cælestis angelus, sed solus pater novit. Quamobrem videtur Africanus in re tam dubia meritó dubitare, sapienterq; ab incertissima quæstione assensio-

nem cohibuisse. Definitione veró magni anni posita exemplum adhibetur ad illustrandum quod dictum est, ut si definirem annum esse trecentorum sexaginta quinque dierum & feré sex horarum, diceremque ut si á Calendis Januarii incipiēs per duodecim menses recenseas eum numerum dierum, annus tibi perfectus & vertens erit. Sic cúm definitus esset ab Africano magnus annus, cúm ad idem unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemq; totius cœli descriptionem longis intervallis retulerint, tum exemplum ponitur, ut initium illius anni á Romuli apotheosi & consecratione sumatur, cúm Sol deficere hominibus, exstinguique visus est. Quo certé in exemplo magna historias scribentium controversia est: duas enim apud Livium & Plutarchum opiniones lego, cúm Romulus triginta septem regnasset annos, & ad recensendum exercitum (ut Livius inquit) concionem in campo ad Capræ paludem haberet, subitó coorta tempestas cum magno fragore tonitribusq; tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum ejus concioni abstulerit, nec deinde in terris Romulus fuit: Romana pubes, sedato tandem pavore, postquā ex tam turbido die serena & tranquilla lux rediit, ubi vacuam sedem regiam vidit, etsi satis credebat patribus, qui proximi steterant, sublimem raptum procella: tamen velut orbitatis metu icta mœstum aliquandiu silentium obtinuit, deinde á paucis initio facto Deum Deo natum regem parentemque urbis Romanæ salvere universi Romulum jubent, pacem precibus exposcunt, uti volens propitius suam semper sospitet progeniem. Hęc de Romuli consecratione prima opinio est, ubi tamē Livius non affirmat defecisse Solem, nec Plutarchus id ait, tametsi scribit maximis obortis procellis ac tempestatibus Solem in tenebras & caliginem conditum esse. Idemque Ovidius 2 Fastorum hac de re cúm loquitur:

Sol fugit, & removent subeuntia nubila cælum,
Et gravis effusis decidit imber aquis.

Atq; hoc de apotheosi Romuli, de qua dixit Ennius, famæ assentiens, ait Cicero prima Tuscul.

Romulus in cælo cum diis agit ævum.

De secunda opinione quæ probabilior est, scribit idem Livius

Livius his verbis: Fuiſſe credo tum quoque aliquos, qui diſcerptum regem patrum manibus taciti arguerent. Quod idem Florus & Plutarchus tradunt, & Valerius Maximus affirmat: Urbis noſtræ parentem, inquit, Senatus in ampliſsimo dignitatis gradu ab eo collocatus, in curia laceravit, nec duxit nefas ei vitam adimere, qui æternum Romano imperio ſpiritum ingeneraverat: quæ omnia fabularum ſimilia á Romanis ipſis habita ſunt. Hinc illud Ciceronis primo libro de Legibus de re fabuloſa proverbium, Quám, ut ajunt, de Remo & Romulo. Sed datur, inquit Livius primo libro, hæc venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis, primordia urbium auguſtiora faciat. Hujus quidem anni ſcito nondum viceſimam partem eſſe cõverſam. Macrobius hoc loco motus, in ſuſpicionem quandam venit annum magnum quindecim millibus annorum á Cicerone definitum eſſe: & phyſicos quoſdam (non enim hæc Platonis aut Ariſtotelis de anno magno ſententia eſt) opinionis hujus authores habet. Si autem quindecim millia per viginti dividas, pars erit viceſima ſeptingentorum quinquaginta, quot anni á Romuli morte ad ſomnii hujus tempus nondum interceſſerant: anni enim ſunt duntaxat ad Martium & Manlium conſules (quibus conſulibus hoc Somnium habitum fingitur) á morte Romuli quingenti ſexaginta ſeptem. Verúm ſubtilis & arguta magis, quám vera videtur Macrobii hæc interpretatio; neque hoc Cicero voluit: legerat enim Platonem in Timæo affirmantem tempus illud multitudine infinita præditum eſſe, nec ab Ariſtotele didicerat naturales illas terrarum aquarumque mutationes tempore hoc definitas eſſe: & ipſe ſecundo de Natura deorum, magnam quidem, ſed incertam quæſtionem hanc eſſe confirmavit. Non igitur quindecim annorum millibus magnum annum definire Cicero voluit, ſed uſitato tropo uſus eſt, cúm numerũ certum pro incerto poſuit, & viceſimam partem quaſi minimam dixit: ſicut pauló póſt ait de hominis gloria, quæ pertinere vix ad unius anni partem exiguam poteſt, ut totum illud Romanorum nomen á Romulo ad hoc tempus vix partem anni magni exiguam compleat.

L. desperaveris,

Quocirca si reditum in hunc locum" speraveris, in quo omnia sunt magnis & præstantibus viris; quanti tandem est ista hominum gloria, quæ pertinere vix ad unius anni partem exiguã potest?

COMPLEXIO est argumenti proximi, cúm tam brevis humana gloria, si ad illam cælestem divinamq; gloriam comparetur, quanti tandem æstimanda? Hîc fames, sitis, frigora, calores, curæ, ægritudines, morbi, vulnera, cruciatus, bella, dissensiones, odia, simultates, infinitaq; malorum genera viventibus proposita sunt: illic contrá tranquillissima pax animi, omniumq; rerum affluenti copia, & abundantibus sine exceptione ulla bonis omnibus suavissima vita degitur: omnia siquidem parata sunt magnis & præstantibus viris, qui justitiã pietatemq; coluerint, qui Rempubl. conservaverint, adjuverint, auxerint.

fort. alta

Igitur" alté spectare si voles, atq; hanc sedem & æternam domum contueri, neq; sermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum, suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur, ipsi videant, sed loquentur tamen.

UNIVERSAE cohortationis cõplexio disputatis antecedentibus concluditur. Igitur si animum ad cælestem vitam gloriamq; illam æternam retuleris, si alta illa spectaveris, nec sermones vulgi, nec popularem auram sectaberis: ea enim imitatrix veræ gloriæ temeraria & inconsiderata (ut tertia Tusc. Cicero) & plerunq. peccatorum vitiorumque laudatrix fama popularis simulatione honestatis, formam ejus pulchritudinemq; corrumpit: qua cæcitate homines cúm quædam etiam præclaré cuperent, eaq; nescirent, nec ubi, nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt. Quare cúm tantum mali sit in vanitate gloriæ, ne dederis te vulgi sermonibus, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum. Epicurei in corpore summum bonum statuunt, cúm ejus voluptates & illecebras persequuntur. Stoici in animo, cúm ejus virtutem

tutem beatæ vitæ effectricem faciunt. Peripatetici in corporis & animi cumulatis & affluentibus bonis idem illud extremum summumq; bonum collocant. contra quos omnes oppositi Platonici magnificentius quiddam sentiũt, neq; in corpore collocandum esse extremum illud humanæ vitę bonum, quia communis sit ea pars nostri cum belluis: neq; in animo, cúm in eo nulla virtus, nullaque perfectio insit: aut siquid in eo laudabile videatur, id totum ex radiis quibusdam á divinæ virtutis splendore profectis in eo relucere existimant. Itaq; quia illinc initia humanæ perfectionis oriantur, eodem summa extremaque referri putant oportere. Africanus igitur, Platonis videlicet æmulator sectatorq;, monet ne in præmiis humanis, sed divinis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad verum decus. nam, ut ait Horatius,

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Ergo virtus ipsa suo nos amore capiat & incendat, nec tamen seipsa contenta sit, sed sublimia illa spectet. Quanquam enim sapientibus conscientia ipsa (ut initio sermonis hujus Æmilianus ait) factorum egregiorum amplissimum virtutis est præmium: tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhærentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora in cęlo & vividiora præmiorũ genera desiderat. Quid de te alii loquãtur, ipsi videant: tametsi enim arrogãtis est negligere, quid de se quisq; sentiat: fortis tamen animi est, rumusculis vulgi non commoveri, præclaréque apud Ennium Fabius ille cunctator laudatur:

Unus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo póstq; magisq; viri nunc gloria claret.

Ergo quid de te alii loquantur, ipsi videant, sed loquentur tamen: invidia enim (quam propter leges Agrarias oppugnatas subiisti) restincta, tua virtus magis elucebit, & veriús sine odio, sine calumnia laudabitur.

Sermo autem omnis ille & angustiis cingitur iis regionum quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & oblivione posteritatis extinguitur.

DUO ista fuerant argumenta extenuādę glorię humanæ, quòd in angustissima terrarum parte, & quidem brevissimo temporis spacio, vix audiri nomen hominum celebrariq; posset.

L. limen *Quæ cùm dixisset, Ego verò, inquam, ô Africane, si quidem bene meritis de patria, quasi limes ad cæli aditum patet, quanquam à pueritia vestigiis ingressus & patris & tuis, decori vestro non defui, nunc tamen tanto præmio proposito enitar multò vigilantiùs.*

ÆMILIANI responsio ad confirmandam conclusionem proximam adhibetur, ubi justi veriq; principis decora est significatio, quòd se majorum virtutes adhuc æmulatum ait, & tamen tantis muneribus in cælo propositis, profitetur se diligentiorem in conservanda patria, vigilantioremq; futurum. qua sermonis brevitate conclusa quodammodo est totius adhortationis summa. propositio enim est, Bene meritis de patria quasi limes & via ad cęli aditum patet. Assumtio deinde, Æmilianus paternis & avitis vestigiis ingressus Rempubl. (sicuti fortem principem decuit) adjuvit, & in posterum adjuvabit.

Et ille, Tu verò enitere, & sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc. nec enim is es quem forma ista declarat. sed mens cujusq; is est quisq; non ea figura quæ digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse: siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prævidet, qui tam regit, & moderatur, & movet id corpus, cui præpositus est, quàm hunc mundum princeps ille Deus: & ut ipsum mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.

REVERTITUR Africanus ad intermissam quæstionē de animæ immortalitate, plusque quàm quęstio illa recipit, efficere conatur; hominem quippe & immortalem, & deum esse. sic, inquit, habeto, te non esse mortalem, sed

corpus

corpus hoc:cúm enim corpus humanum ex discrepantibus inter se naturis compositum & coagmentatum sit, calore igneo, aëreo humore, frigore aqueo, terrena siccitate: quorum temperatio, moderatioq; quandocunque dissolvetur, corpus ipsum dissolvi dissipariq; necesse est: quo ex genere hominis natura minimé constat: neque enim homo est ea moles corporis, materiesq;, quám forma coloribus, & lineamentis distincta declarat, sed mens cujusque is est quisq;. mens hominis vitiis corrupta depravataq; sit, hominem perversum vitiosumq; dicimus: sit eadem fortitudine, patientia, æquitate, prudentia, cæterisq; virtutibus instructa & ornata, bonum & honestum virum judicamus. Neq; veró (ut Socrates cum Alcibiade disputat) idem est instrumentum, atq; id ipsum quod instrumẽto utitur: manibus autem, pedibus, reliquisque corporis partibus tanquam instrumentis homo utitur: aliud itaque homo, aliud corpus est hominis, rectéq; hominem mentem esse confitemur: ac cúm Apollinis oraculum monet γνῶθι σαυτὸν, nõ id præcipit, ut membra nostra aut staturam figurámve, sed animũ nostrũ noscamus; meritóq; ridẽdi, qui corpore hominem definitum existimarũt. Trahit interfectum Hectorem ad currum alligatum (ut in fabulis est) Achilles: quem Hectorem? aut quandiu ille erit Hector? meliús Accius (inquit Cicero) & aliquando sapiens Achilles: imó enimvero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli. Non igitur Hectora traxisti, sed corpus quod fuerat Hectoris. Quid levitas illa Demosthenis? qui illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculæ, insusurrantisque alteri, Hic est ille Demosthenes: non enim digito demonstrabatur Demosthenes, sed forma corpusque Demosthenis. veréq; totius illius levitatis studiolum contemnitur atque irridetur á Persio:

At pulchrum est digito monstrari, & dicier, Hic est.

Homo siquidem mens est, non ea figura quæ digito demonstrari potest. Deum te igitur esse scito. Undenam (quæret aliquis) ista consecutio? nempe, inquam, ex illis antecedentibus immortalitatis argumentis, homo est immortalis: neque enim corpus, sed mens: deus est igitur. Homines enim ac dii animalia ratione consilioque

prædita philosophis visa sunt, sed immortalitatis excellentia homines á diis superari. Ne sint igitur mortales homines, sed immortales sunto, discrimen inter homines deosque reliquum nullum erit. Hæc Euripidis poëtæ sententia est, de quo Cicero Tusc.1. Ergo animus, ut ego dico, divinus, aut, ut Euripides audet dicere, deus est. Non multum ab Euripide Ovidius discrepat 6 Fastorum,

Est deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Verúm aliud est longé hominem præpotentis æterniq; dei similitudinem & imaginem quandam esse, animumq; divinum credi, quám deum esse: tametsi hanc etiam sententiam video Aristoteli á suis quibusdam interpretibus attributam esse, quibus Themistius Peripateticus irascitur: qualia opinionum monstra fortasse eorum sunt, qui statuunt unicum esse dei spiritum, qui in omni natura vigeat, animas hominum nihil esse, nihil dæmonas, nil cælestes angelorum mentes, sed divinam illam vim simplicem solitariamq; ad omnes cæli terrarumq; oras pertingētem, cujusmodi deus esset ille Virgilianus lib.6 Æneid.

Principio cælum ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Ut in corpore nostro unicam esse confitemur animam, cujus vis tamen ad omnes artus, omniaq; membra pertineat, quorum si quod vulneratum, sauciatum, amputatum fuerit, non mutari tamen animam, nec interire dicimus, sed in se recipi. Sed ne tam absurdum quidem tamq; hebes commentum existimo Ciceroni unquam in mentem venisse: sed ut cognatione conjunctos cum diis immortalibus homines ostenderet, eaq; persuasione vehementiús ad amorem justitiæ inflammaret atque accenderet, animos non tantúm divinos, sed deos quoq; affirmasse: quod á Romana tamen religione nihil abhorreret, cúm veteres Romani Romulum, Herculem, Castorem in numerum deorum retulerunt, quód animi essent optimi atq; æterni. Sed enim novas nostræ divinitatis caussas & rationes audiamus: non enim illa discriminis usitati inter homines deosque

que detractio communionem naturæ sola demonstrat, argumenta certiora subtilioraq; sunt. Quænam inquies, aut quomodo de tanta quæstione & deorũ & animorum disputatio certa ulla esse potest? neque enim deum, neque mentem cernimus: mentem autem hominis quamvis nõ videamus, ut deum non videmus, tamen ut deum agnoscimus ex operibus ejus: sic ex memoria rerum & inventione, & celeritate motus, omniq; pulchritudine virtutis vim divinæ mentis agnoscimus: spectemus igitur deorum hominumq; facta atq; opera, quibus hominem deum esse sibi Africanus persuasit: siquidem deus est qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet. At vitam in homine, & sensum, & memoriam, & providentiam perspicimus: deus igitur homo est. At mundum regit deus, & omnes ejus partes sua providentia tuetur. quid homo? an non idem ac par efficit? qui tam regit & moderatur, & movet id corpus, cui præpositus est, id est, mundum illum molis corporeæ, cui tanquam custos præest, gubernat, quám hunc mundum princeps ille deus. An non deniq; ista similia sunt? & ut ipsum mundum ex quadam parte mortalem ipse deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. In mũdo supra Lunam, ut antea dictum est, omnia sunt æterna: infra autem nil nisi mortale, præter animos hominum generi deorum munere datos. Mundum igitur tanquam corpus dei Africanus appellat, ut poëta cúm ait:

—Totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Hominum deorumq; cognatio nobis adhuc informata est: deus est immortalis, homo est immortalis: deus viget, sentit, meminit, providet: homo viget, sentit, meminit, providet: deus mundum, homo corpus suum regit & moderatur: deus mundum quadam ex parte mortalem movet, homo fragile & dissipabile corpus agitat: deniq; cúm interiore illa penitusq; insita animi natura, tum corporis qualitate deus homoq; consentiant, ut mundus corpus sit dei, & corpus mundus sit hominis, & deus homo, & homo deus esse videbitur. Verumenimvero si quid in hac argumentatione temeré nobis assumsimus, temeraria & inconsiderata cõplexio cõficietur. Ergo primúm illud, sic ha-

beto, te non esse mortalem, diligentiús & accuratiús explicemus: nec hominem á deo mortalitatis ratione separari doceamus. Res (ita me deus ipse, de quo loquimur, amet) difficilis & obscura, aciem in oculos contrá quám natura fert, retorquere atq; cõvertere, animo animum penitus inspicere, viresq; ejus, proprietates, motus comprehendere.

Nam quod semper movetur, æternum est: quod autem motum affert alicui, quodq; ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod sese movet, quia nunquam deseritur á se, nunquam ne moveri quidem" definit, quinetiam cæteris quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principio autem nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem" nulla ex re fieri potest: nec enim esset hoc principium, quod gigneretur aliunde. quod si nunquam oritur, nec occidit quidem unquam. nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit: siquidem necesse est á principio omnia oriri. ita fit ut motus principium ex eo sit, quod ipsum á se moveatur: id autem nec nasci potest, nec mori:" vel concidat omne cælum, omnisq; natura consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur," qua primo impulsu moveatur. Cúm pateat igitur æternum id esse, quod á seipso moveatur, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? inanimatum est enim omne, quod impulsu agitatur externo: quod autẽ animatum est, id motu cietur interiore. nam hæc est natura propria animæ, atque vis: quæ si est una ex omnibus quæ sese moveat, neq; nata est certé, & æterna est.

L. definitur.

L. nulla ex re alia oriri potest:

L. vel concidant omne cælũ, omnisque terra: & cõsistant necesse est,

L. qua primó impulsa moveantur.

SED

SED tamen Platonem tanquam aliquem philosophorum deum licet audiamus, ex cujus Phædro, non autem ex libris de Republica, Ciceronis hæc oratio desumta est, cujus quæstio est, An animus sit æternus: argumentum summum est ex effectis, quia seipsum moveat: syllogismus ita concluditur,

Quod seipsum movet, æternum est:
Animus autem seipsum movet:
Animus igitur est æternus.

Præcipuum certamē est in propositione, Quod seipsum movet, æternum est, semperq; movetur: ideoq; advocantur in auxilium tum contraria, quód aliunde mota, mortalia sunt, quare quę á seipsis agitantur, immortalia sunt: tum adjuncta, & quód natura neque se deserat, sed se diligentissimé tueatur, & quód á se mota principia sunt sui motus, idcoque æterna. Ad assumtionem argumentum est unum ex adversis, quæ moventur aliunde, inanima sunt, quare animata, quæ á seipsis moventur. Hæc præsidia sunt & propositionis & assumtionis ad illum principem syllogismum accommodata. Partes ergo videamus universę disputationis, quamobrem sempiternus animus esse videatur. Prima confirmatio principalis propositionis est pleno conclusa syllogismo:

Quod semper movetur, æternum est:
Quod sese movet, semper movetur:
Quod igitur sese movet, æternum est.

Cujus conclusionis pars illa prima, Quod semper movetur, ęternum est, pompæ speciem similem quandam obtinet: ad seriam enim contentionem non multum valet, sed quoniam indubitata est, prætereatur: ad assumtionem veniamus. Quod sese movet, semper movetur: quid ita? nempe quód contraria contrariorum consequentia esse videantur: ut si laudanda virtus, vituperanda sané turpitudo sit. Sic quia quæ moventur aliunde, caduca mortaliaque sunt: quæ suo impulsu nativoque agitantur, stabilia atque immortalia sint necesse est. Age veró quia neque deseritur á se animus, ne moveri quidem desinit, quid ista ratio? quid habet argumenti? Enimvero attendendum in tenuibus tanquam foliis inclusum admirabile physici cujusdam

numinis oraculum: si animus á se moveatur, nũquam profectó se deseret. Omnis enim natura vult esse conservatrix sui, ut in quám optimo sui generis statu retineat. Itaq; nec partem ullam sui, nec habitum, nec motum, nec statum deserit: eumq; quasi finem propositũ habet, in quo omnia studia, omnesq; contentiones suas adhibeat. Ex hoc fonte illa funduntur oracula philosophorum, naturam nihil temere frustraq; conari, naturam incredibili amore sibi cõciliari. Itaq; si possit, ut posse confirmatur, dum dicitur non aliunde, sed á se ipsa moveri, & velit (ut intelligimus) se ipsam tueri, sine dubio nunquam se deseret: sed statum motumq; suum in perpetuum retinebit: quinetiam cæteris, quæ movẽtur, hic fons, hoc principium est movendi: principii autem nulla est origo. Tertia confirmatio est illius orationis, Quod seipsum movet, æternum est, ex adjunctis sumta, quód ea vis se movendi principium sit: ubi plenus & integer syllogismus contexitur:

Principium est æternum:

Quod seipsum movet, principium est:

Quod igitur seipsum movet, est æternum.

Assumtio primo loco est: quinetiam cæteris quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi: nec tantúm quod se ipsum movet, est principium sui motus, sed cæteris rebus, quæ aliunde moventur. Propositio est secundo loco:

Principium caret origine, caret interitu.

Pars prior definitione principii declaratur. Principium siquidem (ut physici definiunt) est ex quo oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia fieri potest: nec enim esset principium quod gigneretur aliunde: definitio enim repugnat. approbatio partis secundæ consequitur, Principium caret interitu. ratio ex eadem definitione & ex adjunctis sumitur: extincto dissipatoq; principio universus omnium rerum cõsequeretur interitus: nihil enim gigneretur, cúm omnia á principio oriantur: nec omnino principiũ ipsum renasceretur: natura enim ejus originem non capit, nec ex se aliud procrearet, quia extinctum esset. Deinceps assumtio propositioque posita: antea repetuntur. Assumtio obscuriús é Cicerone Latiné reddita est, quám Græcé á Platone explicata. Cicero ait, Ita fit, ut motus principium ex

eo

eo ſit, quod ipſum á ſe movetur. Plato autem paulo ſecus, *ὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ, τὸ αὐτὸ κινῦν.* quæ verba ita reddi poſſunt, Sic ergo principium motus eſt, quod ſeipſum movet. Ciceronis autem oratio videtur ſignificare cauſſam quamobrem aliquid principium motus dicatur, nempe quod ſe ipſum moveat: niſi forté phraſin illam *ex eo ſit*, intelligas pro *id ſit*. Propoſitio magis alienum á Platonis ſententia (quæ in exemplaribus Græcis hodie legitur) ſenſum habet: Principium, ait Plato, nec naſci poteſt, nec mori: principii nulla eſt origo, nullus interitus, vel conſequetur interitus rerum omnium. Extincto enim principio, neceſſe eſt concidat omne cælum, omnisq; natura, nec unquam póſt habeat unde motum nacta gignatur. principium enim ſi nullum ſit, unde motus erit initium? In Ciceronis oratione verbum *conſiſtat*, tranſlatitium & alienum eſt: nec Plato ſic loquitur, cúm ait, *τῦτο δὲ ὔτ᾽ ἀπόλλυσθαι, ὔτε γίγνεσθαι δυνατὸν ἢ πάντα τε ὐρανὸν πᾶσάν τε γῆν συμπεσῦσαν ςῆναι, καὶ μήποτε αὖθις ἔχὑν ςῆναι, ὅθεν κινηθέντα γενήσεται.* qui locus Latiné ſic reddi poteſt, Hoc autem neque mori, neq; naſci poteſt: vel omne cælum, omnisque terra concidant neceſſe eſt; nec unquam rurſus exiſtere quicquam poſſit, unde mota atq; agitata gignantur. Participiũ *κινηθέντα*, pluralis numeri, ad caſum ſingularẽ *ἀρχὴ* referri non poteſt. Quód ſi putabis neglecta Platonis ſententia Ciceronem non deterius quiddam ſequi voluiſſe: quaſi dixerit, principium neque naſci, neq; mori poteſt, conſiſtatq; neceſſe, licet cælum terraq; concidat, nec principium aliud principium nanciſcetur, á quo primum moveatur, primoque impulſu agitetur: tu videris qui Ciceronis ingenium tam religioſé tuendum ſuſceperis. Nobis magis placet, nulla neceſſitate interpoſita, liberé ſentiendi poteſtas in convertendis authoribus, ut non annumeranda verba, ſic ſané retinendas ſententias miniméq; immutandas exiſtimo: ſed tamen in hac defenſione malim credere Ciceronem alio exemplari uſum eſſe, quám ab eo ſponte ſenſum authoris inverſum, præſertim cúm Græcé optimé & luculentiſſimé ſcierit. Verúm de his nimiúm: ad reliqua pergamus. Confirmato illo fundamento ratiocinationis, Quod ſe ipſum movet, æternum eſt: conficit ad extremũ quæſtionis concluſionem ſummam ſic:

Quod seipsum movet, æternum est:
Animus autem seipsum movet:
Animus igitur est æternus.

Assumtio rebus contrariis addicitur, Inanimatum est quod impulsu agitatur externo: Ergo animatum motu cietur interiore ac suo. Animæ veró motus quos appellaverit, Plato lib. 10 de Legibus interpretatur, cúm ait, Universa ergo quæ in cælo sunt, quæ in terra, quę in mari, suis motibus anima ducit: quibus nomina sunt velle, considerare, curare, recté & non recté opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere. Quos motus Aristoteles Platonem præceptorem imitatus non solúm animo tribuit, sed his ejus naturam disquirit ac definit. Aristoteles (inquit 1 Tuscul. Cicero) longé omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio & diligentia, cúm quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, é quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, é qua sit mens. Cogitare enim & providere, & discere, & docere, & invenire aliquid, & tam multa alia meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari, hæc & similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet vacans nomine, & sic ipsum animum ἐντελέχειαν appellat, novo nomine, quasi quandam continuatam motionem & perennem. Quibus ex verbis intelligimus cum Platone Aristotelem hos animæ motus affirmasse. Tametsi in physicis quæ Aristoteli tribuuntur, magnis & variis argutiis disputatur, nullos animæ motus esse, nec á se moveri posse: quibus Platonici permulti, ac Macrobius in hujus interpretatione somnii diligenter & accuraté respondent. Immortalitatem veró animæ Aristoteles videtur noluisse eodem argumento in libris de anima confirmare, quód se ipsum moveret, quód per se disputaret, meminisset, provideret, intelligeret, sed quód sine corporis ope id ipsum præstaret, atque efficeret. quod sine specie quadam dissimile Platonicæ rationis primó videatur, revera ac veritate prorsus idẽ. A se enim, ac per se moveri, sine externo auxilio, Plato significat. Quare jam credo Platonicis Aristotelem calumniatorem appellantibus, quód præceptoris sententiam tot sophismatis labefactare con-

contenderit, quam postea mutato nomine sibi vendicarit. Sed ad Platonem redeamus, qui etiam in Menone insitas in animis nostris existimat & ęternas esse rerum omnium notiones, unde appareat, animam æternam esse, quod & in Phædone de reminiscentia copiosiús exequitur. In quo libro quàm mirabilis est, quàm acuta Socratis ratio? si non est vanus & inanis ingeneratus in animis nostris amor sapientię, profectó animus aliquando sapientiam consequetur. At illud: Hoc igitur. Non consequetur autem in hac vita: in aliqua igitur. Tum veró quęrit idem Socrates eodem loco, num possit animus noster quadam immortalium cognatione teneri ipse non immortalis. In Republ. idem rursus ait, Interitus id expers omne, quod tametsi quamplurimis malis prematur, dissolvi tamen propterea non possit. Animum autem, quamvis omnibus vitiorum generibus coinquinetur & labefactetur, propterea tamen minimé extingui: æternum igitur & immortalem esse necesse sit. Quibus tam multis rationibus Plato velle cæteris, sibi certé persuasisse animos immortales videatur. Verúm, inquies, quid istæ immortalitatis Platonicæ rationes? quid efficiunt? quid concludunt? Hic nil quæstione ista opus fuisse arbitrarer, si satis essent antecedentia animo memoriaq; retenta: nam cúm Plato 10 de Republ. statuerit animas ab æterno sine origine ulla fuisse, neque plures fuisse, neq; plures futuras esse: huic errori consentaneum erat existimare animi motus ab animo ipso, nō aliunde, proficisci. Hoc igitur erroris principium, hic fons fallacis & captiosæ conclusionis fuit. Nil veró est præter unicū sempiternumque Deum, qui modo illo moveatur, quo moveri animum Plato existimavit, qui sui sit author princepsq; motus, qui nil aliunde sumserit, qui totus aptus sit ex sese, atq; intra se sua complectatur omnia. Sed ad Africanum redeo.

Hanc tu exerce in optimis rebus. Sunt autem hæ optimæ curæ de salute patriæ, quib. agitatus & exercitatus animus velociter in hanc sedem & domū suam pervolabit. Idq; ocyus faciet, si jam tum, cúm erit inclusus in corpore, eminebit foras, &

ea, quæ extra erunt, contemplans, quám maximé se á corpore abstrahet. nam eorũ animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumq; quasi ministros præbuerũt, impulsuq; libidinum voluptatibus obedientium, deorum & hominum jura violaverunt, corporibus elapsi, circum terram ipsam volutantur, nec in hunc locum, nisi multis exagitati seculis, revertuntur.

Belle sané res habet: sublato ex animis omni mortis metu, ne interire animi nostri videãtur, sed ævo sempiterno frui: quid reliquum est nisi ut justitiã, pietatẽ, religionẽ colamus, non solúm ut semper, sed potiús ut beati vivamus? Exerceatur igitur anima in optimis rebus, in defendenda patria, reddendo unicuiq; quod suum est, in augendis & amplificandis bonis communibus. Quó enim simus alacriores ad tutandam Rempublicam, jam persuasum est omnibus qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in cælo ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. Neque tamen viribus & lacertis via tantúm reditusq; nobis in cælum paratur, vigilando, laborando, bellando, forensia civiliaque negotia tractando, omnes corporis animique vires in humanis commodis constituendis adhibendo: sed multo magis sublimia illa & cælestia spectando, res æternas & divinas contemplando, ut incredibili Dei bonitate, providentiaq; mundus hic non conditus solúm sit, sed regatur & administretur: vitæ enim illius degendæ ratio (quæ in contemplatione & cognitione rerum posita est) cúm deorum vitæ simillima sit, dignissima certé est judicanda. Ergo celeriús animus in cœlum pervolabit, si se á corporis cura & humanis rebus avocaverit. Ac ne frustra tanta spes injecta sit, confirmatur ex contrariis. Improbi ac libidinosi sunt miseri: probi igitur & virtutis studiosi sunt beati. Quid autem est illud, circũ terrã volutantur? unde sumtum? Platonicum, inquam, istud est. Socrates enim in Phædone improborum & impurorum hominum animas ait grave quiddam terrenumq; ex corporis

poris contagione & libidinosis affectibus contraxisse, ac earum post mortem circa sepulchra monumentaq; umbras & visa conspici. Ergo (inquit) flagitiosorum animæ circa tumulos volutantur, nec in cælum, nisi multis exagitatæ seculis, revertuntur. Quod item Platonicum est: in Phædro enim multa Pythagorea decreta sequutus Plato scribit, animam, si vitam deorum imitari perpetuó possit, sui simillimam semper fore: sin veró, primo ortu philosophum, secundo regem, tertio mercatorem, quarto athletam, quinto sacerdotem, sexto poëtam, septimo agricolã, octavo sophistam, nono tyrannum. In quibus tam variis generibus, qui justé vixerit, sortem postea nanciscetur meliorem: qui injusté, deteriorem: in idem enim unde profectus est animus non revertitur, nisi confectis decem annorum millibus. Hæc in Phædro Socrates, multaque similia, qualia de purgationibus animarum apud inferos Virgilius scribit:

Quisq; suos patimur manes: exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumq; relinquit
AEtherium sensum, atq; aurai simplicis ignem.
Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Quæ Pythagorea Cicero parum religiosé coluit: non enim admodum, quæ de purgationibus illis animarum dicebantur á poëtis & philosophis, credidit: postea in prima Tusculana derisit. Rationis, inquit, ignoratio finxit inferos, easq; formidines, quas tu contemnere non sine caussa videbare: in terram enim cadentibus corporibus, hisque humo tectis, ex quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam agi vitam mortuorum, quam eorum opinionem magni errores consequuti sunt, quos auxerunt poëtæ. frequens enim consessus theatri, in quo sunt mulierculæ & pueri, movetur audiens tam grande carmen:

Adsum, atq; advenio Acheronte, vix, via alta atque ardua,

Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus,
Maximis; ubi rigida conſtat craſſa caligo inferûm.

Tãtumque valuit error, qui mihi quidem jam ſublatus videtur, ut corpora cremata cùm ſcirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quæ ſine corporibus nec fieri poſſent, neq; intelligi. Quamobrem Pythagoreas animæ purgationes (quas hoc loco videtur probare Cicero) non perpetuó probavit. Cætera autem illa quæ ſunt apud Platonem 10 de Republ. in Heri militis (qui excitatur ab inferis) narratione contemſit, de duplici hiatu, altero ad cælum, altero ad inferos ducente. De infernis cacodæmonibus, de prato beatarũ animarum, requie, de neceſſitate & ejus filiabus: reliquaq; quia poëtarum magis ſimilia, quám philoſophorum viderentur, prudens (opinor) ac ſciens omiſit.

Ille diſceſſit: ego ſomno ſtatim ſolutus ſum.

HIC ſomnii exitus fuit vocatis ad contemplandum cælum animis, deterritis ab humanę ſpe gloriæ, immortalem naturam ſuam perſuaſis & edoctis, præmiorum denique cæleſtium mercede accenſis & inflammatis. Scipio ſomno ſolutus eſt: ego de ſomnio quærendi ac conſultandi labore ſolutus ſum.

FINIS.



M. T. CICERONIS DE LEGIBVS LIBER I. P. RAMI PRÆLECTIONIBUS ILLUSTRATUS.

PRÆFATIO.

MArcus Tullius Cicero ſex libris Rempublicam deſcripſerat, non tantúm é populi poteſtate & optimatum authoritate, ſed tribus juſtis generibus, Regio, Ariſtocratico, Democratico temperatã: ut ex iis locis conſtat, quos in Somnii Scipionis prelectionibus citavimus. Primo ſiquidem & ſecundo definita erat Reſpublica, res populi: definitusq; populus, cœtus juris conſenſu & utilitatis communione ſociatus: Factaque Reipublicæ partitio fuerat in juſtam, cúm rex unus, aut optimates pauci, vel populus univerſus ſecundum leges imperaret: & injuſtam, cúm tyrannus, aut factioſi pauci, aut turbulentus populus pro libidine dominaretur: Tum in fine ſecundi, factam é tribus illis juſtis Rebuſp. temperationem Scipio muſica ſimilitudine collaudavit. *Ut in fidi-*

bus, ait, *& tibiis, atq; cantu ipso ac vocibus, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isq; concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis, & mediis, & infimis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitatem consensu dissimillimorum concinere: Et quæ harmonia á musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, arctissimum atq; optimum omni in Republ. vinculum incolumitatis.* Quæ moderatio eadem tertio Legum á Cicerone repetitur, & propriis magistratibus ornatur, Regio, Coss. imperio, Aristocratica Senatus authoritate, Democratica populi potestate. De quo si quis accuratiús cognoscere cupiat, legat sextum Polybii: ubi hæc é tribus generibus temperatio clarissimé docetur, & amplissimé laudatur. Atq; in fine secundi libri posita quæstio est de justitia, an ea Reipubl. optimę congrueret, & tertio toto deinceps acerrimé tractata. Quarto de civium moribus per magistratus legitimé corrigendis, non per poëtas scenicé deridendis erat actum. Quinto & sexto princeps civitatis erat ornatus & instructus. In qua tota disputatione Cicero Platonem in primis, sed & Aristotelem, Theophrastum, & reliquos veteres Academicos erat imitatus: Stoicos nequaquam videtur, cúm tertio Legum dicat, á veteribus Stoicis non ad hunc usum popularem & civilem de Republ. disputatum: & ad recentiores Stoicos, Dionem & Panætium, ab Academicis veteribus politicam di-

scipli-

ſciplinam manaviſſe. Atque hoc ſex librorum de Republ. argumentum fuit, quos libri de Legibus ſecuti ſunt: quid ſit lex, quæ legis genera. In quibus á Platone genus quidem orationis Cicero ſe dicit imitari. Sic enim ſecundo Legum de Platone Quintus loquitur: *Habeo veró, frater, & in hoc admodum delector, quód in aliis rebus aliisq; ſententiis verſaris, atq; ille. Nihil enim tã diſſimile eſt, quám vel ea quæ anté dixiſti, vel hoc ipſum legis exordium: Unum illud mihi videris imitari, orationis genus.* Genus veró orationis quid ſit, & quibus rebus hæc imitatio contineatur, operæ precium ſit é Ciceronis ipſius locis animadvertere, ut ſimilem materiæ, perſonarum, temporis, loci, modi, proœmiorum rationem Cicero ſit imitatus. ATT. *Atqui ſi quæres, ego quid expectem, quoniam ſcriptum eſt á te ſatis de optimo Reipubl. ſtatu, conſequens eſſe videtur, ut ſcribas tu idem de Legibus: Sic enim feciſſe video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maximé diligis.* Plato ſcripſit de Republica primúm, de Legibus deinde: Cicero ſcripſit de Republica primúm, de Legibus deinde: genus orationis hoc primum ſimile eſt: ſed tamen in quo diſſimile illud eſt, quód Plato non confirmat ſuis Legibus deſcriptam anté Rempubl. ut Cicero, ſed ſecundam conſtituit. M. *Viſne igitur, ut ille cum Crete Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æſtivo, quemadmodum deſcribit, die, in cupreſſetis Gnoſiorum, & ſpaciis ſylveſtribus crebró inſiſtens, interdum acquieſcens, de inſtitutis Rerumpub. ac de optimis*

legibus disputat: sic nos inter has procerissimas populos, in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residētes, quæramus iisdem de rebus aliquid uberius quàm forensis usus desiderat? Hæc similia sunt multa: Tres Platonis in Legibus sunt personæ, totidem in Legibus Ciceronis: Plato uno æstivo die totam Legum disputationem confecit, Cicero sic peroravit: ille in cupressetis Gnosiorum, hic in platanis Arpinatum: ille crebró insistens, interdum acquiescens; hic tum ambulans, tum residens. Quin illa temporis circunstantia secundo libro iteratur. *Hodierno sermone conficiam, spero, hoc præsertim die. Video enim Platonem idem fecisse, omnemq; orationē ejus de Legibus peroratam esse uno æstivo die.* Iteratur itē loci circunstātia: *Sed ventum in insulam est*, &c. ubi longior est oratio, quomodo Fibren⁹ fluvius quasi rostro divisus, facit insulā, & rursus cōfluens præcipitet in Lirim tam gelidum, ut vix pede tentari possit, quod in Phędro Platonis facit in Ilisso fluvio Socrates. Sed proœmium legis, seu laudationem & suasionē in primis à Platone, singulis trib. libris Cicero imitatur. Primi siquidem libri disputatio, quód lex sit secundū naturam, nil aliud est quàm legis collaudatio & suasio. atq; ejusmodi permulta sunt. Disquirit in Phædro Socrates, an sermo de Orithyiæ raptu sit verus: disquirit Cicero, an poëma de quercu Mariana sit verū. Ergo hanc similitudinem subjectarum rerum, personarum, locorū, temporum, actionū, proœmiorum, iis in libris à Platone Cicero videri vult imitari: leges veró ipsas à Romanis institutis & morib. assumere:

re: cũ secũdo dicat Atticus de religionis lege: *Cõclusa quidẽ est á te magna lex sanè quàm brevi: & ut mihi quidem videtur, nõ multùm discrepat ista constitutio religionũ á legib. Numæ, nostris usq; moribus.* Et pauló pòst Marcus: *Ergo adeó expectate leges, quæ genus illud optimũ Reipubl. contineant, & si quæ forté á me hodie rogabũtur, quæ nõ sint in nostra Republ. nec fuerint, tamẽ erant feré in more majorũ, qui tũ ut lex valebat.* hęc Cicero. Attamẽ nominatim plerasq; sententias accipit á Platone, ut de Musica secũdo & tertio, de sacrificiis, de nõ consecrandis agris, de funerib. secundo; ut magistratibus obediatur, tertio: & á veteribus Academicis (quos nominatim appellat) indicat quædá se imitari: Et explicationis nostræ progressio declarabit, quód non solúm similis, sed eadem plerunq; Platonis & Ciceronis sit oratio. Atq; de imitatione jam satis. Nec veró pauciores de Legibus libri videntur fuisse, quám de Republ. cúm jam quintus liber, sole paululũ duntaxat á meridie devexo, procederet, sicuti constat é cap. quarto libri sexti Saturnal. apud Macrobium: ubi docetur umbraculũ non esse compositũ á Virgilio nomen, sicuti quidam credidere, cúm sit eo sic usus Cicero quinto de Legibus: *Visne igitur, quoniam Sol paululum á meridie jam devexus videtur, neque dum satis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendamus ad Lirim, eaque quæ restant, in illis alnorum umbraculis persequamur?* hæc ille. unde cúm diem unum æstivum ad explicationem legúm, more Platonis, perorandum Cicero sumserit, constat medio feré tantúm tempore quintum librum processis-

ſe,& reliquam præterea diſputationẽ ſuperfuiſſe, quæ reliquo die peroraretur:tametſi Quintilianus duodecimi libri capite tertio, videtur ſignificare Ciceronis opus imperfectum jam ante Macrobii tempora fuiſſe : *Et M. Tullius*, inquit, ***non modó inter agendum nunquam eſt deſtitutus ſcientia juris, ſed etiam componere aliqua de eo cœperat.*** Atque hæc univerſi operis communia ſunt.De ſingulis veró libris ſeparatim & ſubtiliús dicendum.Primo igitur libro lex definitur, ratio ſumma inſita in natura, quæ jubet ea quæ facienda ſunt, prohibetq; contraria: Deque prima definitionis hujus parte quæſtio diſceptatur, legem natura, non opinione conſtare, eamque homini á natura inſitam eſſe, hominiſq; naturæ plané congruere: quia lex deorũ, quæ eſt eadem hominum,ſecundum naturam hominis ſit:quia ſit hominum inter ſe tum ſocietas tum benevolentia naturalis:quia philoſophi ſic eſſe confirmant:Idem & conſcientia, & virtus, & finis bonorum,& philoſophia tota comprobat: quæ diſputatio(ut dixi)legis eſt laudatio quædam & ſuaſio. Sed prooemium prolixum præponitur de quercu Mariana, de hiſtoria, de jure civili.

M. T.

M. T. CICERONIS DE LEGIBVS LIBER I.

T. Pomponius Atticus. Q. Frater. M. T. Cicero.

ATTICUS.

Lucus *quidem ille, & hac Arpinatum quercus agnoſcitur, ſæpe á me lectus in Mario. Si manet illa quercus, hæc eſt profectó: etenim eſt ſané vetus.* QUINTUS. *Manet vero Attice noſter, & ſemper manebit: ſata eſt enim ingenio: nullius autem agricolæ cultu ſtirps tam diuturna, quám poetæ verſu ſeminari poteſt.* ATT. *Quo tandem modo Quinte? aut quale eſt iſtuc, quod poetæ ſerunt? Mihi enim videris fratrem laudando, ſuffragari tibi.* QU. *Sit ita ſané. Veruntamen dum Latiné loquentur literæ, quercus huic" loco non deerit, quæ Mariana dicatur:* al. luco *eaq; ut ait Scævola de fratris mei Mario,*

Caneſcet ſeclis innumerabilibus.

Niſi forté Athenæ tuæ ſempiternam in arce oleam tenere potuerunt: aut, quód Homericus Vlyſſes Deli ſe próceram & teneram palmam vidiſſe dixit, hodie monſtrant eandem: multaq; alia multis locis diutius commemoratione manent, quám natura ſtare potuerunt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit

Nuncia fulva Jovis, miranda visa figura,
nūc sit hac: sed cùm eam tempestas vetustásve consumserit, tamen erit his in locis quercus, quam Marianam quercum vocent.

ANTEQUAM ad personarum sermonem & collocutionem, id est dialogum, Cicero descendat, solet uti procemio aliquo, & in philosophicis, & in Oratoris dialogis, ut Aristoteles in his libris, quos ἐξωτερικοὺς vocat, ait ipse 15 epist. 4 lib. ad Atticum. quod cúm hic minimé fecerit, videtur ejusmodi procemium aliquod deesse. Initium sumitur ex adjunctis loci, quèrcu nempe Mariana, quæ sua descriptione agnoscitur. *Agnoscitur*] Atticus nunc potissimúm huc venerat, ut est initio secundi, ideoque agnoscit oculis eam quercum, cujus descriptionem in poëmate Ciceronis legerat. *Mario*] Cicero Marii popularis & municipis sui (uterque enim Arpinas fuit) res gestas carmine descripserat, idque poëma Marium inscripserat. Sic paulo póst dicitur, De fratris mei Mario. Et, Atqui multa quæruntur in Mario. Et 1 de Divinatione, Quod apud te est in Mario. *Si manet*] Texitur deinceps hic syllogismus:

Si manet illa quercus, hæc est profecto:
At manet:
Hæc igitur est.

Argumentum generis est: manens siquidem seu vivens, hujus quercus genus est. *Etenim*] Ratio propositionis ex adjunctis. Notabis autem decoré & apté factum, quód Atticus de veritate rerum & historia sic anquirat toto procemio: fuit enim studiosissimus antiquitatis & historiæ, & multis eam libris celebravit, magistratus Romanos ornavit: Nulla lex, neque pax, neq. bellum, neq: res illustris est pop. Rom. quam nó notaverit: Familiarum originem subtexuit, ut Juniorum, Marcellorú, Fabiorum, Æmiliorum: Clarorum virorum facta quaternis aut quinis versibus, sub eorum imagine positis, descripsit: Græcé de Consulatu Ciceronis librum confecit. Vide Neporem in Attici vita. *Manet*] Assumtio probata efficientibus, sed ἀμφιβολία est: Manet quippe quercus fama, non natura. *Nullius*] Minorum collatio. *Fratrem*] M. Cicero promtus ad poëticam

cam fuit, adeó ut jam senex, nocte quadam excitatus, versus quingentos effuderit, omnesque Romanos ante se natos ista laude superarit: Vertit Aratum, scripsit Pontium, Glaucum, Marium, tres item libros de rebus suis gestis, & pleraque ad Cæsarem, ut cognoscitur é Plutarcho & ipso Cicerone: sed hujus facultatis ὁ ἐνθουσιασμὸς afflatio major in Quinto fuit, si Marci nulla est in epistolis ad Fratrem adulatio: ubi poëticæ priores partes Quinto tribuit, epistola vicesima tertii libri; & sexdecim diebus quatuor tragœdias ab eo absolutas dicit, ejusdem libri epistola vicesima secunda. Ergo dum Quintus Marcum poëticæ nomine laudat, seipsum quoq; laudat, qui poëta quoq; sit. *Dum Latine*] Parium collatio est, cui additur testimonium Scævolæ Pontificis, ad quem augure mortuo Cicero se cõtulit, quiq; ingenio & industria præstitit, ut est in Lælio. *Mariana*] Quæ pauló póst describit glãdifera, ex qua olim evolavit:

Nuncia fulva Jovis, miranda visa figura.

An igit quercus ea est, in qua aquila septẽ pullos peperit, de quib. in Marii vita Plutarchus? At Plutarchus nihil de quercu loquitur: & aquila nidificat in petris aliquãdo, nõ in arboribus solúm. An in qua aquila serpentẽ discerpsit? de qua in Mario Cicero dixerat, quod citatur 1 de Divinatione:

Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles,
Arboris e trunco serpentis saucia morsu,
Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem
Semianimum, & varia graviter cervice micantem:
Quem se intorquentem lanians rostroq; cruentans,
Jam satiata animos, & duros ulta dolores
Abjicit efflantem, & laceratum affligit in unda,
Seq; obitu á Solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi prepetibus pennis lapsuq; volantem
Conspexit Marius divini numinis augur,
Faustaq; signa suæ laudis reditusq; notavit:
Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris.
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.

At Cicero in his versibus quercum nullam nominat: neo versus quo pauló póst definitur eadẽ quercus, in hisce versibus legitur. Quare Mariana quercus fortassis alia quædam fuerat in Mario descripta, unde Marius auguriũ ali-

quod acceperat. *Nisi forte*] Similium collatio in hac ironia est. Sic Athenis olea, Deli palma permansit fama, non natura. *Athenæ tuæ*]Vide Cornelium Nepotem in vita Attici,quomodo Pomponius Athenienses coluerit,eorumq; publicam inopiam suis opibus sublevarit,&singulis frumentum dederit. Itaq; omnibus honoribus ab his etiam cultus est.Ita veró se Atticus Athenis collocarat, ut esset pené unus ex Atticis,ut id etiam cognomen inde videatur habuisse. Vide initium quinti de Finibus. *Oleam*] Olea, ait Plinius libr. 16,cap. 40, neque cariem neq; vetustatem sentit, quin annis eam (ut & ejusdem libr. cap. 44 ait) ducentis durare inter authores convenit. Quo capite etiam de hac olea dicit. Athenis quoq, olea durare traditur,in certamine edita á Minerva : quod tamen ut fabulosum hîc Cicero centum annis ante natum Plinium deridet. *Palmam*]Hanc item fabulam quam Cicero censet, Plinius pro historia proponit. Nec non palma, ait jam citato capite,Deli ab Apollinis ætate conspicitur. Locus autem Homeri est Odysseæ sexto:ubi naufragus Ulysses& litore nudus ejectus , virginis Nausicaæ pulchritudinem similitudine Deliæ palmæ collaudat:

Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.
Deli quondam talem Apollinis apud aram
Palmæ tenerum ramum procerum cognovi.

Quaré glandifera]Complexio syllogismi,ubi definitur illa quercus Mariana suis adjunctis,quód glandifera,quód ex ea evolavit aquila: quæ definitio cúm in superioribus illis é primo de Divinatione versibus nulla sit, neque etiam videtur definita quercus eodem loco significari. *Nuncia*]Periphrasis est aquilæ,quæ sola ex avibus , nunquam fulmine tãgitur,ideoq: Jovis armigera judicatur, ut Plinius lib.2,cap.55,& 10,3.

ATT. *Non dubito id quidem: sed hoc jam non ex te , Quinte, quæro , verúm ex ipso poeta, tuine versus hanc quercum severint , an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis.* MARCUS. *Respon-*

ſpondebo tibi equidem, ſed non antè, quàm mihi tu ipſe reſpondeas Attice." Certè non longè à tuis ædibus inambulans poſt exceſſum ſuū Romulus Proculo Julio dixerit ſe deum eſſe, & Quirinum vocari, templumq; ſibi dedicari in eo loco juſſerit: & Athenis non longè item à tua illa antiqua domo Orithyiam Aquilo ſuſtulerit: ſic enim eſt traditum. A. *Quorſum tandem, aut cur iſta quæris?* M. *Nihil ſanè, niſi ne nimis diligenter inquiras in ea quæ iſto modo memoriæ ſint prodita.* A. *Atqui multa quæruntur in Mario fictáne, an vera ſint, & à nonnullis, quòd & in recenti memoria," & in Arpinati homine: ſed veritas à te poſtulatur.* M. *Et me hercule ego me cupio non mendacem putari: ſed tamen nonnulli iſti, Tite, faciunt imperitè, qui in iſto" opuſculo non ut à poeta, ſed ut à teſte veritatem exigant: nec dubito, quin iidem & cum Ægeria collocutum Numam, & ab aquila Tarquinio apicem impoſitum putent.* Q. *Intelligo te, frater, alias in hiſtoria leges ſervandas putare, alias in poemate.* M. *Quippe cùm in illa ad veritatem, Quinte, referantur, in hoc ad delectationem pleraq;: quāquam & apud Herodotū patrem hiſtoriæ, & apud Theopompum ſunt innumerabiles fabulæ.*

L. Certè ne, non longè

fort. & in Arpinati homine, vel re, veritas à te poſt.

L. periculo

NON DUBITO] Secundum problema, an hæc quercus ficta ſit, quod parium figmentorū oppoſitione primò ſuſtinetur: an vera ſit ἀποθέωσις & conſecratio Romuli, an verus Orithyiæ raptus: in quo Cicero Platonicę orationis genus imitatur. Sic enim Socrates in Phædro fabuloſa quædam diſcutit de Orithyia, Centauris, Chimæris, & Gorgonibus. *Tuis ædibus*] Titus Pomponius Atticus Quinti Cæcilii avunculi domum Pamphilianam hæreditate ſibi relictam habuit in monte Quirinali: cujus amœnitas non

ædificio, sed sylva constabat. Vide Nepotem in vita Attici. *Romulus*] Romulus cúm ad Capreæ paludem exercitum recenseret, subita coorta tempestate, tam denso opertus est nimbo, ut conspectus ejus concioni eriperetur. Itaq; hanc occasionem nacti Patres, Regem discerpserunt, & ad exercitus tumultum sedandum sublimem in cœlum procella raptum finxerunt: ac deinde Proculus Julius solicita civitate desiderio Regis, & infensa Patribus, in concionem prodit: Romulus inquit patens urbis hujus, prima hodierna luce cœlo repẽtẽ delapsus, se mihi obvium dedit, cúm perfusus horrore venerabundusq; astitissem, petens precibus ut contrá intueri fas esset. Abi, nuncia, inquit, Romanis cœlestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit: proinde rem militarem colant sciantq;, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse: Hæc (inquit) locutus, sublimis abiit. Vide Livium 1 lib. unde hæc sumta sunt. In quibus tamen nec se Quirinum Romulus appellat, nec templum postulat: sed totum fabulosum Cicero existimat. *Quirinum*] Tres in notatione nominis hujus caussas 2 Fastorum affert Ovid.

Sive quód hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus á telo venit in astra deus.

Hæc prima caussa est, ubi etiam intelligitur & aliud, Martem nempe Quirinum dici, proptereaq; etiam Romulum Martis filium, patris appellatum nomine.

Sive suo regi nomen posuere Quirites:

Hæc caussa est secunda deducta de Græco: ὁ κοίρανος, rex Græcis dicitur, unde Romani Quirinum finxerunt.

Seu quia Romanis junxerat ille Cures:

Tertia est caussa.

A tua illa] Habitavit Atticus Athenis juxta Ilissum fluvium, ut apparet ex hoc loco. *Orithyiam*] Filiam Erechthei regis Atheniensiũ, Boreas dicitur rapuisse in Thraciam, ex eaque Zeten & Calain sustulisse. Socrates interpretatur in Phædro fabulam: quód Boreas ventus Orithyiam virginem impetu sui flatus in fluvium præcipitarit. *Nobilisane*] Redditio parium significat tam veram esse quercum, quám vera sit ἀποθέωσις Romuli, & raptus Orithyiæ: fabulosa nempe & ficta esse omnia. *Atqui*] Ratio problema-

blematis ex adjunctis & temporis, & loci: Res est recens, & Marius Arpinas vicinus, nempe ut vivorum & intelligentium testimonio facilé refelli possis, si quid mentiare. *Arpinati*] Ad Marium refero. Arpinum vicinum est Romæ, & ideo notum. Itaque non facile fit Romanis de eo mentiri. hîc autem videtur quippiam desiderari. *Et hercule*] Secunda responsio ex dissimilitudine: Alius est poëta, alius testis veritatis. *Nec dubito*] Paria figmenta rursus opponuntur. De AEgeria sic Livius primo libro: Lucus erat, quem medium ex opaco specu perennis rigabat aqua: quó quia se sæpé Numa sine arbitris velut ad congressum deæ inferebat, Camenis eum lucum sacravit, quód earum sibi consilia cum conjuge sua AEgeria essent. *Tarquinio*] Tarquinio Prisco, cúm patria relicta Romam pergeret, & ad Janiculum pervenisset, carpento sedenti cum uxore, aquila suspensis demissa leviter alis pileum aufert: superque carpentum cum magno clangore volitans, velut ministerio divinitús missa, capiti apté reponit: inde sublimis abiit. Hæc Livius primo libro pro historia proponit, quæ Cicero fabulosa figmenta judicat. *Apicem*] Synecdoche duplex est, primó ex genere speciem significans: Apex enim cujusvis rei summitatem significat, & pro apice pilei tamen sumitur, qualis erat in flaminis pileo virga lanata. Deinde ex parte totum significat, totum nempe pileum. Quo modo videtur Valerius Maximus loqui, cúm ait primo libro de servata religione: At Sulpicio inter sacrificandum é capite apex prolapsus eidem sacerdotium abstulit. *Intelligo*] Repetitur superior dissimilitudo, & é fine partium concluditur: Est enim finis historiæ veritas, poematis plerunque voluptas. Sic apud Platonem secundo Legum, poëtas ait Orpheus λαχεῖν ὥραν τῆς τέρψιος, captare delectationis gratiam. *Patrem*] Qui princeps genus hoc ornavit, ut est Oratorio secundo, & á quo historia commota est, ut auderet uberiús quám superiores & ornatiús dicere, ut in Oratore est. Ergo patrem historiæ intellige, non primum authorem; præcesserant enim Pherecydes, Hellanicus, Acusilas, de quibus est Oratorio secundo: sed primarium authorem. *Theopompum*] Theopompus historicus, Thucydidis

concisis, nec satis apertis sententiis officit elatione & altitudine orationis suæ, ut est in Bruto: Et in quo magister Isocrates frænos adhibere solitus est, cúm Ephoro calcaria adhiberet.

A. Teneo quam optabam occasionem, neque omittam. M. *Quam tandem Tite?* A. *Postulatur á te jamdiu, vel flagitatur potiús historia: sic enim putant, te illam tractante effici posse, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atq; ut audias quid ego ipse sentiam, non solúm mihi videris eorum studiis, qui literis delectantur, sed etiam patriæ debere hoc munus, ut ea quæ salva per te est, per te eundem* *fort.* Deest *sit ornata.* "*Abest enim historia literis nostris, ut* enim hist. *& ipse intelligo, & ex te persæpe audio. Potes autem tu profectó satisfacere in ea, quippe cúm sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maximé. Quamobrem aggredere quæsumus, & sume ad hanc rem tempus, quæ est á nostris hominib. adhuc aut ignorata, aut relicta. Nam post annales Pontificum maximorum, quibus nihil potest esse* *al.* jucũdius, *quid.* ejuncidius, *vel,* juncidius, "*nudius, si aut ad Fabium, aut ad eum qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonẽ, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias: quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quám isti omnes? Fannii autem ætate conjunctus Antipater pauló inflavit vehementiús, habuitq; vires agrestes ille quidem, atq; horridas, sine nitore ac palæstra: sed tamen admonere reliquos potuit, ut* *al.* huic Clodius, Asellio, *accuratiús scriberent. Ecce autem successere* "*huic bello Clodius, Asellio, nihil ad Cælium, sed potiús ad antiquorum languorem atq; inscitiam. Nam* L. Attium *quid* "*Accium memorem? cujus loquacitas habet aliquid*

aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Græcorum copia, sed ex librariolis Latinis: in orationibus autem multus & ineptus, ad summam impudentiam. Sisenna ejus amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forté nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facilé superavit: is tamen neq; orator in numero vestro unquam est habitus, & in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum, neque praterea quenquam de Græcis legisse videatur, eum tamen velle duntaxat imitari: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus, hoc á te expectatur, nisi quid Quinto videtur secus.

TENEO QUAM] Ex occasione proximi loci postulat Atticus historiam, cujus ipse erat amantissimus. Syllogismus est,

Si tractes historiam, optimé tractabis:
At primum:
Secundum igitur.

Cicero veró, ut Plutarchus in vita Ciceronis ait, meditatus erat *τὴν πάτριον ἱστορίαν γραφῇ περιλαβεῖν*, patriam historiam stylo complecti, & grȩcanica permulta admiscere. Hoc igitur consilium nunc Attici postulatione Marcus indicat. *Genere Græcis*] Pares Græcis eloquentia Latini in Cicerone fuerunt; in historia etiam fuissent, si Cicero historiam scripsisset. *Atq; ut*] Assumtionis ratio duplex est ex efficientibus: Cicero tractabit historiam, quia debet & potest: sed officii finis additur, laus nempe patriæ. *Abest enim*] Ratio finis é dissentaneo. *Potes*] Secunda ratio adjunctis illustratur: Potes, quia es orator. De quo sic Antonius Oratorio secundo: Videtísne quantum munus sit oratoris historia? Haud scio an flumine orationis & varietate maximum. *Quamobrem*] Complexio, ubi finis ratio repetitur, quód absit historia Latinis literis, & probatur inductione historicorum Latinorum infantium & indi-

ſertorum. *Pontificum*] Apud Hebræos prophetæ; Perſas, magi; AEgyptios, ſacerdotes: ſic Romæ Pontifices maximi hiſtoriam ſcribebant. Vide Joſephum adverſus Apionem. *Nudius*] Hæc lectio vera eſt. Hic enim agitur de nuditate Latinæ hiſtoriæ, & quód adhuc Latina hiſtoria nuda & inornata fuerit. Erat enim (ait Antonius Oratorio ſecundo) hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio: cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ cauſſa, ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mucium Pontificem maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex maximus; efferebatque in album, & proponebat tabulá domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi: ii qui etiam Annales maximi nominantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſinè ullis ornamentis monimenta ſolúm temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt. & pauló póſt dicitur, omnes hiſtorias veteres ſic ſcriptas eſſe, ut ne legantur quidem. Ergo cúm omnes hiſtorias Latinas Marcus cenſet exiles eſſe, tum nihil annalibus Pontificum nudius, ſi cum ſequentibus conferantur. *Fabium*] Pictorem, & juris & literarũ & antiquitatis bene peritum, ut eſt in Bruto. *Catonem*] Quo quis gravior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententiis argutior? in docendo ediſſerendoq; ſubtilior? Orationes ejus centum & quinquaginta Cicero legit. Jam veró Origenes ejus quem florem, aut quod lumen eloquẽtiæ non habent? ait in Bruto. Quæ tamen laus, ut nimia, poſtea retexitur á Cicerone in eodem libro. *Piſonem*] Qui orationes reliquit, quæ jam evanuerant tempore Ciceronis, & annales ſané exiliter perſcriptos, ut ibidem. *Fannium*] Cujus omnis in dicendo facultas ex hiſtoria ipſius perſpici poteſt, quæ neq. nimis eſt infans, neq; perfecté diſerta, ut ibidem. *Vennonium*] De quo 2 epiſt. 12 ad Atticum: At moleſté fero Vennonii hiſtoriam me nõ habere. *Antipater*] Paululum ſe erexit (ut eſt Oratorio ſecundo) & addidit hiſtoriæ majorem ſonum vocis vir optimus, Craſſi familiaris, Antipater: cæteri non exornatores rerum, ſed tantummodo narratores fuerunt. Eſt, inquit Catulus, ut dicis: ſed iſte ipſe Cælius neque diſtinxit hiſtoriam varietate locorum, neque verborum collocatione, &

tractu

tractu orationis leni & æquabili perpolivit illud opus: sed ut homo neque doctus, neq; maximé aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, superiores. De hoc eodem in Bruto: L. Cælius Antipater, scriptor (quemadmodum videtis) fuit, ut temporibus illis, luculentus, juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi, magister. *Inflavit*] Proprié Virgilius dixit, *Tu calamos inflare leves*: hîc μεταφορικῶς dicitur, quod metaphora simili, majorem sonum vocis addidit, in Oratorio secundo dictum est. *Vires agrestes*] Hac allegoria significatur, hunc historicum bonis quidem sententiis usum, sed inornatis. *Palæstra*] Interdum hoc nomen significat decentiam atque dignitatem, quæ est in corporis gestu & motu: qua qui carent, appellantur ἀπάλαιστροι: ergo sine palæstra, est sine gratia, sine dignitate. *Huic bello*] Id est, venusto, urbano, lepido: & ironia est, cúm id ad Antipatrum rusticum referatur. *Clodius*] Q. Clodius Quadrigarius citatur apud Gellium libro 13, cap. 13, de pugna Torquati adversus Gallum provocatorem. Et Plutarchus in Numa, meminit cujusdam Clodii, qui argumentum temporum descripserat. *Asellio*] Sempronius Asellio sub AEmiliano Scipione tribunus militum ad Numantiam fuit, resq; eas quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit. Vide Gellium libro secundo, cap. 13. *Accium*] Accii historici Cicero videtur in Bruto meminisse, cúm in historia ejus chronologiam reprehendit: in quo tantus error Accii fuit, ait. Vixit veró Accius historicus ætate Ciceronis, quia fuit amicus Sisennæ Ciceroni familiaris, ut mox dicetur. *Librariolis*] Librarius, qui libros, epistolas, aut quævis alia describit. Concurrunt jussu meo plures uno tempore librarii, descriptam legem ad me afferunt, ait 2 Agraria Cicero. Itaque nunc ait Accium Cicero argutum, id est, acutum, non é docta Græcorum scriptorum copia, sed ex arida Latinorũ librorum (qui á librariolis venduntur) inopia. *Sisenna*] Sisenna historicus, & licet non magnus, attamen orator fuit, qui, ut est in Bruto, cúm quasi emendator sermonis usitati esse vellet, ne á C. Ruscio quidem accusatore deterreri potuit, quo minús inusitatis verbis uteretur. Itaq; Ruscio accusante Chirtilium, Sisenna defendens dixit quædam ejus esse sputatilica

crimina.tum C.Ruſcius,Circumvenior,inquit Judices,niſi ſubvenitis. S.ſenna quid dicas neſcio, metuo inſidias: Sputatilica,quid eſt hoc? Sputa quid ſit,ſcio; tilicâ neſcio: maximi rutus. Sed ille tamen familiaris meus rectè loqui putabat eſſe, inuſitatè loqui. Siſennæ hiſtoria citatur primo & ſecundo de Divinatione. *Ediderunt*] Publicarunt. Sic pro Sylla: Non occultavi, non continui domi, ſed deſcribi ab omnibus ſtatim librariis,dividi paſſim & pervulgari atque edi pop. Rom. imperavi. *Clitarchum*] Clitarchus comes Alexandri in Aſiam fuit. & res ejus geſtas deſcripſit. Citatur nona epiſtola ſecundi Familiarium: Quo loco, ut ſæpè ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro eſſe ſuperatum. De eo etiam Quintilianus lib.10, c.1,Clitarchi probatur ingenium,fides infamatur. *Quare*] Abſoluta inductione Latinorum hiſtoricorum, poſtulatio hiſtoriæ concluditur.

Q. *Mihi verò nihil: & ſæpe de iſto collocuti ſumus: ſed eſt inter nos quædam parva diſſenſio.* A. *Quæ tandem?* Q. *A quibus temporibus ſcribendi capiatur exordium. Ego enim ab ultimis cenſeo, quoniam illa ſic ſcripta ſunt ut ne legãtur quidem: ipſe autẽ æqualem ætatis ſuæ memoriam depoſcit, ut ea complectatur, quibus ipſe interfuit.* A. *Ego verò huic potiùs aſſentior: ſunt enim maximæ res in hac memoria, atq; ætate noſtra: tum autem hominis amiciſſimi Cn. Pompeji laudes illuſtrabit: incurret etiam in illum memorabilem annum ſuum: quæ ab iſto malo prædicari, quàm, ut ajunt, de Remo & Romulo.* M. *Intelligo equidem à me iſtũ laborem jam diu poſtulari Attice: quem non recuſarem, ſi mihi ullum tribueretur vacuum tempus & liberum: neq; enim occupata opera, neq; impedito animo, res tanta ſuſcipi poteſt.* A. *Utrunq; opus eſt, & cura vacare, & negocio.* Q. *Quid? ad cætera quæ ſcripſiſti, plura quàm quiſquam è*

noſtris,

noſtris, quod tibi tandem tempus vacuum fuit conceſſum? M. ″*Succiſiva quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior: ut ſi qui dies ad ruſticandum dati ſint, ad eorum numerum accommodentur, quæ ſcribimus. Hiſtoria veró nec inſtitui poteſt, niſi præparato ocio, nec exiguo tempore abſolvi: & ego animi pendere ſoleo, cúm ſemel quid orſus, ſi traducor alio: neque tam facilé interrupta contexo, quám abſolvo inſtituta.* A. *Legationem aliquam nimirum oratio iſta poſtulat, aut ejuſmodi quampiam″ ceſſationem liberam atq; ocioſam.* M. *Ego veró ætatis potiús vacationi confidebam, cúm præſertim non recuſarem, quo minús more patrio ſedens in ſolio conſulentibus reſponderem, ſeneƈtutisq; non inertis grato atq; honeſto fungerer munere: ſic enim mihi liceret & iſti rei, quam deſideras, & multis uberioribus atq; majoribus, operæ quantum vellem dare.* A. *Atqui vereor ne iſtam cauſſam nemo noſcat, tibiq; ſemper dicendum ſit: & eó magis, quód te ipſe mutaſti, & aliud dicendi genus inſtituiſti: ut quemadmodum Roſcius familiaris tuus in ſeneƈtute″ numeros in cantu cecinerat, ipſasq; tardiores fecerat tibias: ſic tu á contentionibus, quibus ſummis uti ſolebas, quotidie relaxes aliquid, ut jam oratio tua non multum á philoſophorũ lenitate abſit: quod ſuſtinere cúm vel ſumma ſeneƈtus poſſe videatur, nullam tibi á cauſſis vacationem video dari.*

L. Subſiciva

L. cretionẽ lib. *lib. manuſcripti* ceſſionem

fort. numeros & cãtus remiſerat, ipſ. *Vel*, numeros in cãtu reciderat, ipſasq.

DISSENSIO] Secunda quæſtio de hiſtoria, quæ materies ea complectenda ſit, utrúm á prima urbis origine repetenda, an præſentis tantúm ætatis: quæ utraque opinio adjunctis & ſubjectis diſceptatur. *Æqualem*] Id eſt, coævam: quo verbo interdum, licet rariús, Cicero utitur, ut

in Vatinium: Nunquam puer aut adolescens inter coævos fueras? Ergo per memoriam æqualem ætatis suæ, res sui temporis significat. *Illum annum*] Periphrasis est consulatus Ciceroniani, de quo tamen jam Atticus & Cicero commētarios Græcé scripserant: ille horridulos & incomptos, hic valde elegātes & impensé ornatos, ut est prima epistola secundi ad Atticum. *De Remo*] Proverbialis ea sententia est, ut apparet ex hoc loco, de re nempe obsoleta & fabulosa. *Intelligo*] Recusatio postulationis é remotione caussæ efficientis. Non est ocium: non scribam igitur. *Quid? ad*] Objectio velut é majoribus: Tam multa sine ocio scripsisti, historiam igitur facilé scribes. *Succisiva*] Solutio prolepseos ex ocio, quod majus in historia requiratur. Succisiva autem tempora dicuntur, quæ succiduntur & amputantur legitimis negociis. Metaphora fortassis ab assignatorum agrorum dimensione, in qua quod deerat aut supererat, succisivum dicebatur. Varro libro primo de re rustica: Ab hoc principio, ait, mensores nonnunquam dicunt in subcisivum esse unciam agri aut sextantem, aut quid aliud, cúm ad jugerum pervenerint. Legitur & in nonnullis Varronis codicibus succisivum elisa præpositione. Cicero autem non tantúm hoc loco, sed & secundo de Oratore, & 2 Philip. idem usurpavit. Quæ ego seró, quę cursim arripui, quæ succisivis operis, ut ajunt, ait 2 de Oratore: In omni genere monimentorum meorum perfecisse operis subcisivis, &c. ait secunda Philippica. Quibus etiam locis codices quidam elisa præpositione legunt succisivis. Sic Quintilianus dixit libro primo, cap. 12: Quibus potiús studiis hæc temporum velut succisiva donabimus? sic Plin. in præfatione 7 ait: Succisivis temporibus ista curamus. Sic Suetonius in Domitiano cap. 9. Subcisiva, ait, quæ divisis per veteranos agris carptim superfuerant, veteribus possessoribus, ut usu capta concessit. Ergo á subcido, vel elisa præpositione, succido, succisivum tot tamque idonei Latinitatis authores usurpavere: recentiores deinde nonnulli, ut Frontinus & ejus interpres Aggenus Urbicus, item Boëtius in eandem sententiam á subseco subsecivum fecere. Frontinus enim de qualitate agrorum: Subsecivum est, ait, quod á subsecante linea nomen accepit. Subsecivorum ge-

nera duo ſunt, unum quod in extremis aſſignatorum finiũ centuria expleri non potuit: aliud genus ſubſecivorũ, quod in mediis aſſignationibus & integris centuriis intervenit. Quicquid enim inter quatuor limites minus quàm intra-cluſum eſt, fuerit aſſignatũ, in hac remanet appellatione: ideo quòd is modus qui aſſignationi ſupereſt, linea claudatur & ſubſecetur. Nam & reliquarum menſurarum actus, quicquid inter normalem lineam & extremitatem intereſt, ſubſecivum appellatur. Hæc Frontinus, cujus interpres Aggenus intercifivos limites conſimili ſignificatione dicit, ab intercido, non ab interſeco. Boëtius in libro de Geometria (ſi tamen eſt Boëtii liber) á ſubſeco inflexit ſubſicivum. Ergo ut duo verba ſubcido & ſubſeco, ſic duo inde nomina ſubſicivum & ſubſecivum his authoribus idem ſignificant. At cúm homines quidam Ciceronis ſtudioſi, Frontinum legiſſent, & in aliquo Longobardico exemplari ſubſecivis operis, ut ipſi affirmant, comperiſſent, novitate capti locum illum Ciceronis in ſecunda Philippica corrigendum putauerunt, & pro ſubciſivis legendum ſubſecivis, & omnes apud Ciceronem, imó etiam Varronem, conſimiles locos ita corrigendos eſſe cenſuerunt. At non video cur uſitata lectio retineri non poſſit, & á ſuccido ſucciſivum debeat improbari. Reperitur in codice aliquo ſubſecivum: eſto, inquam, at ſucciſivũ in mille legitur. Itaq; tam levi teſtimonio non debuit receptus uſus improbari, majoribus præſertim teſtimoniis & locupletioribus approbatus. Sed hæc de verbo nimiúm multa produximus: quin potiús exemplum hîc juventuti maximé neceſſarium proponamus, quemadmodum Cicero horis ſucciſivis ea ſcriberet, quæ nos diligentes & induſtrii vix, ac ne vix quidem, legitimis temporibus legimus: & illud eſt nimirum quod pro Archia proponit: Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi quantum cæteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt intempeſtivis conviviis, quantum denique aleæ, quantum pilæ; tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero? Ergo hæc tempora rerum pri-

vatarum,festorum dierum,voluptatum,corporis & animi relaxationum,conviviorum, aleæ, pilæ, Ciceroni fuccifiva erant, quibus mandabat literis nobiles hafce vigilias, quibus hodie juventus inftituitur. *Legationem*] Afferuntur ocii majoris duæ cauffæ, legatio libera, vacatio á cauffis. Legatio fiquidem libera hîc intelligitur,quæ cauffa rerum privatarum in provinciis agendarum impetrabatur á Senatu, eaq; quondam quinquennalis fuerat, quamvis Cicero ait fe annuam feciffe: votiva etiam legatio poteft intelligi.de quibus 3 Legum, & 6 epift. 15. ad Attic. *Confulentibus*] Videtur juris interpretationem fignificare, quam celebrandæ & ornandæ fenectutis cauffa Craffus Orat.1 fibi proponit. *Atqui*] Refutatio vacationis ex oppofita cauffa:

> *Si tua fenectus fuftinere poffit dictionem tuam,*
> *Vacatio non erit:*
> *At primum:*
> *Secundum igitur.*

Affumtio declaratur effectis & fimilibus:Mutafti genus orationis,ut Rofcius genus actionis. Rofcius veró Comœdus Ciceronis in actione magifter fuit, difcipulo itaq; etiã chariffimus, ut docet oratio pro magiftro ipfo habita, & mentio in Oratoriis de eo tam magnifica. *Numeros*] Vide nunquid hîc defit verbũ *remisfiores*,aut ejufmodi quippiam. Sic enim eadem fententia Oratorio primo ponitur, Solet idem Rofcius dicere,fe quó plus fibi ætatis accederet, eó tardiores tibicinis modos & cantus remiffiores effe facturum. *Quibus fummis*] Cicero adolefcens omnia fine remiffione, fine varietate, vi fumma vocis & totius corporis contentione dicebat,ut ait ipfe in Bruto:fed tum oratio ejus canefcebat,habebatque fuam quandam maturitatem & quafi fenectutem,ut ibidem eft. *Philofophorum*] Mollis eft enim philofophorum (ut eft in Oratore) oratio & umbratilis, nec fententiis nec verbis inftructa popularibus, nec juncta numeris, fed foluta liberiús, nihil iratum habet, nihil invidum ,nihil atrox, nil mirabile, nihil aftutum : cafta,verecunda, virgo incorrupta quodammodo, itaque fermo potiús quám oratio. *Quod fuftinere*] Sententia

tentia propositionis: Si sustinere dictionem tuam senectus possit, non erit vacatio.

Q. *At mehercule ego arbitrabor posse illud populo nostro probari, si te ad jus respondendum dedisses. Quamobrem, cùm placebit, tibi experiendũ censeo.* M. *Siquidem, Quinte, nullum esset in experiundo periculum: sed vereor ne dum minuere velim laborem, augeam: atq; ad illam caussarum operam, ad quam ego nunquam nisi paratus & meditatus accedo, adjungatur hac juris interpretatio: qua non tam mihi molesta sit propter laborẽ, quàm quód dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam majorem unquam caussam sum ausus accedere.* A. *Quin igitur ista ipsa explicas nobis his *succisivis (ut ais) temporibus, & conscribis de jure civili subtiliús quàm cateri. Nam á primo tempore atatis juri studere te memini, cúm ipse etiam ad Scavolam ventitarem: neq; unquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut jus civile contemneres.* M. *In longum sermonem me revocas, Attice: quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mavult, suscipiam: &, quoniam vacui sumus, dicam.* Q. *Ego veró libenter audierim: quid enim agam potiús? aut in quo meliús hunc consumam diem?* M. *Quin igitur ad illa spacia nostra, sedesq; pergimus? Ubi cúm satis erit ambulatum, requiescemus: nec profectó nobis delectatio deerit, aliud ex alio quarentibus.* A. *Nos veró, & hac quidem adire, si placet, per ripam & umbram.*

L. subsicivis

AT MEHERCULE] Ex occasione proximi loci contexitur postulatio juris, quæ propria operis universi quæstio est. *Siquidem*] Recusatio ex adjuncto labore: *Si nullum esset in experiundo periculum, facerem:*

monio Megillo, æstivo, quemadmodum describit, die, in cupressetis Gnosiorum, & spaciis sylvestribus crebró insistens, interdum acquiescens, de institutis rerumpublicarum, ac de optimis legibus disputat: sic nos inter has procerissimas populos, in viridi opacaq; ripa inambulantes, tum autem residentes, quæramus iisdem de rebus aliquid uberius, quám forensis usus desiderat? A. *Ego veró ista audire cupio.* M. *Quid ait Quintus?* Q. *Nulla de re magis.*

Sed jam] Repetitur problema horum librorum, & initio ad illud planiús constituendum reprehéduntur Romani Jurisconsulti veteres, qui non totum jus, sed particulam attigerint: quasi quærat Marcus, an Romanorum more velit de jure jam disseri. Imitatio videtur esse Platonica: sic enim primo Legum, Hospes Cretensem & Laconicam Respubl. reprehendit, quód fortitudinem militarem particulam virtutis, non totam virtutem legibus suis amplecterentur. *Summos*] Rutilius in vitis jureconsultorum narrat usque ad Trebatium triginta quatuor jurecõsultos Romanos. *Responsitare*] Sic pauló anté dixit, *ad jus respondẽdum:* quod tamen etiam addita præpositione ab eodem dicitur, ut in Bruto: Magnum munus de jure respondendi sustinebat. *Nec vero*] Prolepsi repetitur idem, quód non totum jus ignorarint, sed certé partem tantúm tenuerint. *Civile quod vocant*] Nec enim jus civile totum est quod á veteribus est descriptum: sed id demum jus civile fuerit, quo penitús civitas regitur, ut de religione, de magistratibus, de reliquis Reipubl. partibus. & ita bis rursum dicet: Hoc civile quod dicimus, &c. quæ vocantur jura civilia. *Quamobrem*] Declaratur inductione rerum particula juris á veteribus proposita: de quibus adhuc in Digestis præcipitur: de stillicidiis enim & parietibus agitur 8 lib. titulo secundo; de servitutibus urbanorum prædiorum, de stipulationibus, quæ solennium verborum fiunt conceptione, quibus interrogatus daturum facturúmve se respondet, quæque tot sunt quot summæ, quot species, quot res omnino, 2,

20,2,8,12,26,27,38,45 libris de judiciorum formulis (quas Flavius Appii Cæci scriba, primus dicitur edidisse) libri quinti titulo primo. *Atqui*] Jam clarissimé ponitur idem problema ex simili: Scribe de optimis legibus, ut de optima Republ. scripsisti, more videlicet Platonis: ubi Platonica imitatio jam manifestior est: in qua tamen illud est dissimile, ut in argumento posui, quód Plato in Legibus secundam Rempubl. describit, Cicero jam descriptam legibus instituit. *Quem tu*] Prima Tuscul. cum Marco sic ait Atticus: Errare me hercule malo cúm Platone (quem tu quanti facis scio, & quem ex tuo ore admiror) quám cum istis vera sentire. Et ibidem Marcus ipse: Etenim si nullam rationem afferret Plato, vide quid homini tribuã, ipsa authoritate me frangeret. Et ibidem Panætius Platonem omnibus locis divinum, sapientissimum, sanctissimum, Homerum philosophorum appellat: & Cicero ipse 2 de natura Deorum, Audiamus enim Platonẽ quasi quendam philosophorum Deum. Ergo ejusmodi sunt admirationes Ciceronis de Platone. *Ut ille*] Hospes Atheniensis disputat in Legibus cum Crete Clinia & Lacedæmonio Megillo. Hospitem igitur Cicero interpretatur Platonem. *AEstivo*] Æstus mentio est primo de legibus: καὶ ἀνάπαυλαι κατὰ τὴν ὁδὸν, ὡς εἰκὸς, πνίγους ὄντος τὰ νῦν, ἐν τοῖς ὑψηλοῖς δένδρεσιν εἰσὶ σκιαραί: Sedes ad requiescendum in via sub altis arboribus, ut par est, in præsenti æstu, sunt opacæ. Sed dies ipse æstivus tertio legum describitur, non primo, cúm de superioris sermonis rursus audiendi caussa dicit Megillus: μακρὰν ἂν ἔλθοιμι ἔγωγε, longum iter equidem facerem: καί μοι βραχεῖ' ἂν δόξειεν ἡ νῦν παροῦσα ἡμέρα γίγνεσθαι καί τοι σχεδὸν οὖσα ἐστὶν ἡ ἐκ θερινῶν εἰς τὰ χειμερινὰ τοῦ θεοῦ τρεπομένου: Ac mihi brevissimus quidem videatur hic dies esse, tametsi sit ab æstivis ad hyberna converso deo. Hæc æstivi diei descriptio est, quam Cicero notat, Sole nempe, quem Deum hic appellat Plato, á solstitiali & tropico puncto ad hyberna signa declinante. Idem locus in medio feré septimo rursus attingitur: Νῦν γὰρ ἀποβλέψας πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἐξ ἕω μέχρι δεῦρο δὴ διεληλύθαμεν ἡμεῖς, ὡς μὲν ἐμοὶ φαινόμεθα οὐκ ἄνευ τινὸς ἐπιπνοίας θεῶν: Etenim modó respiciens ad sermones, quos ab aurora hucusq; habuimus, non sine

ædificio, sed sylva constabat. Vide Nepotem in vita Attici. *Romulus*] Romulus cúm ad Capreæ paludem exercitum recenseret, subita coorta tempestate, tam denso opertus est nimbo; ut conspectus ejus concioni eriperetur. Itaq; hanc occasionem nacti Patres, Regem discerpserunt, & ad exercitus tumultum sedandum sublimem in cœlum procella raptum finxerunt: ac deinde Proculus Julius solicita civitate desiderio Regis, & infensa Patribus, in concionem prodit: Romulus inquit parens urbis hujus, prima hodierna luce cœlo repẽtè delapsus, se mihi obvium dedit, cúm perfusus horrore venerabundusq; astitissem, petens precibus ut contrá intueri fas esset. Abi, nuncia, inquit, Romanis cœlestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit: proinde rem militarem colant sciantq;, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse: Hæc (inquit) locutus, sublimis abiit. Vide Livium 1 lib. unde hæc sumta sunt. In quibus tamen nec se Quirinum Romulus appellat, nec templum postulat: sed totum fabulosum Cicero existimat. *Quirinum*] Tres in notatione nominis hujus caussas 2 Fastorum affert Ovid.

Sive quód hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus á telo venit in astra deus.

Hæc prima caussa est, ubi etiam intelligitur & aliud, Martem nempe Quirinum dici, propterea; etiam Romulum Martis filium, patris appellatum nomine.

Sive suo regi nomen posuere Quirites:

Hæc caussa est secunda deducta de Græco: ὁ κοίρανος, rex Græcis dicitur, unde Romani Quirinum finxerunt.

Seu quia Romanis junxerat ille Cures:

Tertia est caussa.

A tua illa] Habitavit Atticus Athenis juxta Ilissum fluvium, ut apparet ex hoc loco. *Orithyiam*] Filiam Erechthei regis Atheniensiũ, Boreas dicitur rapuisse in Thraciam, ex eaque Zeten & Calain sustulisse. Socrates interpretatur in Phædro fabulam: quód Boreas ventus Orithyiam virginem impetu sui flatus in fluvium præcipitarit. *Nihil sane*] Redditio parium significat tam veram esse quercum, quám vera sit ἀποθέωσις Romuli, & raptus Orithyiæ: fabulosa nempe & ficta esse omnia. *Atqui*] Ratio proble-

bléma-

blematis ex adjunctis & temporis,& loci: Res eſt recens, & Marius Arpinas vicinus, nempe ut vivorum & intelligentium teſtimonio facilé refelli poſſis, ſi quid mentiare. *Arpinati*] Ad Marium refero. Arpinum vicinum eſt Romæ, & ideo notum. Itaque non facile ſit Romanis de eo mentiri. hîc autem videtur quippiam deſiderari. *Et hercule*] Secunda reſponſio ex diſſimilitudine: Alius eſt poëta, alius teſtis veritatis. *Nec dubito*] Paria figmenta rurſus opponuntur. De AEgeria ſic Livius primo libro: Lucus erat, quem medium ex opaco ſpecu perennis rigabat aqua: quó quia ſe ſæpé Numa ſine arbitris velut ad congreſſum deæ inferebat, Camenis eum lucum ſacravit, quód earum ſibi conſilia cum conjuge ſua AEgeria eſſent. *Tarquinio*] Tarquinio Priſco, cúm patria relicta Romam pergeret, & ad Janiculum perveniſſet, carpento ſedenti cum uxore, aquila ſuſpenſis demiſſa leviter alis pileum aufert: ſuperque carpentum cum magno clangore volitans, velut miniſterio divinitús miſſa, capiti apté reponit: inde ſublimis abiit. Hæc Livius primo libro pro hiſtoria proponit, quæ Cicero fabuloſa figmenta judicat. *Apicem*] Synecdoche duplex eſt, primó ex genere ſpeciem ſignificans: Apex enim cujuſvis rei ſummitatem ſignificat, & pro apice pilei tamen ſumitur, qualis erat in flaminis pileo virga lanata. Deinde ex parte totum ſignificat, totum nempe pileum. Quo modo videtur Valerius Maximus loqui, cúm ait primo libro de ſervata religione: At Sulpicio inter ſacrificandum é capite apex prolapſus eidem ſacerdotium abſtulit. *Intelligo*] Repetitur ſuperior diſſimilitudo, & é fine partium concluditur: Eſt enim finis hiſtoriæ veritas, poematis plerunque voluptas. Sic apud Platonem ſecundo Legum, poëtas ait Orpheus λαχεῖν ὥραν τῆς τέρψιος, captare delectationis gratiam. *Patrem*] Qui princeps genus hoc ornavit, ut eſt Oratorio ſecundo, & á quo hiſtoria commota eſt, ut auderet uberiús quám ſuperiores & ornatiús dicere, ut in Oratore eſt. Ergo patrem hiſtoriæ intellige, non primum authorem; præceſſerant enim Pherecydes, Hellanicus, Acuſilas, de quibus eſt Oratorio ſecundo: ſed primarium authorem. *Theopompum*] Theopompus hiſtoricus, Thucydidis

concisis, nec satis apertis sententiis officit elatione & altitudine orationis suæ, ut est in Bruto: Et in quo magister Isocrates frænos adhibere solitus est, cúm Ephoro calcaria adhiberet.

A. *Teneo quam optabam occasionem, neque omittam.* M. *Quam tandem Tite?* A. *Postulatur á te jamdiu, vel flagitatur potiús historia: sic enim putant, te illam tractante effici posse, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atq; ut audias quid ego ipse sentiam, non solúm mihi videris eorum studiis, qui literis delectantur, sed etiam patriæ debere hoc munus, ut ea quæ salva per te est, per te eundem sit ornata.* ″ *Abest enim historia literis nostris, ut & ipse intelligo, & ex te persæpe audio. Potes autem tu profectó satisfacere in ea, quippe cúm sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maximé. Quamobrem aggredere quæsumus, & sume ad hanc rem tempus, quæ est á nostris hominib. adhuc aut ignorata, aut relicta. Nam post annales Pontificum maximorum, quibus nihil potest esse* ″ *nudius, si aut ad Fabium, aut ad eum qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisone, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias: quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quám isti omnes? Fannii autem ætate conjunctus Antipater pauló inflavit vehementiús, habuitq; vires agrestes ille quidem, atq; horridas, sine nitore ac palæstra: sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratiús scriberent. Ecce autem successere* ″ *huic bello Clodius, Asellio, nihil ad Cælium, sed potius ad antiquorum languorem atq; inscitiam. Nam quid* ″ *Accium memorem? cujus loquacitas habet aliquid*

fort. Deest enim hist.

al. jucũdius, *quid.* ejuncidius, *vel*, juncidius,

al. huic Clodius, Asellio,

L. Attium

aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Græcorum copia, sed ex librariolis Latinis: in orationibus autem multus & ineptus, ad summam impudentiam. Sisenna ejus amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forté nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facilé superavit: is tamen neq; orator in numero vestro unquam est habitus, & in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum, neque præterea quenquam de Græcis legisse videatur, eum tamen velle duntaxat imitari: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus, hoc á te expectatur, nisi quid Quinto videtur secus.

TENEO QUAM] Ex occasione proximi loci postulat Atticus historiam, cujus ipse erat amantissimus. Syllogismus est,

Si tractes historiam, optimé tractabis:
At primum:
Secundum igitur.

Cicero veró, ut Plutarchus in vita Ciceronis ait, meditatus erat *τὴν πάτριον ἱστορίαν γραφῇ περιλαβεῖν*, patriam historiam stylo complecti, & græcanica permulta admiscere. Hoc igitur consilium nunc Attici postulatione Marcus indicat. *Genere Græcis*] Pares Græcis eloquentia Latini in Cicerone fuerunt: in historia etiam fuissent, si Cicero historiam scripsisset. *Atq; ut*] Assumtionis ratio duplex est ex efficientibus: Cicero tractabit historiam, quia debet & potest: sed officii finis additur, laus nempe patriæ. *Abest enim*] Ratio finis é dissentaneo. *Potes*] Secunda ratio adjunctis illustratur: Potes, quia es orator. De quo sic Antonius Oratorio secundo: Videtísne quantum munus sit oratoris historia? Haud scio an flumine orationis & varietate maximum. *Quamobrem*] Complexio, ubi finis ratio repetitur, quód absit historia Latinis literis, & probatur inductione historicorum Latinorum infantium & indi-

ſertorum. *Pontificum*] Apud Hebræos prophetæ; Perſas, magi; AEgyptios, ſacerdotes: ſic Romæ Pontifices maximi hiſtoriam ſcribebant. Vide Joſephum adverſus Apionem. *Nudius*] Hæc lectio vera eſt. Hic enim agitur de nuditate Latinæ hiſtoriæ, & quód adhuc Latina hiſtoria nuda & inornata fuerit. Erat enim (ait Antonius Oratorio ſecundo) hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio: cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ cauſſa, ab initio rerum Romanarum uſque ad P. Mucium Pontificem maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex maximus; efferebatque in album, & proponebat tabulá domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi: ii qui etiam Annales maximi nominantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſinè ullis ornamentis monimenta ſolúm temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt. & pauló póſt dicitur, omnes hiſtorias veteres ſic ſcriptas eſſe, ut ne legantur quidem. Ergo cúm omnes hiſtorias Latinas Marcus cenſet exiles eſſe, tum nihil annalibus Pontificum nudius, ſi cum ſequentibus conferantur. *Fabium*] Pictorem, & juris & literarū & antiquitatis bene peritum, ut eſt in Bruto. *Catonem*] Quo quis gravior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententiis argutior? in docendo ediſſerendoq; ſubtilior? Orationes ejus centum & quinquaginta Cicero legit. Jam veró Origenes ejus quem florem, aut quod lumen eloquētiæ non habent? ait in Bruto. Quæ tamen laus, ut nimia, poſtea retexitur á Cicerone in eodem libro. *Piſonem*] Qui orationes reliquit, quæ jam evanuerant tempore Ciceronis, & annales ſané exiliter perſcriptos, ut ibidem. *Fannium*] Cujus omnis in dicendo facultas ex hiſtoria ipſius perſpici poteſt, quæ neq; nimis eſt infans, neq; perfecté diſerta, ut ibidem. *Vennonium*] De quo 2 epiſt. 12 ad Atticum: At moleſté fero Vennonii hiſtoriam me nō habere. *Antipater*] Paululum ſe erexit (ut eſt Oratorio ſecundo) & addidit hiſtoriæ majorem ſonum vocis vir optimus, Craſſi familiaris, Antipater: cæteri non exornatores rerum, ſed tantummodo narratores fuerunt. Eſt, inquit Catulus, ut dicis: ſed iſte ipſe Cælius neque diſtinxit hiſtoriam varietate locorum, neque verborum collocatione, &

tractu

tractu orationis leni & æquabili perpolivit illud opus: sed ut homo neque doctus, neq; maximé aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, superiores. De hoc eodem in Bruto: L. Cælius Antipater, scriptor (quemadmodum videtis) fuit, ut temporibus illis, luculentus, juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi, magister. *Inflavit*] Proprié Virgilius dixit, *Tu calamos inflare leves*: hîc μεταφορικῶς dicitur, quod metaphora simili, majorem sonum vocis addidit, in Oratorio secundo dictum est. *Vires agrestes*] Hac allegoria significatur, hunc historicum bonis quidem sententiis usum, sed inornatis. *Palæstra*] Interdum hoc nomen significat decentiam atque dignitatem, quæ est in corporis gestu & motu: qua qui carent, appellantur ἀπάλαιστροι: ergo sine palæstra, est sine gratia, sine dignitate. *Huic bello*] Id est, venusto, urbano, lepido: & ironia est, cúm id ad Antipatrum rusticum referatur. *Clodius*] Q. Clodius Quadrigarius citatur apud Gellium libro 13, cap. 13, de pugna Torquati adversus Gallum provocatorem. Et Plutarchus in Numa, meminit cujusdam Clodii, qui argumentum temporum descripserat. *Asellio*] Sempronius Asellio sub AEmiliano Scipione tribunus militum ad Numantiam fuit, resq; eas quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit. Vide Gellium libro secundo, cap. 13. *Accium*] Accii historici Cicero videtur in Bruto meminisse, cúm in historia ejus chronologiam reprehendit: in quo tantus error Accii fuit, ait. Vixit veró Accius historicus ætate Ciceronis, quia fuit amicus Sisennæ Ciceroni familiaris, ut mox dicetur. *Librariolis*] Librarius, qui libros, epistolas, aut quævis alia describit. Concurrunt jussu meo plures uno tempore librarii, descriptam legem ad me afferunt, ait 2 Agraria Cicero. Itaque nunc ait Accium Cicero argutum, id est, acutum, non é docta Græcorum scriptorum copia, sed ex arida Latinorū librorum (qui á librariolis venduntur) inopia. *Sisenna*] Sisenna historicus, & licet non magnus, attamen orator fuit, qui, ut est in Bruto, cúm quasi emendator sermonis usitati esse vellet, ne á C. Ruscio quidem accusatore deterreri potuit, quo minús inusitatis verbis uteretur. Itaq; Ruscio accusante Chirtilium, Sisenna defendens dixit quædam ejus esse sputatilica

crimina.tum C.Ruſcius, Circumvenior, inquit, Judices, niſi ſubvenitis. Siſenna quid dicas neſcio, metuo inſidias: Sputatilica, quid eſt hoc? Sputa quid ſit, ſcio; tilicá neſcio: maximi riſus. Sed ille tamen familiaris meus rectè loqui putabat eſſe, inuſitatè loqui. Siſennæ hiſtoria citatur primo & ſecundo de Divinatione. *Ediderunt*] Publicarunt. Sic pro Sylla: Non occultavi, non continui domi, ſed deſcribi ab omnibus ſtatim librariis, dividi paſſim & pervulgari atque edi pop. Rom. imperavi. *Clitarchum*] Clitarchus comes Alexandri in Aſiam fuit, & res ejus geſtas deſcripſit. Citatur nona epiſtola ſecundi Familiarium: Quo loco, ut ſæpé ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro eſſe ſuperatum. De eo etiam Quintilianus lib.10, c.1, Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. *Quare*] Abſoluta inductione Latinorum hiſtoricorum, poſtulatio hiſtoriæ concluditur.

Q. *Mihi veró nihil: & ſæpe de iſto collocuti ſumus: ſed eſt inter nos quædam parva diſſenſio.* A. *Quæ tandem?* Q. *A quibus temporibus ſcribendi capiatur exordium. Ego enim ab ultimis cenſeo, quoniam illa ſic ſcripta ſunt ut ne legãtur quidem: ipſe autẽ æqualem ætatis ſuæ memoriam depoſcit, ut ea complectatur, quibus ipſe interſuit.* A. *Ego veró huic potiús aſſentior: ſunt enim maximæ res in hac memoria, atq; ætate noſtra: tum autem hominis amiciſſimi Cn. Pompeji laudes illuſtrabit: incurret etiam in illum memorabilem annum ſuum: quæ ab iſto malo prædicari, quám, ut ajunt, de Remo & Romulo.* M. *Intelligo equidem á me iſtũ laborem jam diu poſtulari Attice: quem non recuſarem, ſi mihi ullum tribueretur vacuum tempus & liberum: neq; enim occupata opera, neq; impedito animo, res tanta ſuſcipi poteſt.* A. *Utrunq; opus eſt, & cura vacare, & negocio.* Q. *Quid? ad cætera quæ ſcripſiſti, plura quám quiſquam é noſtris,*

nostris, quod tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? M. *" Succisiva quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior: ut si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quæ scribimus. Historia veró nec institui potest, nisi præparato ocio, nec exiguo tempore absolvi: & ego animi pendere soleo, cúm semel quid orsus, si traducor alio: neque tam facilé interrupta contexo, quám absolvo instituta.* A. *Legationem aliquam nimirum oratio ista postulat, aut ejusmodi quampiam" cessationem liberam atq; ociosam.* M. *Ego veró ætatis potiús vacationi confidebam, cúm præsertim non recusarem, quo minús more patrio sedens in solio consulentibus responderem, senectutisq; non inertis grato atq; honesto fungerer munere: sic enim mihi liceret & isti rei, quam desideras, & multis uberioribus atq; majoribus, opera quantum vellem dare.* A. *Atqui vereor ne istam caussam nemo noscat, tibiq; semper dicendum sit: & eó magis, quód te ipse mutasti, & aliud dicendi genus instituisti: ut quemadmodum Roscius familiaris tuus in senectute" numeros in cantu cecinerat, ipsasq; tardiores fecerat tibias: sic tu á contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid, ut jam oratio tua non multum á philosophorũ lenitate absit: quod sustinere cúm vel summa senectus posse videatur, nullam tibi á caussis vacationem video dari.*

L. Subsiciva

L. eretione lib. *lib. manuscripti* cessionem

fort. numeros & cãtus remiserat, ipſ. *Vel,* numeros in cãtu reciderat, ipſasq.

DISSENSIO] Secunda quæstio de historia, quæ materies ea complectenda sit, utrúm á prima urbis origine repetenda, an præsentis tantúm ætatis: quæ utraque opinio adjunctis & subjectis disceptatur. *Æqualem*] Id est, coævam: quo verbo interdum, licet rariús, Cicero utitur, ut

in Vatinium: Nunquam puer aut adolescens inter corvos fueras? Ergo per memoriam æqualem ætatis suæ, res sui temporis significat. *Illum annum*] Periphrasis est consulatus Ciceroniani, de quo tamen jam Atticus & Cicero commētarios Græcé scripserant: ille horridulos & incomptos, hic valde elegātes & impensé ornatos, ut est prima epistola secundi ad Atticum. *De Remo*] Proverbialis ea sententia est, ut apparet ex hoc loco, de re nempe obsoleta & fabulosa. *Intelligo*] Recusatio postulationis é remotione caussæ efficientis. Non est ocium: non scribam igitur. *Quid? ad*] Objectio velut é majoribus: Tam multa sine ocio scripsisti, historiam igitur facilé scribes. *Succisiva*] Solutio prolepseos ex ocio, quod majus in historia requiratur. Succisiva autem tempora dicuntur, quæ succiduntur & amputantur legitimis negociis. Metaphora fortassis ab assignatorum agrorum dimensione, in qua quod deerat aut supererat, succisivum dicebatur. Varro libro primo de re rustica: Ab hoc principio, ait, mensores nonnunquam dicunt in subcisivum esse unciam agri aut sextantem, aut quid aliud, cúm ad jugerum pervenerint. Legitur & in nonnullis Varronis codicibus succisivum elisa præpositione. Cicero autem non tantúm hoc loco, sed & secundo de Oratore, & 2 Philip. idem usurpavit. Quæ ego seró, quę cursim arripui, quæ succisivis operis, ut ajunt, ait 2 de Oratore: In omni genere monimentorum meorum perfecisse operis subcisivis, &c. ait secunda Philippica. Quibus etiam locis codices quidam elisa præpositione legunt succisivis. Sic Quintilianus dixit libro primo, cap. 12: Quibus potiús studiis hæc temporum velut succisiva donabimus? sic Plin. in præfatione 7 ait: Succisivis temporibus ista curamus. Sic Suetonius in Domitiano cap. 9. Subcisiva, ait, quæ divisis per veteranos agris carptim superfuerant, veteribus possessoribus, ut usu capta concessit. Ergo á subcido, vel elisa præpositione, succido, succisivum tot tamque idonei Latinitatis authores usurpavere: recentiores deinde nonnulli, ut Frontinus & ejus interpres Aggenus Urbicus, item Boëtius in eandem sententiam á subseco subsecivum fecere. Frontinus enim de qualitate agrorum: Subsecivum est, ait, quod á subsecante linea nomen accepit. Subsecivorum ge-
nera

nera duo sunt, unum quod in extremis assignatorum finiũ centuria expleri non potuit. aliud genus subsecivorũ, quod in mediis assignationibus & integris centuriis intervenit. Quicquid enim inter quatuor limites minus quám intraclusum est, fuerit assignatũ, in hac remanet appellatione: ideo quód is modus qui assignationi superest, linea claudatur & subsecetur. Nam & reliquarum mensurarum actus, quicquid inter normalem lineam & extremitatem interest, subsecivum appellatur. Hæc Frontinus, cujus interpres Aggenus intercisivos limites consimili significatione dicit, ab intercido, non ab interseco. Boëtius in libro de Geometria (si tamen est Boëtii liber) á subseco inflexit subsicivum. Ergo ut duo verba subcido & subseco, sic duo inde nomina subsicivum & subsecivum his authoribus idem significant. At cúm homines quidam Ciceronis studiosi, Frontinum legissent, & in aliquo Longobardico exemplari subsecivis operis, ut ipsi affirmant, comperissent, novitate capti locum illum Ciceronis in secunda Philippica corrigendum putauerunt, & pro subcisivis legendum subsecivis, & omnes apud Ciceronem, imó etiam Varronem, consimiles locos ita corrigendos esse censuerunt. At non video cur usitata lectio retineri non possit, & á succido succisivum debeat improbari. Reperitur in codice aliquo subsecivum: esto, inquam, at succisivũ in mille legitur. Itaq; tam levi testimonio non debuit receptus usus improbari, majoribus præsertim testimoniis & locupletioribus approbatus. Sed hæc de verbo nimiúm multa produximus: quin potiús exemplum hîc juventuti maximé necessarium proponamus, quemadmodum Cicero horis succisivis ea scriberet, quæ nos diligentes & industrii vix, ac ne vix quidem, legitimis temporibus legimus: & illud est nimirum quod pro Archia proponit: Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure succenseat, si quantum cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt intempestivis conviviis, quantum denique aleæ, quantum pilæ; tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpsero? Ergo hæc tempora rerum pri-

vatarum, festorum dierum, voluptatum, corporis & animi relaxationum, conviviorum, aleæ, pilæ, Ciceroni succisiva erant, quibus mandabat literis nobiles hasce vigilias, quibus hodie juventus instituitur. *Legationem*] Afferuntur ocii majoris duæ caussæ, legatio libera, vacatio á caussis. Legatio siquidem libera hîc intelligitur, quæ caussa rerum privatarum in provinciis agendarum impetrabatur á Senatu, eaq; quondam quinquennalis fuerat, quamvis Cicero ait se annuam fecisse: votiva etiam legatio potest intelligi. de quibus 3 Legum, & 6 epist. 15. ad Attic. *Consulentibus*] Videtur juris interpretationem significare, quam celebrandæ & ornandæ senectutis caussa Crassus Orat. 1 sibi proponit. *Atqui*] Refutatio vacationis ex opposita caussa:

> *Si tua senectus sustinere posßit dictionem tuam,*
> *Vacatio non erit:*
> *At primum:*
> *Secundum igitur.*

Assumtio declaratur effectis & similibus: Mutasti genus orationis, ut Roscius genus actionis. Roscius veró Comœdus Ciceronis in actione magister fuit, discipulo itaq; etiã charissimus, ut docet oratio pro magistro ipso habita, & mentio in Oratoriis de eo tam magnifica. *Numeros*] Vide nunquid hîc desit verbũ *remisßiores*, aut ejusmodi quippiam. Sic enim eadem sententia Oratorio primo ponitur, Solet idem Roscius dicere, se quó plus sibi ætatis accederet, eó tardiores tibicinis modos & cantus remissiores esse facturum. *Quibus summis*] Cicero adolescens omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis & totius corporis contentione dicebat, ut ait ipse in Bruto: sed tum oratio ejus canescebat, habebatque suam quandam maturitatem & quasi senectutem, ut ibidem est. *Philosophorum*] Mollis est enim philosophorum (ut est in Oratore) oratio & umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec juncta numeris, sed soluta liberiús, nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nil mirabile, nihil astutum: casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo, itaque sermo potiús quám oratio. *Quod sustinere*] Sententia

tentia propositionis: Si sustinere dictionem tuam senectus possit, non erit vacatio.

Q. *At mehercule ego arbitrabor posse illud populo nostro probari, si te ad jus respondendum dedisses. Quamobrem, cúm placebit, tibi experiendū censeo.* M. *Siquidem, Quinte, nullum esset in experiundo periculum: sed vereor ne dum minuere velim laborem, augeam: atq; ad illam caussarum operam, ad quam ego nunquam nisi paratus & meditatus accedo, adjungatur hæc juris interpretatio: quæ non tam mihi molesta sit propter laborē, quám quód dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam majorem unquam caussam sum ausus accedere.* A. *Quin igitur ista ipsa explicas nobis his *succisivis (ut ais) temporibus, & conscribis de jure civili subtiliús quám cæteri. Nam á primo tempore ætatis juri studere te memini, cúm ipse etiam ad Scævolam ventitarem: neq; unquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut jus civile contemneres.* M. *In longum sermonem me revocas, Attice: quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mavult, suscipiam: &, quoniam vacui sumus, dicam.* Q. *Ego veró libenter audierim: quid enim agam potiús? aut in quo meliús hunc consumam diem?* M. *Quin igitur ad illa spacia nostra, sedesq; pergimus? Ubi cúm satis erit ambulatum, requiescemus: nec profectó nobis delectatio deerit, aliud ex alio quærentibus.* A. *Nos veró, & hac quidem adire, si placet, per ripam & umbram.*

L. subsicivis

AT MEHERCULE] Ex occasione proximi loci contexitur postulatio juris, quæ propria operis universi quæstio est. *Siquidem*] Recusatio ex adjuncto labore: *Si nullum esset in experiundo periculum, facerem:*

Sed est:

Non faciam igitur.

Hoc judicii genus ἀσυλλόγιστον esset, nisi affirmato consequēte negaretur antecedens, ut in Logicis docemus. *Paratus* Commentarios caussarum, quas acturus esset, Cicero conficere solebat, de quibus Quintilianus lib. 10, cap. ultimo meminit. *Cogitationem*] Id est, meditationem & commentationem, quomodo primo Oratorio dixit, Nam si subitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facilé vincit, &c. *Quin igitur*] Resistit ex efficienti facultate: successiva nempe habes tempora, & jus ipsum nosti. *Memini*] Frequentiús cum præterito jungitur: ut, Memini summos fuisse, pauló póst. Non raró tamen & præsenti jungitur: ut ad Papirium, Memini te mihi Phaneæ cœnam narrare. Itaque labitur Valla, quód in illo Virgilii versu,

Cantando puerum memini me condere soles,

putat licentiam esse poëticam, pro condidisse. *Scævolam*] Scævolarum veluti familiaris & domestica fuit jurisprudentia. Hîc veró & Q. Mucius augur intelligitur, de quo sic in Bruto: Ego autem juris civilis studio multum operæ dabam Q. Scævolæ, P.F. qui quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendo docebat. Hic est qui Crasso comparatur in Bruto, quód Crassus sit elegantium parcissimus, Scævola parcorum elegantissimus: Crassus eloquētium jurisperitissimus, Scævola jurisperitorum eloquentissimus. Denique primo Oratorio cum Crasso & Antonio disputat de Oratore: quo mortuo, Cicero se cōtulit ad ejus filium Scævolam Pontificem, virum & ingenio & industria præstantissimum, ut é Lælio jam dixi. *In longum*] Admittitur postulatio de jure, quia est ocium, quia etiam id est utile. *Diem*] AEstivum, quo perorata dicetur hæc quæstio. *Quin igitur*] Hæc ad decorum dialogi præcipué interponuntur ex adjunctis loci: ubi Platonica est imitatio é primo Legum, ubi ἀνάπαυλαι σκιαραὶ, sedes ad requiescendum opacæ proponuntur, & cætera, de quibus commodiús pauló póst. Est illud etiam genus orationis in Phædro de Ilisso flumine, de aquila, platano, vento, herba. *Spatia*]

Spa-

Spatium deambulatio est, ut spatiari deambulare. Sic pro Muræna: A quibus si uno Basilicæ spatio honestemur, diligenter observari videmur: hinc spatium per Metonymiam subjectum & destinatum deambulationi locum significat. Spatia academiæ Cicero dicit in Oratore, alia Metonymia, pro disputationibus & disciplinis: sed ad præsentem significationem illustrandum, id nihil attinet. *Aliud ex alio*] Videtur ad illud Platonis 1 Legum aspexisse: λόγοις τε ἀλλήλους παραμυθουμένους, sermonibus nos invicem consolantes. *Per ripam*] Sic pauló póst, In viridi opacaque ripa.

Sed jam ordire explicare, quæso, de jure civili quid sentias. M. "*Ego memini summos fuisse in civitate nostra viros, qui id interpretari populo & responsitare soliti sint: sed eos magna professos, in parvis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum jus civitatis? Quid autem tam exiguum, quám est munus hoc eorum qui consuluntur?" quam est populo necessarium? Nec veró eos, qui ei muneri præfuerunt, universi juris expertes fuisse existimo: sed hoc, civile quod vocant, eatenus exercuerũt, quoad populo præstare voluerunt:" id autem incognitum est, minúsq; in usu necessarium. Quamobrem quó me vocas? aut quid hortaris ut libellos conficiam de stillicidiorum, ac de parietũ jure? aut ut stipulationum & judiciorum formulas cõponam? quæ & cõscripta sunt á multis diligenter, & sunt humiliora, quám illa quæ á nobis expectari puto.* A. *Atqui si quæres, ego quid expectem, quoniam scriptum est á te satis de optimo Reip. statu, consequens esse videtur, ut scribas tu idem de legibus: sic enim fecisse video Platonem illum tuũ, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maximé diligis.* M. *Visne igitur, ut ille" cum Crete Clinia, & cum Lacede-*

L. Egóne? summos f.

L. quãquam est populo necessariũ?

L. Illud autẽ incognitũ, minús est in usu, minúsq; necess.

al. Cretæ cũ Clinia,

monio Megillo, æstivo, quemadmodum describit, die, in cupressetus Gnosiorum, & spaciis sylvestribus crebró insistens, interdum acquiescens, de institutis rerumpublicarum, ac de optimis legibus disputat: sic nos inter has procerissimas populos, in viridi opacaq; ripa inambulantes, tum autem residentes, quæramus iisdem de rebus aliquid uberius, quàm forensis usus desiderat? A. *Ego veró ista audire cupio.* M. *Quid ait Quintus?* Q. *Nulla de re magis.*

SED JAM] Repetitur problema horum librorum, & initio ad illud planiús constituendum reprehéduntur Romani Jurisconsulti veteres, qui non totum jus, sed particulam attigerint: quasi quæerat Marcus, an Romanorum more velit de jure jam disseri. Imitatio videtur esse Platonica: sic enim primo Legum, Hospes Cretensem & Laconicam Respubl. reprehendit, quód fortitudinem militarem particulam virtutis, non totam virtutem legibus suis amplecterentur. *Summos*] Rutilius in vitis jureconsultorum narrat usque ad Trebatium triginta quatuor jurecõsultos Romanos. *Responsitare*] Sic pauló anté dixit, *ad jus respondẽdum*: quod tamen etiam addita præpositione ab eodem dicitur, ut in Bruto: Magnum munus de jure respondendi sustinebat. *Nec vero*] Prolepsi repetitur idem, quód non totum jus ignorarint, sed certé partem tantum tenuerint. *Civile quod vocant*] Nec enim jus civile totum est quod á veteribus est descriptum: sed id demum jus civile fuerit, quo penitús civitas regitur, ut de religione, de magistratibus, de reliquis Reipubl. partibus. & ita bis rursum dicet: Hoc civile quod dicimus, &c. quæ vocantur jura civilia. *Quamobrem*] Declaratur inductione rerum particula juris á veteribus proposita: de quibus adhuc in Digestis præcipitur: de stillicidiis enim & parietibus agitur 8 lib. titulo secundo; de servitutibus urbanorum prædiorum, de stipulationibus, quæ solennium verborum fiunt conceptione, quibus interrogatus daturum facturúmve se respondet, quæque tot sunt quot summæ, quot species, quot res omnino, 2,

20,2,8,12,26,27,38,45 libris,de judiciorum formulis(quas Flavius Appii Cæci ſcriba, primus dicitur edidiſſe) libri quinti titulo primo. *Atqui*] Jam clariſſimé ponitur idem problema ex ſimili: Scribe de optimis legibus, ut de optima Republ.ſcripſiſti, more videlicet Platonis: ubi Platonica imitatio jam manifeſtior eſt: in qua tamen illud eſt diſſimile, ut in argumento poſui, quód Plato in Legibus ſecundam Rempubl.deſcribit, Cicero jam deſcriptam lelegibus inſtituit. *Quem tu*]Prima Tuſcul. cum Marco ſic ait Atticus:Errare me hercule malo cúm Platone(quem tu quanti facis ſcio, & quem ex tuo ore admiror) quàm cum iſtis vera ſentire. Et ibidem Marcus ipſe:Etenim ſi nullam rationem afferret Plato, vide quid homini tribuã, ipſa authoritate me frangeret. Et ibidem Panætius Platonem omnibus locis divinum, ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, Homerum philoſophorum appellat:& Cicero ipſe 2 de natura Deorum, Audiamus enim Platonẽ quaſi quendam philoſophorum Deum. Ergo ejuſmodi ſunt admirationes Ciceronis de Platone. *Ut ille*] Hoſpes Athenienſis diſputat in Legibus cum Crete Clinia & Lacedæmonio Megillo. Hoſpitem igitur Cicero interpretatur Platonem. *Æſtivo*] Æſtus mentio eſt primo de legibus: *καὶ ἀνάπαυλαι κατὰ τὴν ὁδὸν, ὡς εἰκὸς, πνίγους ὄντος τὰ νῦν, ἐν τοῖς ὑψηλοῖς δένδρεσιν εἰσὶ σκιαραί*: Sedes ad requieſcendum in via ſub altis arboribus, ut par eſt, in præſenti æſtu, ſunt opacæ. Sed dies ipſe æſtivus tertio legum deſcribitur, non primo, cúm de ſuperioris ſermonis rurſus audiendi cauſſa dicit Megillus: *μακρὰν ἂν ἔλθοιμι ἔγωγε*, longum iter equidem facerem: *καί μοι βραχεῖ' ἂν δόξειεν ἡ νῦν παροῦσα ἡμέρα γίγνεσθαι καί τοι σχεδὸν γ' ἐστὶν ἡ ἐκ θερινῶν εἰς τὰ χειμερινὰ τοῦ θεοῦ τρεπομένου*: Ac mihi breviſſimus quidem videatur hic dies eſſe, tametſi ſit ab æſtivis ad hyberna converſo deo. Hæc æſtivi diei deſcriptio eſt, quam Cicero notat, Sole nempe, quem Deum hic appellat Plato, á ſolſtitiali & tropico puncto ad hyberna ſigna declinante. Idem locus in medio feré ſeptimo rurſus attingitur: *Νῦν γὰρ ἀποβλέψας πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἐξ ἕω μέχρι δεῦρο δὴ διεληλύθαμεν ἡμεῖς, ὡς μὲν ἐμοὶ φαινόμεθα οὐκ ἄνευ τινὸς ἐπιπνοίας θεῶν*: Etenim modó reſpiciens ad ſermones, quos ab aurora hucuſq; habuimus, non ſine

aliqua, ut apparet, deorum inspiratione. Et rursus paulò pòst e quarto aliquid afferetur. Videbis autem quàm decorè ac aptè Platonicus ille de Legibus tredecim librorum sermo, uno die æstivo in Creta præsertim conclusus: cùm vix, ac ne vix quidem, duobus legi possit. *Cupressetu*] Cupressetum, ut salictum, avellanetum, amygdaletum, olivetum, significat locum cupressis, salicibus, avellanis, amygdalis, olivis consitum. Locus est primo Legum cùm fingitur à Platone progressio à Gnosiis ad Jovis antrum & sacrum, *καὶ μὴν ἔστι γε, ὦ ξένε, προϊοῦσι κυπαρίττων τε ἐν τοῖς ἄλσεσιν ὕψη καὶ κάλλη θαυμάσια, καὶ λειμῶνες, ἐν οἷσιν ἀναπαυόμενοι διατρίβοιμεν ἄν*: Atqui sunt, ô hospes, progredienti cupressorum in lucis altitudines & pulchritudines mirificæ, & prata, in quibus requiescentes disseramus. *Spaciis sylvestribus*] Quarti libri initio describitur Creta *τραχυτέρα, καὶ πεδινωτέρα*, asperior & agrestior. *Insistens*] Jam de hoc aliquid indicatum de cupressis, ubi requiescentes disserant: *σχεδὸν γὰρ ἐξ ὅσου περὶ τῶν νόμων ἤργμεθα λέγειν ἐξ ἑωθινοῦ, μεσημβρία τε γέγονε, καὶ ἐν ταύτῃ παγκάλῃ ἀναπαύλῃ τινὶ γεγόναμεν*: Ferè enim ex quo de Legibus manè disputare cœpimus, meridies advenit, & in hac peramœna requietis sede consedimus: in fine quarti legum. *θαυμάσητε δὲ μηδὲν, ἐὰν ὑμῖν ἄνωθεν ποθὲν ἐπιχειρεῖν δόξω· σχολῆς γὰρ ἀπολαύομεν*: Nil autē miremini, si vobis altiùs repetere videar: ocio enim abundamus: in fine sexti. *De institutis*] *περὶ νόμων τε καὶ πολιτείας*: ait ipse Plato primo Legum: & certe tertio libro Rerumpubl. genera describuntur & origines: quòd in familia primum fuerit regnum in vico, & e malis familiis *ἀριστοκρατία*, in civitate multis vicis conflata *δημοκρατία*, matresq; omnino sunt omnium & bonarum, & malarum Rerumpubl. *βασιλεία καὶ δημοκρατία*: & pravæ Respubl. tyrannis, oligarchia, democratia quarto deinde libro describuntur. De educatione musicæ & gymnasticæ primo & secūdo libris, imò de Legum procemio usque ad initium quinti, deinceps de Legibus: & illa est dissimilitudo, quam dixi, quòd in Legib. Plato novam Rempubl. describit.

L. nullo in

M. *Et rectè quidem: nam sic habetote, " nullo in genere*

genere disputandi magis honesta patefieri, quid sit homini natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi, efficiendiq; caussa nati, & in lucem editi sumus, quae sit conjunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos: his enim explicatis, fons legum & juris inveniri potest. A. Non ergo á Praetoris edicto, ut pleriq; nunc, neq; á XII *tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putas? M. Non enim id quaeris hoc sermone, Pomponi, quemadmodum caveamus in jure, aut quid de quaq; consultatione respondeamus. Sit ista res magna, sicut est: quae quondam á multis claris viris, nunc ab uno summa authoritate & scientia sustinetur." Sed noris ista. Complectenda in hac disputatione tota caussa universi juris est ac legum, ut hoc civile quod dicimus, in parvum quendam & angustum locum concludatur natura. Natura enim juris nobis explicanda est, eaq; ab hominis repetenda natura: considerandae leges, quibus civitates regi debeant: tum haec tractanda, quae composita sunt, & descripta jura & jussa populorũ, in quibus ne nostri quidem populi latebunt, quae vocantur jura civilia. Q. Alté veró, & ut oportet, á capite frater repetis quod quaerimus: & qui aliter jus civile tradunt, non tam justitiae, quám litigandi tradũt vias. M. Non ita est, Quinte: ac potiús ignoratio juris litigiosa est, quám scientia. Sed haec posteriús: nunc juris principia videamus.*

genere disputationis sic patefieri,

L. Sed non quaerimus ista.

Et recte'] Comprehenditur híc, sed confusiús summa quaedã primi libri de rationibus juris naturalis, é quibus virtus omnis & honestas pateat, quid sit homini natu-

ra tributum, ut ratio nobis communis cum ipsis diis, initia virtutum & scientiarum omnium, quantam vim philosophiæ & disciplinarum omnium mens humana contineat, quo modo finis hominis est secundum naturam vivere: quæ sit hominum conjunctio: hæc enim feré capita sunt primi libri, quibus explicatis fons juris patebit. *Non ergo*] Repetitur é superiore reprehensione dissimilitudo legis Romanæ & naturalis. *Pratoris*] Leges Romanæ primó regiæ fuerunt, quas Papirius collegit, deinde duodecim tabularum: in quibus Appius Regilianus inprimis elaboravit: Appius postea Cæcus actiones, & judiciorum formulas composuit. Prętor veró primo pro consule altero plebi concesso factus é patribus tantam potestatem habuit, ut jus vetus abrogaret, novum conderet: atq; ob hunc honorem, jus prætorium honorarium dictum est, quod prætoris erat edictum. vide Pomponium Lætum. Ergo ab hoc jure velut antiquioris authoritatis quædam incipiebant. *A XII Tabulis*] Cúm patres Romæ plebsque de Legibus diutius contendissent, tandem placuit æquandæ libertatis caussa tres legatos Athenas mitti: qui Solonis inclytas leges describerent, & aliarũ Græciæ civitatum instituta, mores, juraq; noscerent. Itaque á decemviris primúm decem tabulæ compositæ sunt: quibus duæ póst adjectæ, summã Romani juris cõpleverunt: & hę leges decemvirales, quibus Tabulæ XII est nomen, in æs incisæ sunt, & in publico propositæ. vide Livium lib. 3. *Sit ista*] Hæc laus interponitur ad levandam reprehensionis hujus invidiam. *Nunc ab uno*] Videtur Servius Sulpicius significari: qui veteres jureconsultos Romanos, imó etiam doctores suos duabus virtutibus amplé superavit, eloquentia & philosophia: fuit enim eloquentia Ciceroni secundus, & logicis artibus egregié instructus fuit: attulit enim hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem ad ea quæ confusé ab aliis aut respondebantur, aut agebantur, ait in Bruto Cicero: reliquit autem libros de jure civili centum & octoginta, ut ait Pomponius Lætus, quos postea digessit Aufidius. *Complectenda*] ἀνταπόδοσις dissimilitudinis. *Natura*] Partitio quædam est librorum de Legibus. Primo enim repetitur lex ex hominis natura: secundo & tertio le-

ges considerantur, reliquis erant tractata jura civilia. Et certé primo Oratorio Crassi dialectica theoremata de componendo jure civili, declarant Ciceronem jam tum de juris civilis descriptione cogitasse. *Alte*] Comprobatio positæ partitionis, & superioris reprehensionis continuatio. *Non ita est*] Correctio ex dissimili ad majorem reprehensionem.

Igitur doctissimis viris proficisci placuit á lege, haud scio an recté, si modó, ut iide definiunt, LEX est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria: eadem ratio cúm est in hominis mente confirmata & confecta, lex est. Itaq; arbitrantur prudentiam esse legem, cujus ea vis sit, ut recté facere jubeat, vetet delinquere:" eamq; rem illi Græco putãt nomine á suum cujq; tribuendo appellatam, ego nostro á legendo. nam ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus: & proprium tamen utrunq; legis est. Quód si ita recté dicitur, ut mihi quidem plerunq; videri solet, á lege ducẽdum est juris exordium: ea est enim naturæ vis, ea mens ratioq; prudentis, ea juris atq; injuriæ regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit, & appellare eam legem, quæ scripto sancit quod vult, aut jubendo, aut vetando, ut vulgus appellat. Constituendi veró juris ab illa summa lege capiamus exordiũ, quæ seculis omnibus anté nata est, quám scripta lex ulla, aut quám omnino civitas constituta. Q. Commodiús veró, & ad rationem instituti sermonis" sapientiús. M. Visne ergo, ipsius juris ortum á fonte repetamus? quo invento, non erit dubium quó sint hæc referen-

L. eamq; νόμον illi Gr. al. eamque rem illi Græco nomine νόμον á suum cu.

L. aptiús.

da quæ quærimus. Q. *Ego veró ita faciendum esse cènseo.* A. *Me quoq; adscribito fratris sententiæ.* M. *Quoniam igitur ejus Reipubl. quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis & servandus status, omnesq; leges accommodandæ ad illud civitatis genus: serendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda: repetam stirpem juris á natura: qua duce est nobis omnis disputatio explicanda.* A. *Rectissimé: & quidem ista duce errari nullo pacto potest.*

IGITUR] Definitio legis, ad cujus primam partem confirmandam, quód lex sit homini naturalis, reliqua primi libri disputatio refertur. *Doctissimi*] An Stoicos hic Cicero intelligit? totaque ista de Legibus disputatio ex Chrysippi libris de Legibus sumta est? Non videtur Cicero hos philosophos imitatus esse: sicut antea jam de tertio libro citavi.. Nec consequens est si quis aliquid Ciceronis dictis simile dixerit, idcirco Ciceroni authorem ad imitandum propositum fuisse: præsertim cúm Stoici sint Socratis & Platonis discipuli, nec quicquam habeant nisi Socraticum & Platonicum. Doctissimos igitur homines Platonem, & eos philosophos intelligo, quos Cicero tertio Legum significat sibi propositos fuisse. *Haud scio*] In hoc genere negatio altera intelligitur: sicut in Bruto cúm de Sulpicio agitur: Atque haud scio, an par principibus esse potuisset: Et in officiis, Tibi non minus, haud scio, an magis etiam hoc faciendum sit: pro, haud scio, an non par, an non magis. *Lex est*] Lex est ratio summa, id est, perfecta & absoluta. *Insita in natura*] Id est naturalis: tanquam diceret, Lex est ratio naturalis, sed perfecta & absoluta: qualis nempe sit in Deo. *Eadem*] Hoc é posita definitione consectarium est, Lex est ratio naturalis & absoluta, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Ratio igitur eadem cúm adoleverit in homine, & disciplina atque usu confirmata fuerit, lex erit. Sic initio secundi repetitur hæc eadem legis definitio: Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque homi-

num

rum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum; sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei ex qua illa lex quam dii humano generi dederunt, recté est laudata. Est enim ratio mensq; sapientis, ad jubendum & ad deterrendum idonea. Hæc Cicero, á Platone suo nempe mutuatus, facit in Philebo τὸν νοῦν βασιλέα οὐρανοῦ καὶ γῆς, animum regem cæli & terræ. Et primo Legum, cúm duos consiliarios inter se contrarios & amentes fecisset, voluptatem & dolorem, iisq; futurorum opiniones addidisset, spem & metum, quib. hominis animus diversé traheretur & retraheretur, iis omnibus τὸν λογισμὸν, rationem præficit, quæ doceat quid in his boni malive sit, ὃς γενόμενος δόγμα πόλεως κοινὸν, νόμος ἐπωνόμασται, quæ facta civitatis commune decretũ, lex appellatur. Et ibidem ait, ταύτην δ' εἶναι τὴν τοῦ λογισμοῦ ἀγωγὴν χρυσῆν καὶ ἱερὰν, τῆς πόλεως κοινὸν νόμον ἐπικαλουμένην: Hanc veró esse rationis regulam auream & sacrã, quæ civitatis communis lex appelletur. Quám veró sit naturalis homini, amplissimé primis de Republ. libris disseritur, An justé vivere sit ex hominis natura: nec lex homini tyrannica sit, sed naturalis. Hæc igitur definitio non Chrysippea potiús est quám Platonica: Et cúm Cicero fontes Platonis sibi proposuerit, non convenit aridos Chrysippi rivulos consectari. *Itaq.*] Concluditur é legis definitione prudentiam legem esse: & notatio nominis Græci Latinique profertur, ὁ νόμος ἀπὸ τοῦ νέμειν, á tribuendo, lex á legendo: ut Græco nomine æquitas, quæ suum cuique tribuit: Latino delectus & sapientia contineatur, quorum utrunque sit proprium legis. Sic Plato in amatoribus appellat eandem virtutem nomine δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης, justitiæ & prudẽtiæ: propterea quód sit ejusdem ἀκολασταίνοντας καὶ παρανομοῦντας ὀρθῶς κολάζειν, intemperãter & injusté agentes recté punire: καὶ χρηστοὺς καὶ πονηροὺς γιγνώσκειν, probos & improbos nosse. Sic appellabitur á Cicerone pauló póst sapientia. Ratio (ait) cúm adolevit atque perfecta est, nominatur rité sapientia. Aliquando tamen prudentia, quæ proprié apud eundem Platonem φρόνησις

eſt, ſpecialis eſt virtus, & quædam εὐβουλία, capiendi conſilii ſolertia, ut 4 de Republ. De Græco nomine duodecimo Legum illud eſt etiam nonnihil diſſimile, τοὔνομα τῷ προσήκον κέκληται ὁ θεῖος ἡμῖν καὶ θαυμαστὸς νόμος: Nomen menti conſentaneum poſſidet divina nobis & admirabilis lex. *Quod ſi ita*] Concluditur á legis definitione recté duci legis exordium. Idē enim jus & lex eſt, ut initio ſecundi Cicero ipſe teſtatur: Nihil porró tam aptum eſt ad jus, quod cúm dico, legem á me dici intelligi volo. *Sed quoniam*] Prolepſis eſt quædam, quód populus ſecus legem ſibi definiat, & nullam legem niſi ſcriptam intelligat: attamen contra populi abuſum recté illo modo legem definiri: quod idem feré repetetur initio ſecundi libri. *Nata*] Sic pro Milone eleganter & magnificé lex naturalis deſcribitur: Eſt enim, Judices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verúm é natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus. *Viſne*] Statuitur ita definitam legem confirmandam eſſe, ut legem naturalem eſſe doceatur, quia leges ad politiam, id eſt civium vitam, referantur: at vita civium beata ſecundum naturam; quare & leges. *Serendi mores*] Quod præcipuum eſſe cenſet Platonideoq; in prima Republica nil feré niſi mores ſeruntur. *Iſta duce*] Hęc ſententia multis apud Ciceronem locis reiteratur, ſed uno præſertim inſigni. In hoc ſumus ſapientes (ait in Senectute Cato) quód naturam optimam ducem tanquam Deum ſequimur, eique paremus. Quid enim eſt aliud, Gigantum more bellare cum Diis, niſi naturæ repugnare?

M. Dásne igitur hoc nobis Pomponi (nam Quinti novi ſententiam) Deorum immortalium vi, natura, ratione, poteſtate, mente, numine, ſive quod eſt aliud verbum, quo planiús ſignificem quod volo, naturam omnem" regi? Nam ſi hoc non probas, á Deo nobis cauſſa ordienda eſt potiſſimúm. A. Do ſané, ſi poſtulas: etenim propter hunc concentum avium,

al. interſerunt divinam

vium, ſtrepitumq́; fluminum, non vereor condiſcipulorum ne quis exaudiat. M. *Atqui cavendum eſt: ſolent enim (id quod virorum bonorum eſt) admodum iraſci: nec veró ferent, ſi audierint te primum caput libri optimi prodidiſſe: in quo ſcripſit, nihil curare Deum nec ſui, nec alieni.* A. *Perge quaſo: nam id quod tibi conceſſi, quorſum pertineat expecto.* M. *Non faciam longius, huc enim pertinet: Animal hoc providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, quem vocamus* HOMINEM, *praclara quadam conditione generatum eſſe á ſummo* DEO: *ſolum eſt enim ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis & cogitationis, cúm catera ſint omnia expertia. Quid eſt autem, non dicam in homine, ſed in omni calo atq́; terra, ratione divinius? qua cúm adolevit, atq́; perfecta eſt, nominatur rité ſapientia.*

DASNE] Sequitur primum argumentum, quód lex natura conſtat, non opinione:

Lex Deorum, natura conſtat:
Lex hominum, eſt Deorum lex:
Lex igitur hominum, natura conſtat.

Propoſitio non exprimitur, & poſtulatur ab Epicureo Attico providentia Deorum, ſine qua nihil efficeretur hoc argumento: locus veró, quód providentia Deorum mundus regat, á Platone ſæpiſſime tractatur, ut in Sophiſta, Quód omnia fiant á cauſſa non fortuita, neq; temeraria, ſed ſapiente & divina: Et in Philebo, Quód animus ſit rex cœli & terræ: Sed in Legibus quarto, Quód ὁ θεὸς ἀρχή τε καὶ τελευτὴ καὶ μέσον τῶν ὄντων ἁπάντων, Deus ſit & principium, & extremum, & medium univerſarum rerum. Sed decimo Legum, oratione longiſſima, providentia Deorum res humanas gubernari demonſtratur, idemque duodecimo re-

petitur: quódq; solus genus hominum recté gubernet, in Republ. & politico amplissimé tractatur: ideoq; ut bonorum omnium author Deus, omnibus feré locis invocatur, quod & Poëta noster tam sæpé:

Ab Jove principium Musa, Jovis omnia plena. Item,
— O qui res hominumq; Deumq;
Æternis regis imperiis, & fulmine terres.

Sed id ab Attico postulatur, quia Epicurus ociosos esse Deos, nec sibi nec alteri negocii quicquam exhibentes, docuerat, ut mox patebit. *Do sane*] Concessio jocularia ex adjunctis loci, eaq; Epicureæ personæ congrua. *Fluminum*] Fibreni & Liris, de quibus initio secundi. *Primum caput*] Epicurus hunc librum inscripserat κυρίας δόξας, id est, ratas sententias, ubi mortis, doloris, Dei metum tollere conabatur; cujus Cicero meminit 2 de Finibus, dum Epicureos alloquitur: Quis enim vestrûm, ait, non edidicit κυρίας δόξας, id est maximé ratas, quia gravissimæ sunt & ad beaté vivendum breviter enunciatæ sententiæ? Et 1 de natura Deorum: Quanquam video nonnullis videri Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse Deos, re sustulisse: itaque in illis selectis ejus brevibusque sententiis, quas appellat κυρίας δόξας, hæc (ut opinor) prima sententia est, Quod beatum & immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium. *Non faciam*] Sequitur assumtio, quód lex hominum sit Deorum communis, quia recta ratio, quæ lex est, sit communis. res illustratur initio definitione hominis. *Solum est*] Galenus in oratione ad bonas artes, aliquid videtur rationis bestiis attribuere, hominemq. nõ tam genere rationis quám præstantia distinguere: & Aristoteles octavo capite secundi Physici, quæstionem eandem attigit, & Plutarchus in Gryllo, ut mox patebit. *Sapientia*] Sic antea pro lege prudentia, ut jam lex & prudentia, & sapientia, & perfecta ratio, sit idem.

Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaq; & in homine & in Deo, prima homini cum Deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est: Quæ cúm sit lex,

lex, lege quoq; consociati homines cum Diis putandi sumus. Inter quos porrò est communio legis, inter eos communio juris est: Quibus autem hæc sunt inter eos communia, & civitatis ejusdem habendi sunt. Si verò iisdem imperiis & potestatibus parent, multò etiam magis: Parent autem huic cælesti descriptioni, mentiq; divinæ, & præpotēti Deo:" unde etiam universus hic mundus, una civitas communis Deorum atq; hominum" existimāda. Et quod in civitatibus ratione quadam, de qua dicitur idoneo loco, agnationibus familiarum, distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius, tantoq; præclarius, ut homines Deorum agnatione & gente teneantur. Nam cùm de natura hominis quæritur," disputari solet nimirum ista: perpetuis cursibus, conversionibus cælestibus extitisse quandam" materiam serēdi generis humani, quod sparsum in terras atq; satum, divino auctum sit animorum munere. Nam quòd aliquibus cohærent homines, è mortali genere sumserunt, quæ fragilia essent & caduca: animum esse ingeneratum à Deo, ex quo verè vel agnatio nobis cum cælestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. Itaq; ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: de ipsisq; in hominibus nulla gens est, neq; tam immansueta, neq; tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualē habere Deū deceat, tamen habēdum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat Deum, qui unde ortus sit, quasi recordetur ac noscat. Jā verò virtus eadē in homine ac Deo est, neq; alio ullo ingenio præterea. Est autē virtus nihil aliud, quàm in se perfecta, & ad summū perducta

L. ut etiam

L. existimāda sit.

L. disputari solent ista: & nimirum ita sunt, ut disputātur: perpetuis curs.

L. maturitatem

natura: Est igitur homini cum Deo similitudo. Quod cúm ita sit, quæ tandem potest esse propior, certiórve cognatio?

Est igitur] Sorites contexitur quinq; graduum ad illam legis communionem: gradus veró sunt, ratio, recta ratio, lex, jus, civitas: quæ sunt omnia Deo cũ homine communia. Locus hic est in Gorgia Platonis. Tradunt veró sapientes & cœlum, & terram, & deos, & homines communione quadam & amicitia, constitutione, & moderatione, & juris descriptione cõtineri. Et ibidem citatur á Pindaro, Νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων, Lex omnium regina & mortalium, & immortalium. Et quondam Socrates interrogatus cuiatem se esse diceret, Mundanum, inquit: Totius enim mũdi se incolam & civem arbitrabatur: ut est 5 Tusculana. Quod idem circa finem libri hujus iterum dicetur, Seseq; non unis circumdatum mœnibus, popularem alicujus loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis agnoverit, &c. Ergo hæc Platonica sunt, non Stoica, nisi Stoica dixeris etiam Platonica, ut dixi. Usurpata sané hæc est á Stoicis sententia, ut patet é 3 de Finibus: ubi censent mundum, quasi communem urbem & civitatem hominum & Deorum, & unumquenq; nostrûm hujus mundi esse partem. sed hominis fuerit valde negligenter in Platone versari, Stoicorum hæc inventa propria confirmare. Si vero] Differitur ex caussis civitatis, magistratibus nempe, eadem communio.

Si dii & homines parent iisdem, sunt ejusdẽ civitatis:
Sed primum:
Secundum igitur.

Deos veró minores intelligo: ubi non est allusum ad eos qui mittebantur in provincias, sed propria civitatis est habita ratio. *Et quod*] Collatione familiarum, id est, minorum rerum, declaratur idem. *Agnationibus*] Proprié agnatio est propinquorum, per virilis sexus propinquitatem & consanguinitatem conjunctio. Nam mulier familiæ suæ & caput & finis est, ait Paulus jurisconsultus: agnatorum igitur familiis status in civitate distinguuntur,

ut alii patricii sint, alii plebeji : cognatio autem generale est. *Gente*] Gens aliquando juris civilis est verbum, & stirps est nobilium ejusdem nominis: qui nec ipsi, nec eorum majores servitutem servivernnt, nec capitis diminutionem passi sunt: & stirps generale est, aliquando omnes ejusdem nominis, etiam ignobiles. Fuit enim meo regnāte gentili, ait Cicero: & sic in hac pagina, agnatio, gens, genus, stirps, cognatio communiter accipiuntur. Considerabis an illa gentis significatione nostri nobiles appellentur, vulgó Gentiles. *Nam cúm*] Differitur é procreantibus caussis proposita agnatio: materia hominis cęlestis est, forma ipsa plané diuina. Et sic summus Deus in Timæo Platonis animos hóminum creat: minores Dii, sed ejus imperio, corpora fabricantur. *Quod sparsum*] Hanc sententiam Ovidius primo Metamorph. attingit cúm ait,

Natus homo est: sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus seductaq; nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cæli:
Quam satus Iapeto, mistam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Sed hæc confusiora sunt. *Itaq; ex*] Probatur idem ex adjuncta notitiæ divinæ proprietate. Solus homo tanquam filius, patrem Deum sui similem novit. ἡ δὲ γνῶσις τοῦ ὁμοίου τῷ ὁμοίῳ, Notio veró fit similis per simile, ut ait Empedocles 4 philosophiæ Aristotelis: quod in Plutarchi Gryllo videtur Ulyssis maximum fuisse argumentum, ad confirmandam hominis supra reliquos animantes excellētiam, quia solus homo Deum novit. Plinius tamen lib. 8, cap. 1, ait Elephātis inesse intellectum sermonis patrii, obedientiam officiorum quæ didicerint, memoriā, amoris & gloriæ cupiditatem; imó veró, quæ etiam in homine rara sunt, probitatem, prudentiam, æquitatem; religionem quoque, syderum, Solisq; , ac Lunæ venerationem. *Nulla gens*] Sic Tusculana prima: Porró firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credam, quód nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. *Jam veró*] Probatur eadem communio ex adjuncta Diis & hominibus eadem & communi

virtute: ut in Deo, sic in homine prudentia, fortitudo, temperātia, justitia, genere quidem eadem, at certé specie perfectior in Deo. *Est autem*] Sic 5 de Finibus ex Academica sententia definitur virtus, rationis absolutio. *Est igitur*] Concluditur agnatio Deorum & hominum.

Itaq; ad hominum commoditates & usus, tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea quæ gignuntur, donata consultó nobis, non fortuitó nata videātur: nec solúm ea, quæ frugibus atq; baccis terræ fœtu profunduntur: sed etiam pecudes, quód perspicuum sit, partim esse ad usum hominum: partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. Artes veró innumerabiles repertæ sunt docente natura: quam imitata ratio, res ad vitam necessarias solerter consecuta est. Ipsum autem hominem eadem natura nō solúm celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus tāquam satellites attribuit ac nuncios, & rerum plurimarū obscuras " & necessarias intelligentias enodavit, quasi fundamenta quædam sciētiæ, figuramq; corporis habilem & aptam ingenio humano dedit. Nā cúm cæteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cæliq; quasi cognationis domiciliiq; pristini conspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: & is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, indicat mores: cujus vim Græci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates, habilitatesq; reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quæ conciliatrix est humanæ maximé societatis.

L. nec satis apertas intelligentias inchoavit, quasi f.

tatis. Neq; enim omnia sunt hujus disputationis ac temporis: & hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generavit & ornavit Deus: perspicuum sit illud (ne omnia differantur) ipsam per se naturam longiús progredi: quæ etiam nullo docente profecta ab iis, quorum ex prima & inchoata intelligentia genera cognovit, confirmat ipsa per se rationem, & perficit. A. Dii immortales, quám tu longé juris principia repetis, atq; ita, ut ego non modó ad illa non properem, quæ expectabam á te de jure civili: sed facilé patiar te hunc diem vel totum in isto sermone consumere: sunt enim hæc majora, quæ aliorū caussa fortasse complecteris, quám ipsa illa, quorum hæc caussa præparantur. M. *Sunt hæc quidam magna, quæ nunc breviter attinguntur, sed omnium, quæ in hominū doctorum disputatione versantur, nihil est profectó præstabilius: quám planè intelligi nos ad justitiam esse natos: neq; opinione, sed natura constitutum esse jus. Id jam" patebit, si hominum inter ipsos societatem, conjunctionemq; perspexeris: nihil est enim unū uni tam simile, tam par, quám omnes inter nosmetipsos sumus.* *fort.* parebit.

Itaque] Continuatur eadem disputatio longa beneficiorum divinorum erga homines inductione, ex qua pateat illa Dei parentis in homines filios agnatio. *Quæ frugibus*] Hic locus idem prima Tuscul. pleniús: Hic autem ubi habitamus, non intermittit suo tempore

Cælum nitescere, arbores frondescere,
Vites lætificæ pampinis pubescere,
Rami baccarum ubertate incurvescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata convestirier.

BACCIS]Frugis nomen generale eſt,omnesq; fructus comprehendit,etiam arborum, quæ propterea frugiferæ dicuntur;tametſi baccas, id eſt,minutiores arborum fructus,ut lauri,& olivæ,hic Cicero veluti diſtinguit. *Pecudes*]Sic prima Tuſculana: Tum multitudinem pecorum, partim ad veſcendum , partim ad cultus agrorum,partim ad vehendum,partim ad corpora veſtienda, &c. *Artes*] Platonis in Gorgia ſententia eſt, artes omnes imitatione, obſervatione,& experientia repertas eſſe:ὦ Χαιρεφῶν, πολλαὶ τέχναι ἐν ἀνθρώποις εἰσὶν ἐκ τῶν ἐμπειριῶν ἐμπείρως εὑρημέναι· ἐμπειρία μὲν γὰρ ποιεῖ τὸν αἰῶνα ἡμῶν πορεύεσθαι κατὰ τέχνην, ἀπειρία δὲ κατὰ τύχην: O Chærepho, multæ artes ſunt hominibus experientia ſolerter inventæ: Experientia ſiquidem facit ut hominum vita artificioſé, inexperientia veró ut temere progrediatur.quam magiſtri Platonis ſententiam Ariſtoteles primo primæ philoſophiæ libro ſequitur:& in poſterioribus, 14 cap.lib.1, & 18 cap.lib.2, planiús confirmat,cúm docet ſenſuum inductione & naturæ imitatione omnes notiones generales omnesq; ſcientias inventas eſſe. *Celeritate*]Thaleti attribuitur apud Laertium illud,τάχιστον νοῦς,διὰ παντὸς γὰρ τρέχει: Velociſſimum mens, per omnia enim permeat. *Satellites*] Sic ſecundo de Natura Deorum:Senſus autem interpretes & nuncii rerum,in capite,tanquam in arce,mirificé ſunt ad uſus neceſſarios facti,& collocati. *Nuncios*]Notabis activé nuncios hic dici,qui nunciant;cúm frequenter paſſivé ſumatur á Cicerone, pro re quæ nunciatur. *Intelligentias*] ἐννοίας καὶ προλήψεις appellat Plato,quas animo antequam corpus intrarit,divinitus impreſſas & cõſignatas ait: Ideoque τὰς μαθήσεις ἀναμνήσεις εἶναι. Vide Platonem in Menone præſertim & Phędone:nec putes hoc Stoicorum inventum eſſe.Ariſtoteles cap.18, lib.2 , Poſt. contrá notionum τὰς δυνάμεις naturales nobis eſſe docuit, non ἕξεις: ſed de iis iterum poſtea. *Cæteras animantes*]Illud nimirum eſt Ovidianum:

Pronaq; cúm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit,cælumque videre
Juſſit,& erectos ad ſydera tollere vultus.

Plato tribuit oculis hunc finem in Timæo, ut per eos cæleſtes

lestes motus ratos & constantes contemplati, cognatos nostræ mentis, sed vagos & errantes motus, illa rata constantia componamus. De eodem Aristoteles, 10 cap. 4 de Partibus animalium ait, ὀρθὸν μὲν ἐστὶ μόνον τῶν ζώων, διὰ τὸ τὴν φύσιν αὐτοῦ καὶ τὴν οὐσίαν εἶναι θείαν· ἔργον δὲ τοῦ θειοτάτου, τὸ νοεῖν καὶ φρονεῖν: Solus quidem ex animalibus homo erectus est, quia natura ipsius & essentia divina est: opus veró divinissimæ rei est intelligentia & sapientia. Idemque naturalem præterea caussam erectæ hominis formæ attulit, 7 cap. 2 de Partibus, καὶ γὰρ τὸν περὶ τὴν καρδίαν καὶ τὸν πνεύμονα τόπον, θερμότατον καὶ ἐναιμότατον· διὸ καὶ μόνον ἐστὶ τῶν ζώων ὀρθόν: Etenim cordis & pulmonis locum calidissimum & plenissimum sanguinis homo habet; ideoq; solus ex animantibus erectus. Addit idem 10 cap. 4 lib. ejusdem operis, ὁ δ' ἄνθρωπος πόδας μεγίστους ἔχει τῶν ζώων, ὡς κατὰ μέγεθος, εὐλόγως· μόνον γὰρ ἕστηκεν ὀρθόν: Homo præ cæteris animantibus meritó pedes habet maximos, pro ratione & proportione; solus enim erectus est. Galenus 3 de usu partium, docet hominem solum erectum esse, sed finem illum contemplandi cæli cavillatur. Opinari auté, ait, ob id recté hominem stare, ut ad cælum promté respiciat, & dicere possit, Respicio adversus Olympum fronte intrepida: hominum est qui nunquam viderunt piscem οὐρανοσκόπον, id est, cæli contemplatorem: hic namq; vel invitus cælum semper aspicit: Homo autem nisi collum reflexerit retrorsum, cælum nunquam viderit. hoc veró reflectere non soli huic inest animali, sed nihilominus & asinis, ut omittam aves longum collum habentes, quibus nõ solùm facile est sursum si voluerint aspicere, sed quoquó versum etiam circumferre promté oculos. Quód veró ne Platonem quidem intellexerint dicentem, Id non est sursum aspicere, cúm quis supinum seipsum reclinaverit oscitans, sed quando, ni fallor, mente naturam rerum considerat, turpissimum est. Sic Galenus Platonis sententiam interpretatur, vel potiús meo quidem judicio impié cavillatur. Nec enim Plato obscuré loquitur, cúm de oculorum sensu, non de mente loquitur. Et cúm cælum sit undique, certé illud perpetuó videtur á nobis, non solúm cúm collo resupino caput reflectimus. Quamobrem Galeni cavilla-

tio valeat: Cicero potiús etiam locis aliis audiatur, hominem quasi contemplatorem cęli, ac Deorum ipsorum cultorem factum. 1 Tuscul. Natura homines humo excitatos celsos & erectos constituit, ut Deorum cognitionem cælũ intuentes capere possent. Sunt enim ex terra homines non ut incolę & habitatores, sed quasi spectatores supernarum rerum atq; cælestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animalium pertinet: 2 de Natura Deorum.

Ore] Hic faciem totam significat, ut 1 Æneid.

Os humerosq́; Deo similis.

Oculi] De significationibus oculorum multa Quintilianus præcipit libr. 11, cap. 3, ut hilaritate enitescant, tristitia contrahantur. *Nullo in animante*] Vultus á volendo dicitur: cúmque voluntas in solo sit homine, vultus in eo quoque solo erit, & πρόσωπον, quod an idem sit quod vultus, mox disquiretur, in solo homine dicitur: τὸ δὲ ὑπὸ τῷ μετώπῳ πρόσωπον, ὃ μόνον ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων· οὕτω καλοῦμεν· ἐπὶ γὰρ τῶν ζώων προτομὴν, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ὀρνίθων ῥύγχος καὶ ῥάμφος: Pars fronti subjecta prosopum dicitur, quod solum in hominibus sic appellamus: in animalibus siquidem protomen, (id est, si tamen nostro generali verbo id proprié reddi potest, os) sicut in avibus rostrum. Sic Aristoteles ait 8 cap. lib. 1 de Historia animalium: τὸ δ' ὑπὸ τὸ κρανίον, ὀνομάζεται πρόσωπον ἐπὶ μόνου τῶν ἄλλων ζώων ἀνθρώπου: Quod veró calvæ subjectum est, prosopum dicitur in solo aliorum animalium homine: ἰχθύος γὰρ καὶ βοὸς οὐ λέγεται πρόσωπον, piscis enim & bovis non dicitur prosopum. Et idem rursus 1 cap. 3 lib. de Partibus, cúm de cæteris partibus dixisset, τῶν ἀνθρώπων δὲ καλεῖται τὸ μεταξὺ τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ αὐχένος πρόσωπον, ἀπὸ τῆς πράξεως αὐτῆς ὀνομασθὲν, ὡς ἔοικε· διὰ γὰρ τὸ μόνον ὀρθὸν εἶναι τῶν ζώων, μόνον πρόσωθεν ὁπωπε, καὶ τὴν φωνὴν εἰς τὸ πρόσω διαπέμπει. Hominum veró quod inter caput & collum est, prosopum dicitur, ab actione ipsius nominatum, ut videtur: quód enim solus ex animantibus homo erectus est, solus anté respicit, & ante vocem emittit. Adhuc patuit in solo homine vultum & prosopum esse. *Nomen non habent*] Cicero suæ linguæ celebrandæ studio, interdum Græcæ linguæ, quæ tamen se locupletissimam putat, inopiam arguit, ut 2 Tuscul. de

dolore

dolore & labore, quæ Græci confusé uno τῷ πόνῳ verbo dicunt: & Oratorio 2 de inepto, cujus Græci nullum nomen habent. Ita nunc ait vultum Græcé non appellari. Est autem vultus Latiné proprié pars faciei, quæ oculos, supercilia & frontem complectitur. Sic in Pisonem Cicero, Non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt, oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est: & sic Quintilianus ultimo cap. 11 libr. nomine vultus, oculos, supercilia, frontem significat: quam partem oris τὸ πρόσωπον Græcé non proprié significat. Nam quód quidam Pollucis locum jam expositum afferunt, nil afferunt. Nam definitione Pollucis τὸ πρόσωπον complectitur oculos, genas, nasum, os, mentum: vultus autem minimé. Est autem Polluce major hujus præsertim rei & melior author Aristoteles, qui tamen τοῦ προσώπου nomine faciem totam complectitur, non solúm vultum: nec sané verisimile est Ciceronem Græcé institutum, & Græcis doctoribus semper usum, hæc sine accurata disquisitione scripsisse. *Omitto*] ἀποφάσει longiorem divinorum beneficiorum inductionem perstringit. *Conciliatrix*] Sic á Cicerone Orat. 2, Sed tantam vim habet illa, quæ á bono poëta dicta est, flexanima atq; omnium regina rerum oratio: quod ex illo Euripid. in Hecuba loco,

Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην,
Suadam autem reginam hominibus solam,

Latinus poëta flexanimam & reginam converterat. *In iis libris*] Tertio de Republ. fuerat hic locus: ubi ad eãdem quæstionem, quód hominibus justitia naturalis esset, hæc enumeratio divinorum beneficiorum fuerat: & eadem est 1 Tusculana, & 2 de Natura Deorum. *Nunc quoniam*] Concluditur princeps quæstio, sed obscuriús, quare homo naturaliter ad rationem perfectam, id est legem, tendit. *Principium*] An primum caput disputationis dicit? minimé. quid enim diceret Cicero? Hominem Deus principium reliquarum rerum, id est, primum caput reliquæ disputationis esse voluit: Sed hominem Deus esse voluit principium, id est, caussam & finem reliquarum rerum. Nec enim arborũ herbarúmve caussa tantarũ rerum

molitio facta est (id enim esset absurdum) neq; bestiarum: nec enim probabile sit Deos mutarum & nihil intelligentium caussa tantúm laborasse: sed hominis caussa factus est mundus, quæq; in eo sunt omnia: ut sæpe Cicero scribit, sed præcipué 2 de Natura Deorum. Ergo sententia loci hujus est, Cúm hominis caussa reliqua omnia Deus genuerit, perspicuum sit hominem longiús natura duce progredi, ac sine magistro naturalibus notitiis informatum genera rerum & species cognoscere, rationemq; in se inchoatam perficere, quæ ipsa lex est. *Dii immortales*] Collaudatur collatione majorum, item minorum, tam magnifica primi argumenti ratio, de communione legis divinæ & humanæ: ubi Marcus seipsum laudari facit ab Attico, ut antea á Fratre, *Alte veró, & ut oportet, á capite, frater, repetis quod quærimus*: idque tamen non sine exemplo aliquo sui Platonis, qui cúm de Republ. Cretica & Laconica primo Legum disseruisset, ita se laudari facit á Clinia, ὦ ξένε Ἀθηναῖε, οὐ γὰρ Ἀττικόν ἐθέλοιμ' ἂν προσαγορεύειν· δοκεῖς γάρ μοι τῆς θεοῦ ἐπωνυμίας ἄξιος εἶναι μᾶλλον ἐπονομάζεσθαι: O hospes Atheniensis, non enim Atticum te velim nominare: videris enim deæ agnomine potiús appellandus esse. Hic Clinias deæ, τῆς Ἀθηνᾶς nempe, cognomento dignum facit Platonem. *Sunt hæc*] Proxima collatio fuit, argumenta hæc quæstione majora: nunc ejus est ἀντίφασις, argumenta quidē magna, sed quæstio major, quód lex humana constet natura, non opinione. *Hominum doctorum*] Periphrasis est philosophorum: sicut antea fuit, *Igitur doctissimis viris proficisci placuit*: & Plato significatur, apud quem primo, secundo, quarto, nono Reipubl. gravissimé disputatur, justitiam naturæ hominis congruere, non opinione contra naturam hominis ad sublevandos afflictos introductam esse, adeó ut si vir justus annulum Gygis, imó galeam Plutonis habeat, á justitia tamen nolit omnino discedere. *Id jam*] Adhuc principis quæstionis primum argumentum fuit, secundum sequitur ex adjuncta hominibus & naturali societate, quæ legis subjectum est, in qua tuenda occupatur.

Si naturalis est hominum societas, & lex:

Sed primum:

Secun-

Secundum igitur.
Hoc argumentum Aristoteles 2 cap. primi politici attigit, διότι δὲ πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον, πάσης μελίττης καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον, δῆλον. Homo autem civile & populare animal est, magis quám omnes apes ac cæteræ congregabiles animantes. *Nihil est*] Assumtionis ratio ex adjuncta similitudine, quæ societatis caussa est.

Quód si depravatio consuetudinum, si opinionum varietas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocunque cœpisset: sui nemo ipse tam similis esset, " quám omnes sunt omnium. Itaque quæcunque est hominis definitio, una in omnes valet. Quod argumenti satis est, nullam dissimilitudinem esse in genere: quæ si esset, non una omnes definitio contineret. Etenim ratio, qua una præstamus beluis, per quam conjectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, cõficimus aliquid, concludimus, certé est communis, doctrina differens, discendi quidẽ facultate par: nam & sensibus eadẽ omnia cõprehenduntur, & ea quæ movẽt sensus, itidem movẽt omnium: quæque in animis imprimuntur, de quibus anté dixi, inchoatæ intelligentiæ, similiter in omnibus imprimuntur: interpresque est mentis oratio, verbis discrepans, sententiis congruens. Nec est quisquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus ad virtutem pervenire non possit. Nec solúm in rectis, sed etiam " in pravis actibus insignis est humani generis similitudo: nam & voluptate capiuntur omnes: quæ etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturalis boni: " lenitatis enim est, & suavitatis: id enim, ut suavitate delectans, sic ab errore mentis tanquam salutare aliquid asciscitur. Similique inscitia mors

L. quám omnes omnium. It.

L. in pravitatibus ins.

L. lenitate enim, & suavitate delectans, sic ab err.

fugitur, quasi dissolutio naturæ: vita expetitur, quia nos, in quo nati sumus, continet: dolor in maximis malis ducitur, cúm sua asperitate, tum quód naturæ interitus videtur sequi. Propter quam honestatis & gloriæ similitudinem beati, qui honorati sunt, videntur: miseri autem, qui sunt inglorii. Molestiæ, lætitiæ, cupiditates, timores similiter omnium mentes pervagantur: nec si opiniones aliæ sunt apud alios, iccirco, qui canẽ & felem ut Deos colunt, non eadem superstitione, qua cæteræ gentes, conflictantur. Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, nõ odit? Quibus ex rebus cúm omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extremum est, quód rectè vivendi ratio meliores efficit: quæ si approbatis, pergam ad reliqua: sin quid requiritis, id explicemus priús. A. Nos veró nihil: ut pro utroq; respondeam.

L. Propterq, hon.

Quód si] Caussa contrariæ dissimilitudinis differitur ex educatione, non natura, de qua plurima disseruntur à Platone sexto de Republ. quód multæ sint virtutis corruptelæ in animo, in corpore, in rebus externis, in disciplina, schola, magistris, & quód pessimus & nequissim⁹ sophista, & summus juventutis corruptor sit populus: & in hoc libro rursus frequenter ibidem. *Sunt omnium*] Intellige natura, aut vide num legendum sit *essent*. *Itaq; quæcunq;*] Refellitur proposita dissimilitudo ex definitionis axiomate:

Si esset in genere hominum dissimilitudo, non esset eorum communis definitio:
Secundum falsum:
Primum igitur.

Assum-

Assumtio prima est, Complexio secunda, Propositio ultima. *Etenim ratio*] Confirmatur definitionis communio é communione differentiæ & ejus effectis. *Doctrina differens*] διαφέρει δὲ πάμπολυ μαθὼν μὴ μαθόντος, καὶ ὁ γυμνασάμενος τοῦ μὴ γεγυμνασμένου: Differt autē plurimum doctus ab indocto, & exercitatus ab inexercitato, ait Plato 6 Legum. *Facultate par*] Id est, similis: nec enim vel inventione rerum, vel judicio, vel memoria pares sunt omnes homines; cúm sint alii acuti, alii obtusi, alii leves, alii considerati, alii memores, alii obliviosi: sed omnes tamen discendi facultatem habent, eaq; similes sunt. *Nam &*]. Differitur proposita rationis communio ex communibus ejus instrumentis, sensuum, sensilium, intelligentiarum naturalium, orationis. *Quæ movent*] Periphrasis est τῶν αἰσθητῶν, sensilium: quod verbum apud Lucretium legitur lib. 2,

Ex insensilibus nil credas sensile gigni.

Ea veró Aristoteles 5 cap. 4 lib. philosophiæ appellat τὰ ὑποκείμενα, ἃ ποιεῖ τὴν αἴσθησιν, subjecta quæ faciunt sensum. *De quibus dixi*] Bis antea dixit, Rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias enodavit. Item, Quorum ex prima & inchoata intelligentia, genera cognovit. *Interpresque*] Id est, nuncia, ut sensus interpretes ac nuncii dicti sunt. *Verbis discrepans*] Sic Aristoteles initio τῆς ἑρμηνείας ait, φωνὰς καὶ γράμματα, id est, voces & scripturas, esse symbola & signa sensorum mentis, apud omnes non eadem; sensa veró ipsa, quæ vocat τὰ τῆς ψυχῆς παθήματα, apud omnes eadem. *Nec est*] Probatur instituta hominum similitudo ex adjuncta omnibus ad virtutem propensione. *Nec solum*] Disputatur idem longiore adjunctorum omnibus hominibus affectuum inductione, sed involuta & fortassis etiam mendosa. *Illecebra*] δέλεαρ κακῶν, esca malorum, in Timæo dicitur; de quo sic de Senectute Cicero: Diviné enim Plato escam malorum voluptatem appellat, quód ea videlicet homines capiantur, velut hamo pisces. *Molestia*] Adhuc fuit topica ἡ ἐπὶ ταυτὰ ἀκολούθησις quædam, sed confusa (ut jam dixi) voluptas in summis bonis ascíscitur, dolor in maximus malis ducitur: vita expetitur, mors fu-

gitur, honorati beati, inglorii miseri. Hic genera quatuor ponuntur, quibus superiora sunt omnia comprehensa: duo præsentis, molestia & lætitia; duo futuri, cupiditas & timor. *Nec si*] Prolepsis est, Quanvis populorum de diis variæ sint opiniones, universi tamen Deos habere volunt: sicut pauló anté, Nulla gens est, neque tam immansueta, neq; tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. *Canem*] Ægyptii multas beluas propter utilitatem consecrarunt, Ibim, Aspidem, Felem, Canem, Crocodilũ, Apim bovem, Ichneumonem: easq; tam religiosé coluerunt, ut quamvis carnificinam anté subiissent quám violassent, quorum etiam si imprudentes quippiam fecissent, pœnam nullam recusabant, ut est 5 Tuscul. & 1 de Natura Deorum duobus locis. De iis superstitionibus amplé Juvenalis 15 Satyra. Plinius porró lib. 6, cap. 30, ait ab Æthiopibus Ptoemphanis pro rege canem haberi, motu ejus imperium augurantibus: & ejusdem lib. cap. 29, felem auream á Rhadatis pro Deo coli. *Quæ autem*] Continuatur eadem similitudo ex adjuncto & communi virtutum amore, vitiorum odio. *Quibus ex rebus*] Concluditur naturalis hominum societas, unde naturalem quoque legem esse constet. Hæc igitur sententia est: Cúm ex similitudine hominum inter se communi, nempe definitione, ratione, rationisque communibus instrumentis, sensibus, sensilibus, intelligentiis inchoatis, oratione, communi natura, communibus affectibus, communi tum virtutum amore, tum vitiorum odio, pateat societas hominum: extremum quod concludatur est, recté vivendi ratione, quæ lex est, homines effici meliores, eamq; ideo hominis naturæ congruere.

L. ab alio, L. Atque hoc in omni hac disputatione sic intelligi volo, jus id, quod dico naturã esse:

M. *Sequitur igitur, ad participandum alium alio, communicandumq; inter omnes, justos natura esse factos." Atq; hoc in omni hac disputatione sic intelligi volo, quód dicam naturam esse: tantam autem esse corruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur á natura dati, exortan-*

exorianturque & confirmentur vitia contraria. Quòd si, quomodo est natura, sic judicio homines humani (ut ait Poeta) nihil à se alienum putarent, coleretur jus æquè ab omnibus: quibus enim ratio natura data est, iisdem etiam recta ratio data est, ergo & lex, quæ est recta ratio in jubendo & vetando: Si lex, jus quoque: at omnibus ratio: jus igitur datum est omnibus. Rectèque Socrates execrari eum solebat, qui primus " utilitatem à natura sejunxisset: id enim querebatur caput esse exitiorum omnium: unde enim illa Pythagorea vox, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, καὶ φιλίαν ἰσότητα. *Ex quo perspicitur, cùm hanc benevolentiam latè longèque diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute præditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium, ut nihilo sese plus, quàm alterum diligat: quid enim est quod differat, cùm sint cuncta paria? Quòd si interesse quippiam tantulum modò potuerit, etiam amicitiæ nomen occiderit: cujus est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid, quàm alteri maluerit, nulla sit. Quæ præmuniuntur omnia reliquo sermoni, disputationique nostræ, quò faciliùs jus in natura esse positum intelligi possit. De quo cùm perpauca dixero, tum ad jus civile veniam, ex quo hæc omnis est nata oratio. Q. Tu verò jam perpauca scilicet: ex iis enim quæ dixisti, Attico videtur, mihi quidem certè ex natura ortum esse jus. A. An mihi aliter videri possit, cùm hæc jam perfecta sint? primùm quasi muneribus Deorum nos esse instructos & ornatos: secundo autem loco, unam esse hominum inter ipsos vivēdi parem, communemque rationem: deinde omnes inter se na-*

fort. utilitatem ab honestate sejunxisset.

turali quadam indulgentia & benevolentia, tum etiam societate juris contineri. Quæ cúm vera esse recté (ut arbitror) concesserimus, qui jam licet nobis á natura leges & jura sejungere? M. Recté dicis: & res sic se habet.

SEQUITUR IGITUR] Tertium principis quæstionis argumentum sequitur ex adjuncta hominibus & naturali benevolentia, unde legem etiam naturalem esse constet. *Participandum*] Plautus in Persa, Prædam dividam & participabo. Idem in Cistel. Paternum servum participat consilii sui: & idem in Milit. Suo sermone aliquem participaverit. Cicero 2 Tusculana aliter, Qui alteri exitium parat, eum scire oportet, sibi paratam pestem, ut participet parem. Nunc pauló secus, participare alium ab alio. Livius 3 libr. etiam aliter, Suas laudes participare cum Cæsone. quare tam variam hujus verbi syntaxin considerabis. *Iustos natura*] Id est, ad justitiam natos, ut antea: Nihil est profectó præstabilius, quám plané intelligi nos ad justitiam esse natos. *Atque hoc*] Prolepsi repetitur superior illa depravatæ naturæ caussa, mala nempe consuetudo, qua lex non naturalis esse videatur. Syllogismus sic est,

Si naturæ esset integra, lex coleretur:
Primum falsum:
Secundum igitur.

Assumtio præcedit: hoc judicii genus est ἀσυλλόγιστον, frequenter tamen incidit. *Corruptelam*] Dixit antea, Quód si depravatio consuetudinum, si opinionum varietas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocunque cœpisset: Et postea locus idem sexto argumento copiosiús tractabitur, Sed perturbat nos opinionum varietas. *Quod si*] Propositio est syllogismi, Si natura hominis esset integra, jus æqué coleretur. locus autem poëtæ qui citatur hic, est apud Terentium in prima scena primi actus Heautont. Homo sum, humani á me nihil alienum puto. Itaq; Cicero Terentii integrum versum non cepit, sed ejus quædam tantúm verba proposito suo accommodavit. *Quibus enim*] Sorites est quatuor graduum: ubi concluditur

ditur á definitione legem esse naturalem. Cicero tres primos gradus in propositione comprehendit, & extremum tantúm concludit:

Quibus ratio naturá data est, iisdem & recta ratio & lex & jus:

At omnibus ratio:

Jus igitur.

Recteq; Socrates] Illustratio est ex authoritate Socratis, & Pythagoræ. Socrates apud Platonem multis locis stultam hominum avaritiam reprehendit: & in Republ. cōmunionem fortunarum omnium instituit, proprium nihil relinquit, quin hospes 5 de Republ. privatis civibus aurum atq; argentum prorsus adimit: cúmq; agri publici primas possessiones divisisset, earum emtorē, & venditorem, imprecationibus primorum, secundorum, tertiorum sacrorum, per omnes sacerdotes, tum viros, tum mulieres, execrandum esse sancit: eodemq; libro utilitatem á natura, id est, honestate naturali, nullam sejunctam: Et in Alcibiade justū, honestum, utile, idem esse disserit. Idem porró Socratis dictum repetitur 3 libro Offic. cúm de utili & honesto per Panætium inconstanter disjunctis Cicero loquitur: Itaq; accepimus Socratem execrari solitū eos, qui primúm hæc natura cohærentia, opinione distraxissent: cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut & quicquid honestū esset, id utile esse censerent, nec utile quicquam quod non honestum: Hæc Cicero. Itaq; duobus illis locis significat præcipuam aliquam Socratis execrationem de primo authore persuasionis ejus, qua persuasum est, aliud utile, aliud honestum esse. *Pythagorea vox*] τὰ τῶν φίλων κοινὰ, καὶ φιλίαν ἰσότητα, Res amicorum communes, & amicitiam æqualitatem. Laertius in vita Pythagoræ dicit á Pythagora definitam φιλίαν ἐναρμόνιον ἰσότητα, congruam & consonam æqualitatem: communionem veró illam derisit Epicurus, diffidentiumq; potiús quám amicorum illud esse dixit, ut Laertius in Epicuro. εἶπέ τε πρῶτος, ὥς φησι Τιμαῖος, κοινὰ τὰ φίλων εἶναι, καὶ φιλίαν ἰσότητα· καὶ αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ κατετίθεντο τὰς οὐσίας εἰς ἓν ποιούμενοι: Dixitq; primus, ut ait Timæus, communes res amicorū esse, & amicitiā æqualitatem: & ipsius discipuli facultates in cōmune conferebant.

Idemque Laertius ibidem ait à Pythagora. *Ex quo*] Consectarium de proxima Pythagoræ sententia, In amicis omnia paria sunt: Ergo pariter amicos ac nosipsos amamus. *Quid enim*] Argumentum à contrario, Omnia paria, nihil igitur impar aut differens: quod idem confirmat ex adjunctis amicitiæ. *Quæ præmuniuntur*] Significatio est conclusionis, quare lex est naturalis. *Præmuniuntur*] præparantur: sicut antea dixit, Quám illa ipsa quorum hæc caussa præparantur. Ergo disputatur jus natura constare, idq; præmunitur ad futuram de jure civili disputationem. *Tu vero*] Confirmatur eadem conclusio assensione Epicurei Attici, licet Epicurei Rempubl. & leges neq; norint, neque nosse voluerint unquam, ut mox Cicero: tantum abest, ut illam hominibus naturalem legem faciant: deinde Quinti fratris, qui Stoicorum arcē primo de Divinatione defendere dicitur. *An mihi*] Attribuitur Attico ad ejus assensionem confirmandum epilogus trium antecedētium argumentorum. *Quasi muneribus*] Pars tantúm primi argumenti est: ad probandum siquidem communionem legis divinæ & humanæ, cognationemq; Deorum & hominum, munera divina posita de frugibus, pecoribus, artibus, mente, sensibus, intelligentiis primis, corporis habilitate. *Quæ cúm vera*] Propositio est syllogismi, cujus assumtio præcessit.

Si verum sit hominum legem, Deorum esse legem, homines q; ipsos inter se tum societate, tum benevolentia naturali contineri; lex sanè naturalis est:
At primum:
Secundum igitur.

Verúm philosophorum more, non veterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiæ, quæ fusé olim disputabantur ac liberé, ea nunc articulatim distinctéq; dicuntur: nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum, naturæ esse jus, disputarint. A. *Et scilicet tua libertas disserendi amissa est: aut tu is es, qui in disputando non tuum judi-*

judicium sequare, sed authoritati aliorum pareas.
M." *Non semper Tite: sed iter hujus sermonis quod* al. Non semper ita: sed
sit, vides: ad Reipubl. firmandas & ad stabiliendas
vires, sanandos populos, omnis nostra pergit oratio.
Quocirca vereor committere, ut non bene provisa
& diligenter explorata principia ponantur: nec tamen ut omnibus probentur (nam id fieri non potest) sed ut eis, qui omnia recta atq; honesta per se expetēda duxerūt, & aut nihil omnino in bonis numerandum, nisi quod per seipsum laudabile esset, aut certé nullum habēdum magnum bonum, nisi quod veré laudari sua sponte posset: his omnibus (sive in Academia vetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt: sive Aristotelem & Theophrastum, cum illis re congruentes, genere docendi paulùm differentes, sicuti sunt: sive, ut Zenoni visum est, rebus non commutatis immutaverunt vocabula: sive etiam Aristonis difficilem atq; arduam, sed jam tamen fractam & convictam sectam secuti sunt, ut virtutibus exceptis atq; vitiis, cætera in summa æqualitate ponerent) his omnibus hæc, quæ dixi," probantur: sibi autem indulgentes, L. probētur. Sibi
& corpori deservientes, atq; omnia, quæ sequantur in vita quæq; fugiant, voluptatibus & doloribus ponderantes, etiamsi vera dicunt (nihil enim opus est hoc loco litibus) in hortulis suis jubeamus dicere, atq; etiam ab omni societate Reipubl. cujus partem nec norunt ullam, nec unquam nosse voluerūt, paulisper facessant rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam hanc ab Arcesila & Carneade recentem exoremus, ut sileat: nam si invaserit in hæc, quæ satis scité nobis

instructa & composita videntur, nimias edet ruinas: quam quidem ego placare cupio, submovere non audeo.

VERÚM PHILOSOPHORUM] Sequitur quartum argumentum de sententiis philosophorum, ad quarum assensioně longioris disputationis ratio præmunitur. Sententia loci pauló obscurior est. Philosophi quidam veteres olim fusé ac liberé non habita sententiarum alienarū ratione disputabant, ut Thales, Heraclitus, Democritus, Anaxagoras: recentiores veró articulatim habita judiciorū alienorum ratione. Ideoq; instruxerunt sapientiæ officinas, in quibus distinctè quaq; de re varias opiniones proposito suo vel contrarias refellunt, vel consentaneas assumunt: ut Plato, sed multo magis Aristoteles, item Stoici. Horum itaq; more Cicero significat se disputaturum sententias & opiniones philosophorum, quomodo præsenti quæstioni consentiant: quod faciet. *Et si licet*] Resistitur factæ præmunitioni ex adjunctis: Tu liber es, nec soles aliorum opiniones curare. Profitetur autem Cicero plerunq;, ut in quæstionibus Academicis, Natura Deorum, Divinatione, Academicum se esse: interdū veró, ut in Republica & Legibus, ἐκλεκτικὸς potiús est, deq; omnibus sectis eligit quod sibi commodius est. *Non semper*] Defenditur illa præmunitio ex fine disputationis ad omnes populos spectantis, & idcirco sunt opiniones hominum considerandæ. *Iter hujus*] Sic ad Fratrem libro 3, Quare neq; ego impediri Ciceronis iter, atq; illam disciplinam volo, & ipse puer magis illo clamatorio genere duci & delectari videtur: in quo quoniam ipsi quoq; fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus. *Nec tamen*] Enumerantur primó philosophi, quibus lex naturalis esse videatur, Platonici, Peripatetici, Stoici, Aristonii, in quo longum est hyperbaton. *Omnia recta*] Id horum philosophorum, quos posui, commune est. *Et aut* Stoicorum illud est. quod & locis nonnullis apud Platonem docetur. *Academia*] Appellat nunc Academiā veterem, Platonis in Academia successionem: eamq; distinguit á Peripateticis, quos septimo libri hujus argumento in eadem comprehendit,

hendit, ſicuti totam Platonis ſucceſſionem uſq; ad Arceſilam. *Speuſippo*] Speuſippus Platonis nepos & diſcipulus & in Academia ſucceſſor annos 8 docuit: cujus condiſcipulus Xenocrates poſt eum Academiæ 25 annos præfuit; quem ſecutus Polemo, é luxurioſo nepote factus conſtantiſſimus philoſophus, in eadē docuit. De quibus, ſicuti de Ariſtotele & Theophraſto, vide Laertium: Ariſtoteles veró in Lyceo altero gymnaſio docuit, in eodemq; Theophraſtus, & ejus ſucceſſores. *Genere docendi*] Hanc Platonicorū & Academicorū conſenſionem Cicero ſæpe nominat. Platonis authoritate (ait in primo Academico) qui varius & multiplex & copioſus fuit, una & conſentiens duobus vocabulis philoſophiæ forma inſtituta eſt, Academicorū & Peripateticorum; qui rebus congruentes, nominibus differebant. *Zenoni*] Zeno Cittieus Stoicorū princeps & inventor, magnificentia verborū & gloria delectatus eſt, ut eſt quarto de Finibus. Itaq; verba philoſophiæ magis quám decreta immutavit. Quod honeſtū eſſet, id ſolum numeravit in bonis, turpe in malis: cæterorum alia ſecundum naturam, alia contra dixit, alia media: quæ ſecūdum naturam eſſent, alia præpoſita, quæ pluris eſſent; alia rejecta, quæ minoris. Virtutes præterea omnes ratione cōſtare, & ſejungi non poſſe, diſſeruit: cúm ſuperiores, virtutes quaſdam natura, aut more perfectas & ſejunctas feciſſent: aliaq; eiuſmodi verbis magis commutavit quám rebus. vide Ciceronem primo Academico: & hac de re dicetur iterū ſeptimo argumento huius libri. *Ariſtonis*] Ariſto Zenonis auditor reprobavit illa Zenonis magiſtri inter virtutes & pravitates media, earumq; ἀδιαφορίαν & ſummam inæqualitatem induxit. de quo vide Ciceronem in Lucullo. *His omnibus*] Hic finis eſt hyperbati. Ergo Platonici, Peripatetici, Stoici, Ariſtonii omnes legem eſſe naturalem, iusq; non opinione hominū, ſed natura conſtare profitentur; quoniam omnes quod honeſtum ſit, per ſe ſuaque natura, non opinione expetendum duxerint. *Sibi autem*] Enumerantur ſecundo loco philoſophi, qui nil de hàc quæſtione ſtatuunt, Epicurei, novi Academici. Epicureos autē Cicero (quos ſua periphraſi deſcribit) cavil-

latur ut ignavos & hujus politicæ quæſtionis ignaros. *Hortulis*] Laertius de diſcipulis Epicuri, οἳ καὶ πανταχόθεν πρὸς αὐτὸν ἀφικνοῦντες καὶ συνεβίουν αὐτῷ ἐν τῷ κήπῳ, ὃν καὶ ὀγδοήκοντα μνῶν πρίασθαι: Qui undiq; ad ipſum convenientes, uná cum illo vivebant in hortis, quos octoginta minis emerat: id eſt, coronatis noſtris octingentis. De his hortis in Finibus ſic Atticus loquitur: Sum equidem multũ cum Phædro in Epicuri hortis, cujus imaginem nõ ſolùm in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis & annulis habent. *Reipubl.*] οὐδὲ πολιτείας ἥψατο, neque Rempubl. attigit, ait de Epicuro Laertius: ſed id modeſtiæ Epicuri tribuit, quod nunc ignorantiæ Cicero: ſicut aliás, ut 1 de Finibus, ineruditum facit Epicurum. De cætero, ait vellem equidem aut ipſe doctrinis fuiſſet inſtructior (eſt enim nõ ſatis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellãtur) aut ne deterruiſſet alios á ſtudiis. Quare Cicero ab Epicureis nõ ait jus opinione conſtitui, ſed affirmat ab illis hanc quæſtionem prorſus ignorari, prorſusq; non attingi. *Perturbatricem*] Novæ Academiæ, quæ certa & indubitata, more ſectarum aliarum, dogmata non habebat, ſed pro rebus omnibus & contra omnes diſſerebat: primus author Arceſilas fuit, auditor primó Theophraſti, deinde Crantoris: εὑρεσιλογώτατος, ἀξιωματικώτατος, πιστικώτατος, ut de eo eſt apud Laertiũ: quibus epithetis ſumma ejus logica ſignificatur. Hunc ſecuti (ut eſt in Lucullo) ſunt Lacydes, Euander, Egeſinus, Carneades, Clitomachus, Philo: ſed omnium præſtantiſſimus Carneades fuit, qui nullam rem unquam oppugnavit, quam non expugnavit, ut eſt Oratorio ſecũdo. Ergo Ciceronis hic locus ſuperiori contrarius eſt. Ille Epicureos ut delicatos & ignaros deſpicit, hic veró novos Academicos ut valentes logicos, diſputatoresq; acres reformidat.

L. & ut ſint, tamen perſæpe falſa ſunt: quám

** nam & in iis ſine illius ſuffimentis expiati ſumus. At veró ſcelerum in homines, atq; impietatum nulla expiatio eſt. Itaq; pœnas luunt non tam judiciis, quæ quondam nuſquam erant, hodie multifariam nulla ſunt;" ut ſint tamen, perſæpe falſa ſunt, quám*

quàm ut eos agitent, insectenturq; furiæ, non ardentibus tædis, sicut in fabulis, sed angore conscientiæ, fraudisq; cruciatu. Quòd si homines ab injuria pœna, non natura arcere deberet, quænam solicitudo vexaret impios sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnueret á se commissum esse facinus, aut justi sui doloris caussam aliquam fingeret, defensionemq; facinoris" á natura jure aliquo quæreret. Quæ si appellare audent impii, quo tandem studio colentur á bonis? Quòd si pœna, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab injuriosa facinorosaq; vita; nemo est injustus:" at incauti potiús habendi sunt improbi. Tum autem qui non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atq; fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testē, vel judicem? quid in deserto loco nactus quem multo auro spoliare possit imbecillum atq; solum? Noster quidem hic natura justus vir ac bonus etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet. Is veró qui nihil alterius caussa facit, & metitur suis commodis omnia, videtis credo quid sit" acturus: quód si negabit se illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, nunquam ob eam caussam negabit, quód etiam id natura turpe judicet: sed quod metuat ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modó docti, verúm etiam agrestes erubescant.

conscientia, ut eos ag.

L. á naturæ jure al.

L. sed inc. *al.* & inc.

L. facturus.

NAM ET] Quintum argumentum sequitur de conscientia hominibus naturaliter adjuncta, unde sequitur legem (quæ jubeat & prohibeat idem quod conscientia) na-

turalem quoq; esse. *Suffimentis*] Suffimenta Romanarum expiationum fiebant ex faba, milioq; molito, mulsoque sparso, ut Festus ait: eaq; Diis eo tempore dabātur, quo uvæ calcatæ prelo premebantur. de his expiationibus dicetur secundo libro, ad illam legem: Sacrū commissum quod neq; expiari poterit, impié commissum esto; quod expiari poterit, sacerdotes publici expianto. *Quondam*] Aurea ætate, de qua Plato in Politico, & quarto Legum, & Ovidius primò Metamorph.

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumq; colebat:
Pœna metusq; aberant, nec vincla minacia collo
Ære ligabantur: nec supplex turba timebat
Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti.

Multifariam] Aliquando multis modis, nunc multis locis: quod Festus sic interpretari videtur, Quod videlicet (ait) in multis locis fari poterat, id est, dici. Sic Oratorio secundo, Aurum multifariam defossum Cicero ait, id est, multis locis *Quám ut eos*] Sententia comparationis est, Non tam luunt pœnas judiciis, quám quód eos agitent & insectentur furiæ. *Furiæ*] Locus hic de conscientia pro Milone adhibetur: Magna vis est conscientiæ, Judices, & magna in utranq; partem, ut neq; timeant qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarunt. Sed & pro Roscio Amerino, & in Pisonem amplé & magnificé tractatur, quemadmodum quód in fabulis impii furiarum tædis ardentibus agitentur, id ad conscientiæ terrorem referendum sit, quia sua quenq; fraus, suum scelus exagitat: ab Ovidio 1 Fast. brevius,

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemq; metumq; suo.

In fabulis] Synecdoche est, genus nempe pro specie: nec enim in omnibus fabulis, sed in tragœdiis solúm tam atrocia malæ conscientiæ exempla repræsentantur. *Quod si*] Revertitur ad idem conscientiæ argumentum:

Si jus naturale non esset, nullus esset impius, remoto supplicii metu, conscientiæ terror:
Secundum falsum:
Primum igitur.

Quorum tamen] Assumtionis sententia: Sed remoto supplicii metu, tamē conscientiæ terror superest impiis; quod eorum factis approbatur, negatione scelerum aut juris naturalis defensione. *Quasi*] Complexionis sententia, quare jus est naturale, comparatione hac comprehenditur: quare si naturale jus ab impiis appellatur, quanto magis á bonis. *Appellare*] id est, implorare in auxilium, ut pro Quintio: Quid agendum est? quis Deus appellandus est? cujus hominis fides imploranda est? Et pro Milone: Vos, vos appello fortissimi viri. *Quòd si*] Continuatur ex adjunctis eadem disputatio:

Si pœna deterret à peccato, non lex naturalis, nullus est injustus:
Secundum absurdum:
Primum igitur.

Propositio declaratur dissimili, Incautus esset is, non injustus. Caussa de contrariis utriusq; petitur, quia justus honesto movetur, ut bonus sit; cautus & callidus, utilitate. Disputatio autem hæc in primo & secundo Reipublicę Platonicæ nonnihil attingitur: ubi Thrasymachus appellat justitiam non vitium, ἀλλὰ πάνυ γενναίαν εὐήθειαν, sed valde generosam stultitiam; injustitiam non virtutem, ἀλλὰ εὐβουλίαν, sed calliditatem. *Callidi*] Versutos appello (ait Cicero 3 de Natura Deorum) quorum mens celeriter versatur: callidos autem, quorum tanquam manus opere, sic animus usu concalluit. *Nam quid*] Dissimilitudo justi & cauti ex subjectis utrique & propositis paribus occasionibus. *Noster quidem*] ἀνταπόδοσις de justo, qui si (ut jam dixi) omnes peccandi occasiones, si Gygis annulum, imó galeam Plutonis habeat (ut ait Plato 4 & 10 Reipubl.) á justitia tamen nunquam discedet. *Is verò*] Repetitur ejusdem dissimilitudinis πρότασις, & additur præterea injustū, si nil nocuerit, calliditatis tamen caussa, non justitiæ, id acturum. *O rem*] Assumtionis est sententia, Sed hoc est indignissimum.

Jam verò stultissimum illud, existimare omnia justa esse," quæ sita sint in populorū institutis aut le- al. quæ scita sint

gibus. Etiámne si quæ sint tyrannorum leges, si triginta illi Athenis leges imponere voluissent? aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges justæ haberentur?" nihilo credo magis illa, quám interrex noster tulit, ut Dictator, quem vellet civium, indicta caussa impuné posset occidere: Est enim unum jus, quo devincta est hominum societas, & quod lex constituit una. Quæ lex est recta ratio imperandi atq; prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta usquam, sive nusquam. Quód si justitia est obtemperatio scriptis legibus, institutisq; populorum, & si (ut iidem dicunt) utilitate omnia metienda sunt: negliget leges, easq; perrumpet, si poterit is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit, ut nulla sit omnino justitia, si neq; natura est, & ea quæ propter utilitatem constituitur," utilitate illa convellitur. Atqui si natura confirmatum jus non erit, virtutes omnes" tollantur: ubi enim liberalitas, ubi patriæ charitas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit existere? nam hæc nascuntur ex eo, quód natura propēsi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum juris est: neq; solúm in homines obsequia, sed etiam in Deos cærimoniæ, religionesq; " tolluntur: quas non metu, sed ea conjunctione, quæ est homini cum Deo, conservandas puto. Quód si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum, jura constituerentur: jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur.

fort. nihilo magis, quám illas, quam int.

fort. utilitate illa sublata conv.

L. tollentur.

L. tollentur.

JAM VERÓ] Interponitur ex adjunctis suis thesis contraria:

Si jus hominum opinione decretisq; constet, tyrannica instituta justa erunt:

Secundum falsum:

Primum igitur.

Vide 10 Legum Platonis hanc opinionem, quód jus non natura, sed opinione constet: tamen ibi duntaxat proponitur, non refellitur. *Triginta*] Historia est apud Justinũ lib. 5, quomodo Athenis per Lysandrum Spartiatam victis Atheniensibus triginta rectores sunt impositi, qui tyranni facti, cædibus & exiliis & proscriptionibus civitatem miseré afflixerũt, tandemq; Thrasybulus collecta popularium exulum manu patriam recuperarit. *Nihilo*] Assumtionis est sententia, primó collatione parium, tum legis subjecto & definitione declarata. Leges igitur istæ tyrannicæ nihilo magis justæ sunt, quám lex L. Flacci, qua Syllæ tyrannicam illam dictaturam præbuit, qua posset indicta caussa quem vellet civium necare. Necavit autem apud Collinam urbis portam septuaginta millia Romanorum, in publica via quatuor millia, duo millia senatorii & equestris ordinis proscripsit; Spoletũ, Interamnum, Præneste, Fluentiam, Sulmonem hasta posita vendidit, ut Florus lib. 3, cap. 21, scribit. Vix autem de omni Dictatore locus hic intelligi potest, cui tametsi regia potestas erat, attamen regium nũquam fuit, indicta caussa quem vellet civium necare; nec á Romano Dictatore (nisi forté qui judicium subire nollet, viq; se defenderet, ut Melius) indicta caussa quisquam necatus legitur. *Interrex*] Interrex & interregnum proprié dicuntur, dum rex regnumq; vacát, ut á mortuo Romulo ad creatum Numam patres singuli vicissim interreges fuere: & illud proprié fuit interregnum: regibus tamen exactis etiam Romæ dicebatur interrex, qui propter absentes, aut defunctos consules, novis consulibus creandis, aut Dictatori creando comitiis præerat, ut tum L. Flaccus: de cujus lege tertia Agraria Cicero sic loquitur: Omnium legum iniquissimam, dissimillimamq; legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sylla tulit, ut omnia quæcunq; ille fecisset, essent rata. *Recta*

ratio] Sic sæpè jam lex est definita. *Quòd si*] Secunda refutatio ejusdem theseos ex adjunctis: Si justus est ejusmodi, nulla justitia erit. *Obtemperatio*] Interdum nomina regunt casus suorum verborum, ut reditus in gratiam: sic obtemperatio legibus: quod ubi fiat à bonis authoribus, observandum est, temere nihil innovandum. *Ut iidem*] Thrasymachi est oratio apud Platonem primo de Republ. justitiæ utilitatem præponi: sic tyrannicas, aristocraticas, democraticas leges ad tyrannorum, optimatum, populorum utilitatem spectare: cui Socrates resistens, concludit idem justum & injustum futurum, quia princeps per imprudentiam ferre possit sibi inutile: cui qui parebit, justus erit, quia scriptis legibus parebit, & injustus, quia faciet quod erit inutile legis authori. *Atqui si*] Sextum principis quæstionis argumentum ex adjunctis, Si lex non est naturalis, virtutes omnes tollentur: quod inductione declaratur, & caussis virtutum. *Quod si populorum*] Revocatur illa contraria thesis de lege scripta, & adjunctis aliis refellitur:

Si justum opinione contineretur, jus esset latrocinari:
At secundum absurdum est:
Primum igitur.

fort. Quòd si tanta pot. est stultorũ, ut eorũ sententiis, jussis atque suffragiis rer. nat. vert.

" *Quæ si tanta potentia est, stultorum sententiis atq; jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur: cur non sanciunt, ut quæ mala, perniciosaq; sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus? aut cur, cùm jus ex injuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam à mala nulla alia nisi naturali norma dividere possumus: nec solùm jus & injuria natura dijudicatur, sed omnino omnia honesta ac turpia: nam & communis intelligentia nobis notas res efficit,* " *casq; in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in opinione existimare, non in natura* " *ponere, dementis est: nam nec arboris, nec equi virtus quæ dicitur,*

fort. eas quas in an. I. posita,

in quo abutimur nomine, in opinione sita est, sed in natura: quód si ita est, honesta quoq; & turpia naturâ dijudicanda sunt. nam si opinione universa virtus, eadem ejus etiam partes probarentur. Quis igitur prudentem, &, ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa judicet? Est enim virtus perfecta ratio, quod certé in natura est. Igitur omnis honestas eodẽ modo: nam ut vera & falsa, ut consequentia & contraria, sua sponte, non aliena judicantur: sic constans & perpetua ratio vitæ, quæ est virtus, itemq; inconstantia, quod est vitium, sua natura probatur." Nos ingenia juvenum nõ ratione ab ingenita natura virtute, sed vitia quæ existũt ab ingeniis judicamus: an ea non aliter quám honesta & turpia, nõ ad naturam referri necesse erit?

L. Nos ingenia juvenũ nõ ratione, sed natura judicamus. cur nõ item ab ingenita natura virtutes, & vitia, quæ exsistunt ab ing. judicabimus? An ea aliter quám hon. &c.

QUAE] Assumtionis sententia ex contrariis: At hæc absurda sunt, quia rerum natura verteretur, fieretq; idem bonum & malum. *Atqui nos*] Pro complexione, quare lex non constat opinione, contrarium ponitur, quód lex natura constet. *Nam &*] Confirmatio complexionis ex efficiente caussa legis. *Communis intelligentia*] Intelligentia naturalis, nunc appellatur communis: quæ dicta est antea prima, inchoata, in animis impressa. Observavit autem Nizolius in Ciceronem, intelligentiæ verbum perpetuũ esse, pro quo recentiorés, Seneca, Quintilianus, Plinius, intellectus nomen usurparunt. *Hæc autem*] Argumentum est á paribus:

Si arboris & equi virtus natura cõstat, constat & hominis:

Primum verum:

Secundum igitur.

Socratica veró collatio est: sic Socrates quinto de Republ. connubia ætate florentiũ & robustorum cum paribus suadet, tali comparatione canum, avium, equorum, & sæpe collationibus illis utitur. *Nam si opinione*] Confir-

matio est ex axiomate generis, quod universum si posueris, species etiam ponentur. *Quis igitur*] Sententia complexionis, quare lex est naturalis: sic enim antea prudentia pro lege sumitur: itaq; arbitrantur prudentiam esse legem. *Catum*] Catum veteres acutum dicebant, teste Varrone de lingua Latina, postea pro cauto & prudente valuit. Plautus: Dii istam perdant, ita cata est & callida. *Virtus*] Sic antea: Est autem virtus nihil aliud quàm in se perfecta & ad summum perducta natura: & pauló póst, Constans & perpetua ratio. *Nam ut*] Similitudo est Logicæ prudentiæ, & Ethicæ virtutis, quæ similiter utraq. constat natura, non opinione. *Nos ingenia*] Hic comparatio quædam fuerat primorum naturæ seminum & virtutum ex iis ortarum: sed locus mendosus est.

Quod laudabile bonum est, in se habeat quod laudetur necesse est: ipsum enim bonum non est in opinionibus, sed in natura. nam ni ita esset, beati quoq; opinione essent: quo quid dici potest stultius? Quare cúm & bonum & malum natura judicetur, & ea sint principia naturæ: certé honesta quoq; & turpia simili ratione dijudicanda, & ad naturam referenda sunt. Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumq; dissensio: & quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus: illa, quæ aliis sic, aliis secus, nec iisdem semper uno modo videntur, ficta esse ducimus. quod est longé aliter. nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit á vero. Animis omnes tenduntur insidiæ; vel ab iis, quos modó enumeravi, qui teneros & rudes cúm acceperunt, inficiunt & flectunt, ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omniũ; cujus blanditiis

ditiis corrupti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac & scabie carent, non cernimus satis. Sequitur, ut conclusa mihi jam hæc sit omnis oratio, (id quod ante oculos ex iis est, quæ dicta sunt) & jus, & omne honestum sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam æquitatē & jus ipsum amant: nec est viri boni errare, & diligere, quod per se non sit diligendum: Per se igitur jus est expetendum & colendum.

QUOD LAUDABILE] Disputatur ex effectis ad caussam:

Si bonum natura non constat, neq; beatitudo:
Secundum falsum est:
Primum igitur.

Quare] Ex genere species concluditur: Bona malaq; natura constant, ergo honesta & turpia. *Principia*] Unde sequenda & fugienda omnia cognoscimus: sequēda nempe quæ bona, fugienda quæ mala. *Sed perturbat*] Repetitur tertio loco prolepsis eadem: fuit enim antea, Quód si depravatio consuetudinum, &c. Item, Tantam esse corruptelam malæ consuetudinis, &c. Ratio veró ejus hîc additur ex adjunctis: Sensus certi sunt, non varii, & ideo natura constant: animi ratio est incerta & varia, non igitur natura constat. Est veró locus hic de corruptelis animorum in sexto de Republ. apud Platonem, ut jam dixi in *Ne quid hic Epicureos allegemus*: Et initio tertiæ Tusculanæ egregié propositus á Cicerone de nutricibus, parentibus, magistris, poëtis, populo, á quibus variis erroribus imbuimur, & inficimur opinionum pravitate. *Quod est longe*] Solutio prolepseos ex caussa corruptelæ, quæ nulla quidem fit in sensu, in animo autem summa; eaque tum externa, in parentibus, nutricibus, magistris, poëtis, scenis, populo; tū insita in voluptate, nempe omnibus sensibus implicata. *Sensus*] Sensus in suis & propriis subjectis non falluntur, nisi fuerint vitiati, aut impediti: ut duorum oculorum dissimiliter affectorum de colore eodem diversum judicium

erit: aut si spacium majus minúsve fuerit, judicium sensus erit fallax: in alienis veró subjectis sæpé sensus falli potest. Oculus mel esse dixerit, quod bilis est; tactus ἐν ὑπάρξει τῶν δακτύλων, si digiti complicentur, plures ex uno lapillos esse judicabit: vide Aristotelẽ quarto libro primæ philosophiæ. *Non nutrix*] Cujus cum lacte pené errorem suxisse videamur. *Non magister*] Cui traditi ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsi cedat. *Non poeta*] Qui cúm magnam speciem doctrinæ sapientiæq; præ se tulerit, auditur, legitur, ediscitur, & inhærescit penitus in sensibus. *Multitudinis*] Cúm veró accedit eodem maximus quasi quidam magister populus, atque omnis undiq; ad vitia consentiens multitudo; tum plané inficimur opinionum pravitate, atque á natura desciscimus, ut est in tertia Tusculana. *Imitatrix*] Habet enim quiddam simile naturalis boni, ideoq; lenitate & suavitate delectans: sic ab errore mentis tanquam salutare aliquid asciscetur, ut antea fuit. *Malorum*] Sic in Senectute, Architas Tarentinus ait, nullam capitaliorem pestem corporis voluptate, hominibus á natura datam. *Sequitur*] Concluditur ex antecedentibus primaria quæstio, eaq; testimonio comprobatur:

Quicquid á bonis diligitur, per se diligendum est:
Jus á bonis diligitur:
Est igitur per se diligendum.

L. si ea: rel. *Quód si jus: etiam justitia: sic reliquæ quoq; virtutes per se colendæ sunt. Quid liberalitas? gratuitáne est, an mercenaria? si sine præmio benigna est, gratuita: si cum mercede, conducta: nec est dubiũ, quin is qui liberalis, benignúsve dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo item justitia nihil expetit præmii, nihil precii: per se igitur expetitur: eademq; omnium virtutum caussa, atq; sententia est. atq; etiam si emolumentis, non suapte natura virtus expetitur, una erit virtus quæ malitia rectissimé dicetur: ut enim quisq; maximé ad suũ*

commodum refert quæcunq; agit, ita minimé est vir bonus, ut, qui virtutem præmio metiuntur, nullam virtutem nisi malitiam putent. Ubi enim beneficus, si nemo alterius caussa benigné facit? Ubi gratus, si non eum ipsum, cui referũt gratiam, cernũt grati? Ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus & abjiciendus est desperatis emolumentis & fructibus: quo quid potest dici immanius? Quód si amicitia per se colenda est, societas quoq; hominum, & æqualitas, & justitia per se expetenda: quod ni ita est, omnino justitia nulla est: id enim injustissimum ipsum est, justitiæ mercedem quærere. Quid veró de modestia, quid de tēperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore, pudicitiaq; dicemus? infamiæ ne metu nõ esse petulantes, an legum & judiciorũ? Innocentes ergo & verecundi sunt, ut běne audiant. & ut rumorē bonum colligant, erubescũt, & pudet impudica loqui.

Quód si jus] Argumentum á conjugatis. *Quid liberalitas*] Continuatur eadem disputatio virtutum inductione, quæ per se & sua natura expetuntur, non opinione & fructu. Cicero primúm de liberalitate ex contrario disserit, & syllogismus hic involuitur:

Liberalitas aut gratuita est, aut mercenaria:
Non autem mercenaria:
Gratuita igitur.

Ergo item] Concluditur é paribus idem de reliquis virtutibus. *Atque etiam*] Argumentatur ex adjunctis: Si virtus fructu expetitur, malitia tantúm erit & astutia. *Malitia* Bonum & malum generaliter opponuntur, non autem sic bonitas & malitia: ut é Ciceronis his locis intelliges: quas enim Græci *κακίας* appellant, vitia malo quám malitias nominare, tertio de Finibus. Et ibidem: Sin *κακίαν* malitiam dixisses, ad aliud nos unum certum vitium

consuetudo Latina traduceret. Item, Virtutis contraria est vitiositas: sic enim malo quàm malitiam appellare, eam quam Græci κακίαν appellant: nam malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium, 4 Tuscul. Est enim malitia, versuta & fallax ratio nocendi, 3 de Natura Deorum. Ex his Ciceronis locis intelligitur, malitiæ nomine præcipué & specialiter significari fraudem, dolum, astutiam. *Ubi enim*] Illustratio propositionis per inductionem partium virtutis, & earum ex suis conjugatis definitionem. *Beneficus*] Id est, liberalis. Justitiæ conjuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatē appellare licet, 1 Offic. *Amicitia*] Sic 1 de Natura: Nulla est igitur charitas naturalis inter bonos. Charum ipsum verbum est amoris, ex quo amicitiæ nomen est ductum: quam si ad fructum nostrū referemus, non ad illius commoda quem diligimus; non erit ista amicitia, sed mercatura quædam utilitatum suarum. prata & arva & pecudum greges diliguntur isto modo. *Toto pectore*] Hanc parœmiam sic libro duodecimo Familiarium usurpat: Hanc cogitationē toto pectore complectare: & 13, de Scapulànis hortis toto pectore cogitemus: & sic apud Aristotelē in Ethicis παντὶ θυμῷ, toto animo. vide Eras. in Prov. Toto pectore. *Quo quid*] Assumtio per negationem proximi cōsequentis: sicut pauló anté: Quo quid dici potest stultius? *Quód si*] Concluditur é paribus & adjunctis idem de justitia quod conclusum priús est. *Quid veró*] Continuatur inductio virtutum aliarum quæ per se expetuntur.

Ac me istorum philosophorum pudet, qui nullum vitium vitare, nisi judicio ipso mulctarum putant. Quid enim? possumus eos, qui" stupro arcetur infamia metu, pudicos dicere, cúm ipsa infamia "propter rei turpitudinem cōsequatur? Nam quid aut laudari rité, aut vituperari potest, si ab ejus natura recesseris, quod aut laudandū, aut vituperandum putes? An corporis pravitates, si erūt perinsignes, habebunt aliquid offensionis, animi deformitas

quid. á stupro propter *forte delendum.*

mitas non habebit? cujus turpitudo ex ipsis vitiis facillimé percipi potest. Quid enim fœdius avaritia, quid immanius libidine, quid contemtius timiditate, quid abjectius tarditate & stultitia dici potest? Quid ergo? eos qui singulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimẽta, aut cruciatus aliquos, miseros dicimus, an propter vim turpitudinemq; vitiorum? quod item ad contrariam laudem in virtute dici potest. Nam si propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid, quám virtutẽ, necesse est. Pecuniámne igitur? an honores? an formam? an valetudinem? quæ & cúm adsunt, perparva sunt, & quám diu affutura sint, certum sciri nullo modo potest. An, quod turpissimum dictu est, voluptatem? at in ea quidem spernenda & repudianda virtus vel maximé cernitur.

PHILOSOPHORUM] Quales apud Platonem primo de Republ. Thrasymachus, & in Gorgia Callicles, & deinde Epicurei. *Quid enim*] Argumentatur ex caussa:

Qui recedit á natura laudanda & vituperanda rei, nil rité laudare potest, aut vituperare:
At hi philosophi recedunt:
Nil itaq; rite laudare possunt aut vituperare.

Quód vero recedant, eo constat, quód metu infamiæ peccatum vituperant: at vituperii natura & caussa est in turpitudine. *An corporũ*] Collatio minorum est, si subjecta spectes. *Perinsigne*] Insignes non dicuntur quibus aliquid depravatum est in corpore: sed insigne dicitur á signo, quo aliquid notatum est, ut 3 Georg. *Nec mihi displiceat maculis insignis*, &c. Hinc per metaphoram hoc verbum laudis & vituperii commune est, ut Festus recté docet. sic Virg. ait, *Insignem pietate virum*, 1 Æneid. Et contrá pro Rabirio perduellionis reo Cicero dixit, hominem omnibus notis turpitudinis insignem. *Cujus turpitudo*] ἀπόδειξις approbatur inductione partium turpitudinis, avari-

tiæ,libidinis,timiditatis, ſtultitiæ quæ juſtitiæ, temperantiæ,fortitudini,prudentiæ opponuntur. *Quid ergo*] Conſectarium é ſuperiore diſputatione: Quare miſeri turpitudine vitii miſeri ſunt,& beati virtutis laude beati. *Nam ſi*] Differitur ex adjunctis,virtutem non ob aliud expeti:

Si virtus expetitur ob aliud,eſt aliquid ea melius:
Secundum falſum:
Primum igitur.

Aſſumtio declaratur inductione bonorum reliquorũ, quæ ſuis adjunctis refelluntur.

Videtisne, quanta ſeries rerum,ſententiarumq; ſit, atq; ut ex alio alia nectantur? Quin labebar longius,niſi me retinuiſſem. Q. *Quó tandem? libenter enim,frater, cum iſta ratione tecũ prolaberer.* M. *Ad finem bonorum,quó referuntur, &* " *cujus cauſſa ſunt facienda omnia,controverſam rem, & plenam diſſenſionis inter doctiſſimos,ſed aliquando tamen judicandam.* A. *Qui iſtuc fieri poteſt L. Gellio mortuo?* M, *Quid tandem id ad rem?* A. *Quia me Athenis audire ex Phædro meo memini, Gellium familiarem tuum, cúm Proconſul ex pratura in Graciam veniſſet , Athenis philoſophos,qui tum erant,in locum unum convocaſſe, ipſisq; magnopere authorem fuiſſe, ut aliquando controverſiarum aliquem facerent modum : quód ſi eſſent eo animo,ut nollent ætatem in litibus conterere,poſſe rem convenire:& ſimul operam ſuam illis eſſe pollicitum,ſi poſſet inter eos aliquid convenire.* M. *Joculare iſtud quidé, Pomponi, & á multis ſæpe deriſum: ſed ego plané vellem me arbitrum inter antiquam Academiam & Zenonem datũ.* A. *Quo tandem iſtuc modo?* M. *Quia de re una ſolúm diſſident,de cateris mirificé congruunt.* A. *Ain' tan-*

" al. cujus adſciſcendi cauſ.

tandem, una de re est solùm dissensio? M. *Quæ quidem ad rem pertineat, una: quippe cúm antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo juvaremur in vita, bonũ esse decreverint:" hic, nisi quod honestum esset, nihil putaverit bonum.* A. *Perparvam veró controversiam dicis, ac non eam quæ dirimat omnia?* M. *Probé quidem sentis, si re ac non verbis dissiderent.* A. *Ergo assentiris Antiocho familiari meo: magistro enim non audeo dicere: quocum vixi, & qui me ex nostris pené convellit hortulis, deduxitq; in Academiam perpauculis passibus.*

L. hic nihil, nisi quod honestum esset, putaverit bonũ.

VIDETISNE] Concluditur sextum argumentum, & deinceps septimum annectitur de fine bonorum, qui quia secundum naturam est, ideo lex quoq; secũdum naturam, quia lex summi boni doctrinam tantúm sibi proponit. Hic feré quartum argumentum repetitur de sentẽtiis philosophorum. *Quo referuntur*] Definitur quid sit finis bonorum, unde hæreses & sectæ philosophorum multæ natæ sunt: nec enim divisæ feré sunt philosophorum scholæ ob Logicam philosophiam, aut Physicam, quanquam est hic aliqua inter eos dissensio: sed ob Ethicam philosophiam præcipué, quæ bonorum & malorum fines terminat & constituit. *Qui istuc*] Prolepsis est de judice, id est judicii talis authore, quæ jocularite é judicis facto describitur. *Gellio*] Hic Gellius erat Orator non tam vendibilis, quám ut nescires quid ei deesset: nec enim indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor, & verbis solutus satis, ut est in Bruto. Hic Ciceroni civicam coronam deberi á Republica dixit, ut est in Pisonem. *Phædro*] Phædrus Epicureus, de quo sic primo de Finibus, cúm Torquatus Ciceronem de Epicuro judicem æquũ statueret, modó quæ dicat ille, bene noris: Hic mihi Phędrum (ait Cicero) aut Zenonem mentitum putas? quorum utrunque audivi, cúm mihi sané præter sedulitatem nihil probarent: omnes mihi Epicuri sententię satis notę sunt, atq; eos quos nominavi, cum Attico

nostro frequenter audivi, cúm miraretur ille quidem utrumq;, Phædrũ autẽ etiam amaret; quotidieq; inter nos ea quæ audiebamus, conferebamus: neq; erat unquam controversia quid ego intelligerem, sed quid probarem. *Proconsul*, Proconsul, proprætor est, seu distincta syntaxi pro consule, pro prætore, qui est consulari potestate aut prætoria. Sic pro consule mittitur hic Gellius, qui nondum tamen consul fuerat;& Pompejus eques tantum Romanus, missus pro consule ad maximum bellum dicitur á Cicerone pro lege Manilia. *Authorem*] Id est, hortatorem, suasorem: sic pro eodem conjunguntur hæc á Cicerone, Nõ supplex ut ad judicem venit orator, sed hortator atque author, in Partitionibus. Posthumius qui dedebatur, hujus deditionis suasor & author, 3 Offic. *Joculare*] Solutio quædam est illius prolepseos ex dissimili: quanquam id in magistratu ridiculũ, in philosopho tamen fortasse nõ erit ridiculũ: qua occasione ad componendos cum Academicis Stoicos descendit. *Antiquam*] Veterem Academiam dixit antea, sed pauló secus, cúm distingueret à Peripateticis, quos nunc in eadem videtur comprehendere: in definitione siquidem boni consentiebant cũ Platonicis Peripatetici;& tria similiter genera faciebant, animi, corporis, fortunæ. *Quippe cúm*] Dissensio igitur hæc una fuit in definitione boni. *Perparvam*]Non concedit Atticus, sed resistit:& locus per interrogationem legendus est, tanquam sine interrogatione diceretur: at hæc controversia maxima, & unde philosophiæ universæ differentia oritur. *Probe*]Solutio obiectionis, quæ iam anté in quarto argumento attingitur: Sive, ut Zenoni visum est, rebus nõ commutatis immutaverũt vocabula. *Ergo*] Significat hujus conciliationis authorem Antiochũ fuisse, qui cúm é nova Academia cõmigrasset in veterem, ut est 1 Academico, tamen Stoicos amaret, ut est in Lucullo, librũ edidit de hac conciliatione, ut est primo de Natura Deorum: multo tamen anté Carneades disputaverat, non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam, sed nominum, ut est tertio de Finibus. Istam tamen conciliationem Stoici ipsi vehementer improbabant, ut est 3 de Finibus. Nec certe erat inter Academicos & Stoicos de terminis, sed de tota possessione

ſeſſione contentio: Nam omnis ratio vitę definitione ſummi boni continetur, de qua qui diſſident, de omni vitæ ratione diſſident, ut in Lucullo. Antiochus veró Philonis auditor fuit, ut eſt Academico primo. *Hortulo*] Antea dixit, In hortulis ſuis jubeamus dicere: Metonymia eſt pro ſecta Epicurea. *Paſſibus*] Similis metonymia videtur pro Academicis diſputationibus: quo modo Cicero ait in oratore, ſe non rhetorum officinis, ſed Academiæ ſpaciis oratorem eſſe factum.

M. *Vir iſte fuit ille quidem prudens & acutus, & in ſuo genere perfectus, mihiq; ut ſcis, familiaris: cui tamen ego aſſentiar in omnibus, necne, mox videro: hoc dico, controverſiam totam iſtam poſſe ſedari.* A. *Quî iſtuc tandem vides?* M. *Quia ſi, ut Chius Ariſto dixit, ſolum bonum eſſe diceret, quod honeſtum eſſet; malumq;, quod turpe: cæteras res omnes plané pares, ac ne minimum quidem, utrum adeſſent, an abeſſent, intereſſe: valde á Xenocrate & Ariſtotele, & ab illa Platonis familia diſcreparet, eſſetq; inter eos de re maxima, & de omni vivendi ratione diſſenſio. nunc veró cúm decus, quod antiqui ſummum bonum eſſe dixerunt, hic ſolum bonum dicat: itemq; dedecus, illi ſummum malum, hic ſolum divitias, valetudinem, pulchritudinem, commodas res appellet, non bonas: paupertatem, debilitatem, dolorem, incommodas, non malas: ſentit idem, quod Xenocrates, quod Ariſtoteles; loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, ſed verborum diſcordia controverſia nata eſt de finibus: in qua quoniam uſucapionem* XII. *tabulæ intra quinq; pedes eſſe" voluerunt, depaſci veterem poſſeſſionem Academiæ ab hoc acuto homine non ſinemus: nec Manilia lege ſinguli, ſed" ex his tres arbitri fines regemus.* Q. *Quámnam igitur ſententiam dicimus?* L. noluerũt, L. é XII. tres arb.

Ti

VIR ISTE]Sic Antiochus in Lucullo laudatur; Antiochus me valde movet,vel quód amavi hominem,ficut ille me,vel quód ita judico politiſſimum & acutiſſimum noſtræ memoriæ philoſophorum omnium. & primo de natura Deorum,ſic á Balbo Stoico laudatur, ejus tamen conciliatio hæc non probatur.Ego ne?inquit ille.miror Antiochum hominem inprimis acutum, non vidiſſe intereſſe plurimum inter Stoicos,qui honeſta á commodis non nomine,ſed genere toto disjungerēt;& Peripateticos,qui honeſta commiſcerēt cum commodis, ut ea inter ſe magnitudine,& quaſi gradibus,non genere differrent:hæc enim eſt non verborum parva,ſed rerum permagna diſſenſio.

Quia ſi] Illuſtratur conſenſio diſſimilitudine:

Si Zeno ſentiret idem quod Ariſto,re diſcreparet ab Academicis:
Primum falſum:
Secundum igitur.

Genus concluſionis eſt ἀσυλλόγιστον, nec tamen rarum.

Nunc vero]Aſſumtio qua tollitur antecedens, & rerum in corporis & fortunæ bonis conſenſio declaratur: ſummum veró bonum videtur hîc dici quod cæteris bonis ſit majus,non quod perfectum & abſolutum.

Ex hac]Sententia complexionis eſt,Quapropter re non diſcrepat.

In qua] Allegoria eſt,quæ expleta ſimilitudine clariús intelligetur : ut fines agrorum ſpacio quinque pedum, quod uſucapi non poſſit,& terminis per veterem poſſeſſorem, á quo pacti ſunt, demonſtratis,per arbitros reguntur: ſic bonorum & malorum definitiones lata & á veteribus poſita differentia per nos arbitros conſtituantur. de finibus autem regundis libri Pandectarum decimi titulus primus eſt, quo modo hæc actio ad ruſtica prædia dejectis; exaratis, aut cōfuſis terminis attineat, & dati arbitri menſores mittere, & per eos quæſtionem finalem dirimere debeant, iique fundorū termini ſint obſervandi, quos demonſtraverit qui utriuſque prædii dominus fuit.

Inter

Inter quinque] In eodem Pandectarum libro citatur lex Solonis de spacio: Si quis ad alienum fundum sepem constituerit, extra terminum ne excedito: si murum, pedem relinquito: si puteum, passum, id est, pedes quinque: si oleam aut ficum, novem pedes ab alieno plantato, cæteras arbores quinque pedes. Hic Alciatus *δύο πόδας*, duos pedes, mavult, in libro de præscriptione quinque pedum: ubi multa disserit de quinque Legum præscriptione: & spacium hoc quinque pedum docet in confinio prædiorum relictum, quó ire & redire possessores, & aratrum liberé circumagere possent. Est veró in ambiguitate nominum jocus: Latiné enim finis, finire, & finitio, Logica verba sunt & rustica.

Depasci] Depascendo absumi, ut seges luxurians, de quo 1 Georg. unde per metaphoram 2 Orat. dicitur, luxuries orationis stylo depascenda.

Acuto] Periphrasis est Zenonis Stoici.

Manilia] Manilius inter jureconsultos á Rutilio numeratur, & tres de jure civili conscripsisse libros dicitur.

Ex his] Legibus intellige, quæ modó videlicet observantur.

Arbitri] De modo etiam agrorum arbitri dantur, ait Modestinus 10 lib. Pandectarum. Videbis igitur an etiam unum solum, non etiam plures arbitros permittat.

M. *Requiri placere terminos, quos Socrates pepigerit: iisq; parere.* Q. *Præclaré, frater, jam nunc á te verba usurpãtur civilis juris & legum: quo de genere expecto disputationem tuam: nam ista quidem magna dijudicatio est, ut ex teipso sæpe cognovi.* M. *Sed certé res ita se habet, ut ex natura vivere summũ bonum sit, id est, vita modica, & apta virtute perfrui, aut naturam sequi, & ejus quasi lege vivere, id est nihil, quantum in ipso sit, prætermittere, quo minus ea, quæ natura postulet, consequa-*

L.é.virtute, L. an nunquam,

tur, quód inter hæc velit " virtute tanquam lege vivere. Quapropter hoc dijudicari, nescio " an unquã, sed hoc sermone certé non potest, si quidem id quod suscepimus, perfecturi sumus. A. *At ego huc declinabam non invitus.* Q. *Licebit aliás: nunc id agamus quod cœpimus, cúm præsertim ad id nihil pertineat hæc de summo malo bonoq́; dissensio.* M. *Prudentissimé, Quinte, dicis: nam quæ á me adhuc " dicta sunt,**

L.dicta sunt, é media philosophia ducta sunt. Tu autem alicujus civitatis leges fortasse deside ras Q.Equidẽ nec Lyc.

R e q u i r i] Vindicatur hoc arbitrio Socratica summi boni definitio, quasi tantúm verbis á Zenone confusa. *Requiri*] Fundorum terminos observari jam diximus é 10 Pandectarum. *Pepigerit*] Quintilianus libro 1, cap. 6, de hoc præterito sic ait, Prima quoque aliquando positio ex obliquis invenitur, ut memoria repeto, convictos á me qui reprehenderant quód hoc verbo usus essem, pepigi. Nam id quidem dixisse summos authores confitebantur; rationem tamen negabant permittere, quia prima positio pac'scor, cúm haberet naturam patiendi, faciendi tempore præterito pactus sum. Nos præter authoritatem oratorum atq; historicorum, analogia quoq; dictum tuebamur. Nam cúm in duodecim tabulis legeremus, Ni ita pagunt, inveniebamus simile huic cadunt. Inde prima positio, etiamsi vetustate exoleverat, apparebat pago, ut cado: unde non erat dubium sic pepigi nos dicere, ut cecidi. hæc ille. Cicero tamen videtur á paciscor deducere, Dic pactionem fecisse, ut absolveretur, non pepigit, ait pro Comœdo. quidam codices hîc legunt *pegerit*: tu magistrum loquendi usum consules. *Præclare*] Collaudatur ad dialogi decorum allegoria proxima, & repetita juris quæstione, hæc dijudicatio rejicitur: similes veró laudes illæ anté fuerunt: Alté veró, & ut oportet, á capite, frater repetis quod quærimus. Itẽ, Dii immortales quám tu longé juris principia repetis! *Sed certe*] Hæc septimi argumenti præcipua vis est. Finis bonorum est secundum naturam, ergo lex quæ ad illum nos ducit. Hoc veró naturæ principium philosophis omnibus mirificé placuit. Etenim summum bonum definien-

definientes, animi, corporis, fortunæ bonis, ut Academici veteres; aut animi duntaxat virtute, ut Stoici; aut corporis tantúm voluptate, ut Cyrenaici & Epicurei; aut doloris vacuitate, ut Hieronymus; aut honestatis & voluptatis conjunctione, ut Callipho & Dinomachus; aut doloris vacuitate & honestate, ut Diodorus; aut alio, siquis omnino fuerit, modo: hi omnes talem vitam hominis naturæ congruam & consentaneam esse censebant: quia natura conservatrix esset sui, primaq; naturæ ὁρμὴ appetitio lex esset, & norma summi boni, sicut Cicero totis libris de Finibus, sed præcipué quinto, ubi etiam hoc principium ad omnem naturam viventem spectare præcipué docet. Et quidē (ait) non solúm in animalibus, sed etiam in omnibus rebus iis, quas natura alit, auget & tuetur: in quibus videmus ea quæ gignuntur é terra, multa quodam modo efficere ipsa sibi per se quæ ad vivendum crescendumq; valeant, & suo genere perveniant ad extremum: ut jam liceat una comprehensione omnia cōplecti, non dubitemq; dicere, omnem naturam esse servatricem sui, idq; habere propositum quasi finem & extremum, se ut custodiat in quám optimo sui generis statu: ut necesse sit omnium rerum, quæ natura vigeant, similem esse finem, non eundem. Ex quo intelligi debet, homini esse in bonis ultimum, secundum naturam vivere: quod ita interpretemur, vivere ex hominis natura undiq; perfecta & nihil requirente. *Vita modica* Nomine vitæ, non appellat emolumenta vitæ, & commoda quæ secundum naturam sunt, & quibus ad vitam degendam sit opus: sed vitam modicam, appellat temperatam, & interpretatur per consequentia aptam virtuti: melius enim *virtuti* legitur, quám aliás *virtute*; quæ sententia postrema Stoica est. *Aut naturam sequi*] Hæc reliqua sententia est Academica: atq; has duas tantúm sectas hîc complectitur, quia de iis solis erat dijudicatio proposita. *Quapropter*] Concludit rejectionem inchoatæ dijudicationis ex adjunctis, quia principem de jure quæstionem impediret, nec ad eam valde pertinet.

Q. Nec Lycurgi leges, nec Solonis, neq; Charondæ, neq; Zaleuci, nec nostras XII. *tabulas, nec plebi-*

ſcita deſidero: ſed te exiſtimo cùm populis, tum etiam ſingulis hodierno ſermone legem vivendi, & diſciplinam daturum. M. *Eſt hujus verè diſputationis, Quinte, proprium id quod expectas: atq; utinam eſſet etiam facultatis meæ. Sed profectò ita ſe res habet, ut quoniam vitiorum emendatricem legem eſſe oportet, commendatricemq; virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur: ita fit, ut mater omnium bonarum artium ſapientia ſit: à cujus amore Græco verbo* PHILOSOPHIA *nomen invenit, qua nihil à Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt. Hæc enim una nos cùm cæteras res omnes, tum quod eſt difficillimum, docuit, ut noſmetipſos noſceremus: cujus præcepti tanta vis, tanta ſententia eſt, ut ea non homini cuipiam, ſed Delphico Deo tribueretur.*

NEC LYCURGI] Octavum & ultimum argumentum eſt:

Philoſophia eſt naturalis:
Lex eſt ipſa philoſophia:
Lex igitur eſt naturalis.

Aſſumtio præcedit, in eaq; primúm veterum legiſlatorum diſſimilitudo ponitur, qualis antea fuit de Romanis legiſlatoribus & jureconſultis. Lycurgus Lacedæmoniis, Solon Athenienſibus leges tulerunt, eaque Græcorum legiſlatorum præcipua lumina fuerunt. De iis 2 Politic. Ariſtotel. & eorũ rebuspubl. ſed Plutarchus multó copioſiús in eorum vitis. *Neq; Charonda, neq; Zaleuci*] De iis Ariſtoteles ibidem, ſed breviter. Valerius autem lib. 6, cap. 5, de juſtitia utriuſque memorabile facinus expoſuit, quod iccirco ad verbum hîc poſui.

De Zaleuco Locrenſi.

Nihil illis etiam juſtitiæ exemplis fortius. Zaleucus, urbe Locrenſiũ à ſe ſaluberrimis & utiliſſimis legibus munita,

cúm

cúm filius ejus adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris, necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnavit: Ad ultimum precibus populi evictus, suo priús, deinde filii oculo eruto, usum utriq; videndi reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & justum legislatorem partitus.

De Charonda Tyrio.

Sed aliquanto Charondæ Tyrii præfractior & abscissior justitia, ad vim & cruorem usq; seditiosas cōciones civium pacaverat, lege cavendo, ut siquis eas cum ferro intrasset, cōtinuó interficeretur: interjecto deinde tempore, ex longinquo rure gladio accinctus domū repetens, subitó indicta concione, sicut erat, in eam processit, ab eoque qui proximé constiterat, solutæ á se legis suæ monitus: Idem ego illam, inquit, sanciam: ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit: cúmq; liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere, pœnam tamen repræsentare maluit, ne qua fraus justitiæ fieret. *Plebiscita*] Quibus patres non parebant ante Tarentillam legem, ab Arsa Tarentillo primúm rogatam: deinde latam á Valerio & Hortensio, ut quod jus plebs scivisset, eo patres tenerentur. *Est hujus*] Quód lex nil aliud quám philosophia sit. Plato in tota Republ. politicum suum non nisi philosophum esse jubet, nec aliud politicam quám philosophiam esse sentit: Et in legibus duas Græcorum præstantissimas Respubl. Laconicam & Creticam reprehendit, quód πρὸς ἀρετῆς τὶ μόριον, καὶ ταῦτα φαυλότατον, ad particulam virtutis, eamque infimā: ἀλλὰ μὴ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν, non autem ad omnem virtutem, direxissent. Fortitudinē enim tantúm, non temperantiam, non prudentiam instruxerant. Et nono Legum ad solum legislatorem attinere ait, quid honestum, bonum justumque sit, consulere, docereque qualia hæc sint, & quomodo iis agenda qui beati futuri sunt: Turpeque legislatoribus fore, cúm Homerus & Tyrtæus cæteriq; poëtæ de vita hominū, studiisq; scripserint, illud idē ipsum negligentiús facere. Ergo adhuc in hoc libro lex, & prudentia, & virtus, & justitia, & sapientia, & philosophia dicta est, quemad-

modum apud Platonem feré pro eodem frequenter accipiuntur. *A cujus*] Sequitur sententia propositionis, Philosophia est naturalis: sed philosophiæ definitio præponitur, & perpetua laus ex effectis intexitur: in qua sententia ipsa comprehenditur magis quám distinguitur. *Qua nihil*] E Timæo Platonis id acceptum est, cúm de oculis loquitur: ἐξ ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ᾽ ἦλθεν, οὔθ᾽ ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν: E quibus philosophiam adepti sumus, quo bono majus nec accidit, nec accidet unquam mortalium generi donatum á Diis. Sic Dialecticam donum Dei vocat in Philebo & Phædro, & Cic. ipse 1 Tuscul. Philosophia veró omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donũ, ut ego, inventum Deorum? *Delphico Deo*] τὸ γνῶναι ἑαυτὸν, nosse seipsum, Plato in Alcibiade primo ad animi cognitionem & beatitudinem retulit, eam veró in cognitione Dei & similitudine constitui, ut qui Deum noverit, & ad ejus similitudinem seipsum & actiones suas composuerit, seipsum utiq; noverit, & beatitudinẽ sibi compararit. In dialogo περὶ τῆς φιλοσοφίας interpretatur σωφροσύνην ἀσκεῖν καὶ δικαιοσύνην, temperantiã exercere & justitiam. Plinius autẽ lib. 7, cap. 32, de authoritate, refert hanc sententiam ad Chilonẽ Lacedęmonium: Rursus mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta ejus Delphis consecrando aureis literis: quæ sint hęc: Nosse se quemque: &, Nihil nimium cupere: Comitemq; æris alieni atque litis, esse miseriam.

Nam qui se ipse norit, primúm aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumq; in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit: tantoque munere Deorum semper dignum aliquid & faciet, & sentiet: & cúm se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget quemadmodum á natura subornatus in vitam venerit, quantaq; instrumenta habeat ad obtinendam, adipiscendamq; sapientiam, quoniam principia rerum omnium quasi adumbratas

bratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratus sapientia duce bonum virum, & ob eam ipsam caussam cernat se beatum fore. nam cùm animus, cognitis perceptisq; virtutibus, à corporis obsequio, indulgetiaq; discesserit, voluptatemque sicut labem aliquam dedecoris oppresserit, omnemq; mortis dolorisq; timorem effugerit, " societatemq; carnis ejecerit, tum suis, omnibusque natura conjunctos suos duxerit, cultumque Deorum, & puram religionem susceperit, & exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem ad bona deligenda & rejicienda contraria, quæ virtus ex providendo est appellata Prudentia: quid eo dici, aut excogitari poterit beatius? Idemq; cùm cælũ, terras, maria, omniumq; rerum naturam prospexerit, eaque unde generata, quò recurrant, quando, quomodo obitura, quid in iis mortale & caducũ, quid divinum, æternumq; sit, viderit, ipsumque ea moderantem & regentem penè prehenderit, seseq; non unis circundatum mœnibus popularem alicujus loci, sed civẽ totius mundi, quasi unius urbis agnoverit: in hac ille magnificentia rerum atque in hoc conspectu & cognitione naturæ, dii immortales, quàm ipse se noscet, quod Apollo præcepit Pythius: quàm contemnet, quàm despiciet, quàm pro nihilo putabit ea, quæ vulgò " dicuntur amplissima!

L. societatẽ caritatis coierit cũ suis, omneisque natura conjunct.

L. ducuntur

NAM QUI] Declaratur vis oraculi Delphici, in eaque tota philosophia comprehenditur, ut per philosophiam homo seipsum cognoscat. *Sicut simulacrum*] Platonicum est: Plato siquidem in Phædone & in Theæteto, docet hominem similitudinem esse Dei. Itaque beatum hominem forè cùm suæ similitudinis exemplar recuperarit, & se Deo similem fecerit: quod in Alcibiade primo rursus i-

dem ait hominem Deo gratam vitam acturum, cúm ad exemplar θεῖον καὶ λαμπρὸν divinum & ſplendidum reſpexerit: miſerum contrá futurũ, cúm ἄθεον & tenebricoſum reſpiciet. ſed illud etiam idem ſexto de Republ. multó magnificentius, quód ſoli philoſophi reges eſſe debeant, quia ſoli τὸ ἀνδρείκελον humanam ſimilitudinem imitãtur é divino exemplari, quod Homerus, cúm in hominibus appareat, appellavit θεοειδές τε καὶ θεοείκελον, id eſt, Dei ſpeciem & imaginem. *Intelliget*] Hinc pręcipua propoſitionis ſententia oritur: Philoſophia eſt naturalis. repetũtur autem hîc phyſicæ intelligentiæ quater antea propoſitæ. Primúm ſiquidem illud fuit, Intelligentias enodavit: deinde, Ex prima & inchoata intelligentia: tertió, Quæq; in animis imprimũtur intelligentiæ: Poſtremó, Nã & cõmunis intelligẽtia. Ergo intelligẽtia á natura enodata, prima, inchoata, impreſſa in animis, communis, adumbrata, pro eodem dicitur. Adumbrate veró proprié eſt umbram præbere: Ut adumbrentur vineæ, ait Columella, ne ventis, aut caloribus exareſcant. Hinc pictores adumbrare tabulas ſuas dicuntur, cúm lineari pictura duntaxat effingunt: unde ſecunda metaphora alia dicitur adumbrari, quod leviter informatur. Eſt enim gloria, ſolida quædam res, & expreſſa, nõ adumbrata, 3 Tuſc. Hanc adumbrationem Plato σκιαγραφίαν dicit, 2 Reipubl. περὶ ἐμαυτὸν σκιαγραφίαν ἀρετῆς περιγραπτέον, mihi virtus eſt adumbranda. Fuit autem in ſecundo argumento ſententia hæc eadem, ſed brevior: Artes veró innumerabiles repertæ ſunt docẽte natura, quam imitata ratio res ad vitam neceſſarias ſolertia conſecuta eſt. *Nam cùm*] Inductio eſt trium philoſophiæ partium, quas é primis illis intelligentiis & á natura enodatis percepimus. Ethica primúm comprehenditur quatuor virtutibus, temperantia, fortitudine, juſtitia, prudentia, per ſubjecta ſua definitis. *Providendo*] Sic antea lex á legendo, & philoſophia ab amore ſapientiæ, notatione ſui nominis definita eſt. *Idemque*] Phyſica philoſophia eſt in elementis & inde compoſitis rebus comprehenſa. *Cælum*] Cæli nomine Latinis feré aër & æther comprehenditur. Itaque hîc elementa quatuor prima ſunt, de quibus & eorum partibus, materia & forma, duodecim primi ſunt Ariſtote-

ſtotelici phyſici libri. *Unde generata*] Duo ſunt in ea doctrina Ariſtotelis libri *περὶ γενέσεως καὶ περὶ φθορᾶς*, de ortu rerum & interitu. *Quod in iis mortale*] Plato præter Deum animosque tum ſtellarum, tum hominum, nil æternum facit: mundum enim creatum docet, & ita compactum, ut diſſolvi quidem non poſſit, niſi ab eo qui colligavit, ut eſt in Timæo. *Ipſumque ea*] Periphraſis eſt ſummi Dei, qualem Platonis Timæus authorem facit & creatorem mundi. *Seſeque*] Conſectarii hujus ſententia fuit in primo argumento, Unde etiam univerſus hic mundus una civitas communis Deorum atque hominum exiſtimanda. *In hac ille*] Statuit é contemplatione phyſica oraculum Apollinis expleri. *Pythius*] A Pythone ſerpente necato, ut poëtæ fabulantur, vel potiús *ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι*, ab interrogando, quód hic Deus de futurorũ eventu interrogaretur, & præter cæteros Deos vaticinaretur.

Atq; hæc omnia, quaſi ſepimento aliquo, vallabit diſſerendi ratione, " veri & falſi judicio, ſcientia, & arte quadam intelligendi quid quamq; rem ſequatur, & quid ſit cuiq; contrarium: cúmq; ſe ad civilem ſocietatem natum ſenſerit, non ſolum illa ſubtili diſputatione ſibi utendum putabit, ſed etiam fuſa latiús perpetua oratione, qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua præcepta ſalutis & laudis apté ad perſuadendum edat ſuis civibus, qua hortari ad decus, revocare á flagitio, conſolari poſſit afflictos, factaq; & conſulta fortium & ſapientũ cum improborum ignominia ſempiternis monumentis prodere. Quæ cúm tot res, tantæq; ſint, quæ ineſſe in homine perſpiciantur ab iis, qui ſeipſi velint noſcere: earũ parens eſt, educatrixq; ſapientia. A. Laudata quidem á te graviter, & veré: ſed quorſum hæc pertinent? M. Primúm ad

L. veri & falſi judicandi, ſcientia,

ea Pomponi, de quibus acturi jam sumus, quæ tanta esse volumus: non enim erunt, nisi ea fuerint, unde illa manant, amplissima: deinde facio & libeter, &, ut spero, rectè, quòd eam, cujus studio teneor, quæq; me eum, quicunque sum, effecit, non possum silentio præterire. A." *Re vera facis & meritó, & ipse fungq; id, ut dicis, in hoc sermone faciendum.*

L. veró facis & meritó, & recté. fungq; *al.* Enimvero facis & meritó & recte, fungq.

ATQUE HAEC] Tertia pars est philosophiæ, Logica nempe, secunda sui parte, id est, judicio definita. *Sepimento*] id est, sepe septo. Ad Stoicam videtur aspexisse parabolam: Stoici siquidem cúm totam philosophiam compararent animali, ouo, agro, statuunt in Logica esse ossa & nervos, extremitatem, φραγμὸν, id est, sepem: in Ethica carnem, albumē, fructum: in Physica animam, vitellum, fundum. Quod etsi inepté factum est, videmus tamen metaphoram in illis esse Ciceronianæ similem. *Cumque se*] Sequitur Dialecticam Rhetorica distincta vulgato illo Aristotelis & Zenonis discrimine, quód Logicæ subtilis sit disputatio, Rhetoricæ fusa latiús & perpetua. Quod discrimen, ut commentitium somnium, non observatum ex usu verum documentum, Cicero, etsi persæpe sequitur, tamen aliquando in Oratoriis agitavit, omnemq; orationis seu subtilioris seu fusioris, seu philosophicæ seu forensis ornatum, Rhetoricæ proprium esse disputavit: & in libris de Oratore, magis á rerum natura & veritate fortasse conductus, quám ab ulla talis distinctionis meditatione aut cogitatione, inventionem, dispositionem, memoriam, quæ Logicæ omnino sunt, secundo libro per Antonium, tertio elocutionem & actionem, quæ proprié sunt Rhetoricæ, per Crassum proposuit, & 2 de Finibus eadem distinctio aperté deridetur: Rhetoricé igitur, inquā, nos mavis quám dialecticé disputare? Quasi veró, inquit, perpetua oratio Rhetorum solúm, non etiam philosophorum sit. Zenonis est, inquam, hoc Stoici, omnem vim loquendi, ut jam anté Aristoteles, in duas tributi esse partes dicere: Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicebat; quód latiús

tiús loquerentur Rhetores, Dialectici autem compressiús. Ergo hæc opinio non omnibus in Cicerone locis probatur, sed nos ea de re satis in quæstionibus Brutinis egimus. *Quæ regat*] Collaudatio Rhetoricæ ex subjectis generibus, quæ vulgó deliberativum, judiciale, demonstrativum nuncupantur. *Quæ cúm*] Cõclusio est inductionis, quód ex res sint naturales homini & philosophiæ partes, unde sententia propositionis constat, Philosophia est homini naturalis. *Laudatá*] Caussa sic ornatæ & laudatæ philosophiæ quæritur, quia sententia propositionis in ea magis ornaté comprehensa est, quàm àperté distincta, eaque caussa duplex affertur. Philosophia laudatur, ut lex quoque laudetur, quæ philosophia ipsa nempe est: & philosophia laudatur à me, quia me oratorem, quantuscunque sum, effecit. *Quicunq; sum*] Sic in Oratore perfecto: Et fateor me Oratorem, si modó sim, aut etiam quicunq; sim, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spaciis extitisse.

FINIS.




M. T. CICERONIS DE OPTIMO GENERE ORATORVM PRÆFATIO

IN CONTRARIAS ÆSCHINIS ET DE-
mosthenis Orationes; *Petri Rami prælectionibus illustrata.*



ÆC Præfatio in Æschinis & Demosthenis contrarias orationes á Cicerone conversas, conversionis ipsius caussam, cõtroversiæque inter eos Oratores argumentum, tempus, famam continet. Dissetitur igitur ad caussam, quoniam Cicero Romanis Atticis, nec bonus, nec Atticus, sed Asiaticus Orator videbatur (ut Ciceronianus nôster pauló antè in lucem editus exposuit) oratorem optimum esse, qui docet, delectat, movet: quales Athenis floruêre Æschines & Demosthenes: ut si quis eos imitetur, Atticé dicat, & optimé. Itaque é conversis eorum orationibus, Tullius intelligi vult se Atticum Oratorem & optimum esse, nôn reprehensores suos. Tum breviter argumentum, tempus, fama controversiæ inter Æschinem & Demosthenẽ constitutæ proponitur.

Orato-



RATORUM genera esse dicuntur, tanquam Poetarum: id secus est." nam alterum est multiplex: poematis enim tragici, comici, epici, melici etiam, ac dithyrambici, quod" magis est tractatum á Latinis, suum quodvis est diversum á reliquis. Itaq; & in tragœdia comicum vitiosum est, & in comœdia turpe tragicum: & in cæteris suus est cujusque certus sonus, & quædam intelligentibus nota vox.

L. nam alterum est simplex: alterū, multiplex.

L. minus est

ORATORUM] Differitur initio præfationis hic syllogismus:

Optimus Orator est, qui docet, delectat, movet:
Attici Romani tales non sunt, sed Tullius:
Attici igitur illi non Oratores optimi, sed Tullius.

Propositionis illustratio triplex est: prima præcedit é dissimilitudine Poetarum. *Alterum*] In poëtis. *Tragici*] Tragœdia fabula est regum & principum mores exprimens: & miserabiles exitus habet, ut cædes, exilia, ruinas civitatum: dicta ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ τῆς ᾠδῆς, ab hirco & cantu, quia præmium erat huic carmini hircus: vel ἀπὸ τῆς τρυγὸς, á fęce, quia actores hujus fabulæ, fęce perungerentur: de quo utroque sic Horatius in Arte:

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Item:

Ignotum tragicæ genus invenisse Camenæ
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Comici] Comœdia, fabula est contraria tragœdiæ, in qua humiles personæ tractantur, & exitus sunt jucundi, ut in fabulis Terentii apparet: dicitur autem ἀπὸ τῆς κώμης καὶ ᾠδῆς, á vico & cantu, quia poëmata hæc per vicos agerentur. *Epici*] ἔπος generaliter significat quodvis carmen, sed per synecdochē pro carmine heroico sumitur. Sic paulò pòst Ennius epicus poëta dicitur. & apud Horatium,

—Forte epos acer
Ut nemo, Varius ducit.—

Melici] Melicos poëtas pro lyricis quidam accipiunt, quales apud Græcos floruere Alcæus, Sappho, Stesichorus, Ibycus, Bacchylides, Simonides, Alcman, Anacreon, Pindarus: apud Latinos Horatius. alii hoc nomine Elegiacos significari putant. *Dithyrambici*] Dithyrambus, vir Thebaicus, á quo creditur genus illud fuisse cognominatum in honorem Bacchi, cujus etiam hoc nomen est παρὰ τὸ δύο θύρας βῆναι, quód bis natus, duas veluti januas penetrarit, Semeles & Jovis: ná cúm Semele mater icta esset fulmine, Jupiter infantem extractum in femore gestavit. Cúm veró Bacchus á Romanis coleretur, verisimile est hoc genus carminis ab illis esse tractatum, quamvis exempla nulla poëtæ Latini reliqua sint, sicuti neque Græci cujusquam. Crassus Oratorio tertio de dithyrambo loquitur, tanquam de poemate notissimo. Inde ille licentior fluxit dithyrambus, cujus membra & pedes sunt in omni locuplete oratione diffusa. Quo loco videtur Cicero significare dithyrambici carminis pedes certos fuisse: secus quomodo in oratione fusos intelligeret? Dithyrambici tamen carminis cúm poetæ nobiles olim fuerint, nec extet hodie, quem legere potuerim, difficile sit divinare poematis illius legem. Joan. Auratus in literis Græcis, quarum Regius professor est, sed in poetis præsertim docté & erudité versatus, Pindaricum Dithyrambici carminis exemplum in libro Halicarnassei περὶ συνθέσεως ὀνομάτων, nobis ostendit, sed ita confusum, ut species nulla carminis distincta cerneretur: itaq; á collega & amico impetravi, ut pro ingenii facultate, qua valet plurimúm, exemplum tam nobile suæ formæ restitueret: sic igitur restituit, & eodem numero Latiné reddidit:

Δεῦτ' ἐς χορὸν ὀλύμπιοι,
Ἐπί τε κλυτὰν πέμπετε χάριν θεοί·
Πολύβατον οἵ τ' ἄστεος
Ὀμφαλὸν θυόεντα
Ἐν ταῖς ἱεραῖς Ἀθήναις
Οἰχνεῖτε, πανδαίδαλόν τ' εὐκλέ' ἀγοράν.
Ἰοδέτων λάβετε στεφάνων
Τῶν ἐαριδρέπτων λοιβαί·

Διόθεν

Διόθεν με σὺν Ἀγλαΐᾳ ἴδετε,
Πορευθέντες ἀοιδαῖς·
Δεῦτ' ἐπὶ κισσοδέταν θεὸν, ὃν Βρόμιον,
Ὅν τ' Ἐριβόαν βροτοὶ καλέομεν,
Γόνον ὑπάτων τε πατέρων μέλπομεν,
Γυναικῶν τε Καδμείαν Σεμέλαν.
Ἐν Ἀργεία Νεμέα
Μάντιν οὐ λανθάνει
Φοίνικος ἔρνος, ὁπότ' οἰ-
χθέντος Ὡρᾶν θαλάμου
Εὔοδμον ἐπαΐωσιν ἔαρ φυτὰ νεκτάρεα.
Τότε βάλλεται, τότ' ἐπ' ἄμβροτον
Χέρσον ἐραταὶ ἴων φόβα,
Ῥόδα τε κόμαισι μίγνυνται.
Ὑμνεῖτε ὀμφᾷ μελέων σὺν αὐλοῖς,
Ὑμνεῖτε Σεμέλαν ἑλικάμπυκα χεροί.

Hanc ad choream Olympici
Adeste, agedum, mittiteq; gratiam:
Celebre solum urbis, quibus
Umbilicus odorus
Sacras penes est Athenas,
Semper frequens, splendidum, nobile forum.
Sumite quae damus e violis
Vere novo lectis serta:
Caelitus aspicite me cum Aglaia
Meo carmine ductis:
Visite, nunc religatum hedera Bromium,
Quem gravifremum vocamus homines,
Patreq; satum canimus e maximo,
Puellaq; Cadmea Semele.
In Argea Nemea
Augurem non tunc latet
Frondosa palma, simul Ho-
rarum aperto thalamo
Ver audierit odoriferum herbula nectarea.

Ibi funditur, super almam ibi terram,
Violæ placens coma,
Rosaq; comis maritatur.
Laudate per cantica tibiasq;,
Laudate Semelen chorea nigricomam.

Ejusmodi igitur dithyrambicum carmen est, & quidem pedibus pæanibus præcipué compositum: sed summa versuum licentia continuatum: Quod Horatius significavit 4 Carm. ad Antonium Julium de laudibus Pindari,

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisq; fertur
Lege solutis.

Hi tam variorum generum versus, nimirum soluti lege numeri sunt. *Quod magis*] Qui melicos versus, lyricos interpretantur, putant hîc mendum esse, & legendum, vel, *quod minus tractatum est à Latinis*: præsertim cúm Horatius se primum apud Latinos Lyrici carminis authorem prædicet: vel, *quod magis tractatum à Græcis, quám à Latinis*: quæ nostri Aurati animadversio est. Qui veró melicos pro elegiacis accipiunt, nil mutant, cúm satis constet elegos Latinis tam usitatos fuisse, ut his versibus epitaphia fierent. *Itaq;*] Genera poëmatum differentia explicat, quod & Horatius secutus est:

Versibus exponi tragicis res comica non vult.

Quod tamen sic moderatur:

Interdum tamen & vocem comœdia tollit,
Iratusq; Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerunq; dolet sermone pedestri.

Suus sonus] Propria elocutio: Sonus pro oratione, synecdoche est, ut mox vocis verbum usurpatur.

Oratorum autem si quis ita numerat plura genera, ut alios grandeis, aut copiosos: alios tenueis, aut graveis, aut subtileis, aut breveis: alios eis interjectos, & tanquam medios putet, de hominibus dicet aliquid, de re parum. In re enim quod optimum sit, quæritur: in homine, dicitur quod est. Itaque licet dicere & Ennium summum epicum poetam,

tam, si cui ita videtur, & Pacuvium tragicum, & Cæcilium fortasse comicum. Oratorem genere non divido, perfectum enim quæro. Unum est autem genus perfecti: á quo qui absunt, non genere differunt, ut ab Accio Terentius, sed in eodem non sunt pares. Optimus est enim Orator, qui dicendo animos audientium & docet & delectat & permovet: Docere, debitum est: delectare, honorarium: permovere, necessarium. Hæc ut alius melius quám alius, concedendum est: verúm id fit non genere, sed gradu. Optimum quidem unum est, & proximum, quod ei simillimum. Ex quo perspicuum est, quod optimo dissimillimum sit, id esse deterrimum.

ORATORUM] Ἀνταπόδοσις dissimilitudinis, quód oratorum sint gradus diversi, non genera. *De hominibus*] Sic si qui Grammaticos appellant, ut Quintilianus, qui poëtas interpretantur, eisque Rhetoricam Philosophiamque subjiciunt, de hominibus dicunt aliquid, qui vulgó sic appellati sunt, de propria Grammaticæ natura parum. est enim Grammatica ars una á cæteris distincta, quæ puritatem sermonis, & emendationem præceptis suis docet, non ornatum, non prudentiam rerum. Sic qui eloquentiæ partes quinque subjiciunt, inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, actionem, & in elocutione Latinitatem statuunt; de hominibus dicunt aliquid, qui Athenis & Romæ oratores appellati sunt, de re parum. Rhetorica enim, ars una quædam esse debet á cæteris distincta: itaque elocutionem in tropis & figuris, actionem in voce & gestu solas habebit, ut tot locis disputatum est á nobis. *Optimum*] Definitiones enim, rerum perfectionem complectuntur: nec quum definitur homo, definitur tortus aut gibbus, sed omnibus naturæ partibus absolutus. *Itaque*] παραδείγματα exempla. *Ennium*] Ennius poëta Tarentinus, de quo multa vulgó

traduntur á Grammaticis: fuit autem sententiosus, sed parum ornatus.

Ennius ingenio maximus, arte rudis:

ait Ovidius. Ideoque Virgilius cúm legeret Ennium, dicebat é stercore se aurum colligere. Græcas literas Catonem docuit, ut quidam tradidêre. *Pacuvium*] Hic poëta ex Ennii sorore natus est, gravitate sententiarum, pondere verborum, authoritate personarum clarissimus, ut est apud Quintilianum. *Cæcilium*] Cæcilius Statius, malus Latinitatis author, ut est apud Ciceronem ad Atticum, Mediolanensis fuit, & Ennii contubernalis: de hoc poëta sic Horatius,

Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.

Oratorem] Repetitur ἀνταπόδοσις, & ratio subjicitur ex adjuncto, quód de perfecto oratore hic disseratur, non de quolibet. *Accio*] Accius poëta tragicus, qui duriusculus Ciceroni visus est, ferreus Licinio, subacidus Pacuvio: itaque cúm Pacuvius poëma ejus collaudasset, sed acorem illum adnotasset tamen, respondit Accius, eo ipso lætari se, quia idem ingeniis accideret, quod pomis, quæ cúm primó acerba essent, tandem maturescerent: sin protinus essent matura, putrescerent quamprimúm. *Terentius*] Cujus fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur á C. Lælio scribi, ut Cicero ait ad Atticum, ubi Cæcilium malum Latinitatis authorem vocat. *In eodem*] genere: sed differunt gradu & facultate. *Optimus*] Propositio syllogismi ex oratoris perfecti definitione, quam Cic. sequebatur: nec enim id Atticis Rom. præsertim de motu probabatur, ut in Ciceroniano nostro docuimus. Fuit tamen apud Græcos Rhetoras jam olim ista Rhetorica de movẽdis animis præceptio, ut apud Aristotelem videmus, fidem é moribus dicentis, ex affectibus audientis, atque ex ipsa ratione & argumento peti. *Debitum*] Hæc oratoris officia in Oratore sic explicantur, Docere, necessitatis: delectare, voluptatis: movere, victoriæ. Et quod hic debitum dicitur, illic appellatur necessarium: & illud est nimirum quod Aristoteles ait in primo Rhetoricorum, ὥστι τἄλλα ἔξω τοῦ ἀποδεῖξαι περίεργά ἐστιν, ἀλλ' ὅμως μέγα δύναται, διὰ τὴν ἀκροατοῦ μοχθηρίαν: Itaque cætera præter explicationem super-

ſupervacanea ſunt, ſed tamen multúm poſſunt, propter auditoris improbitatem. Ergo docere, debitum & neceſſarium; delectare & movere, adjunctum. *Neceſſarium*] Violentum interpretor, quod tanquam vi impellat, & cogat. *Hæc ut*] Iteratio redditionis altera, ubi graduum diſtinctio fit, ut optimum primo gradu, & optimo ſimillimum, ſit proximo: unde ſequitur, ut optimo diſſimillimum ſit infimo. *Ex quo*] Ἡ ἐπὶ ταυτὰ ἀκολούθησις, parium collatio, quæ Ariſtoteli dicitur: Si triplum, multiplum: ergo ſubtriplum, ſubmultiplum.

Nam quoniam eloquentia conſtat ex verbis & ſententiis, perficiendum eſt, ut puré & emendaté loquentes, quod eſt Latiné, verborum præterea & propriorum, & translatorũ elegantiam perſequamur: in propriis, ut aptiſſima eligamus: in translatis, ut ſimilitudinem ſecuti, verecundé utamur alienis. Sententiarum autem totidem genera ſunt, "quot diximus eſſe laudum. Sunt enim docendi, acutæ: delectandi, quaſi argutæ: commovendi, graves. Sed & verborum eſt ſtructura quædam, duas res efficiens, numerum & "lenitatem: & ſententiæ ſuam compoſitionem habent, & adprobandã rem, accommodatum ordinem. Sed earum omnium rerum, ut ædificiorum, memoria eſt quaſi fundamentum: lumen, actio. Ea igitur omnia "in quo ſumma, erit orator peritiſſimus: in quo media, mediocris: in quo minima, deterrimus. Et appellabuntur omnes oratores, ut pictores appellantur etiam mali: nec generibus inter ſeſe, ſed facultatibus different. Itaq; nemo eſt orator, qui ſe Demoſthenis ſimilem eſſe nolit: at Menander, Homeri noluit: genus enim erat aliud: id non eſt in oratoribus: aut etiam ſi eſt, ut alius gravitatem ſequens, ſubtilitatem ſu-

fort. quot diximus eſſe gradus oratorum.

L. levitatem:

L. in quo erũt ſumma, erit orator præſtantiſſimus:

giat; contrà alius acutiorem se, quàm ornatiorem velit: etiamsi est in genere tolerabili, certè non est in optimo: siquidem quod omnes laudes habet, id est optimum.

NAM QUONIAM] Illustratio propositionis altera per inductionem partium, quæ vulgò eloquentiæ tribuuntur, quæ summæ peritissimum, mediæ mediocrem, minimæ deterrimum oratorem faciunt: comprehenditur autem primò inventio & dispositio verborum & rerum: quomodo Cic. in Partitionibus loquitur, cùm facit verborum singulorum inventionem, conjunctorum collocationem. In his autem partibus eloquentiæ comprehenditur Grammatica, Rhetorica, Logica, ut alibi contra Cic. & Quintil. disserui. *Pure & emendate*] Puritas, est verborum singulorum; emendatio, conjunctorum: quæ duæ sunt partes Grammaticæ, etymologia & syntaxis, in quibus orthographia prosodiaque singulorum & conjunctorum continentur. *Latine*] Latinitas, Grammaticæ virtus est propria: itaque etiam sic Orat. 3 Crassus: Prætereamus igitur præcepta Latinè loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & subtilior cognitio ac ratio literarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani, ac domestici libri confirmant, & lectio veterum oratorum & poëtarum. Sed in Bruto idem etiam manifestiùs: Non tam præclarũ est scire Latinè, quàm turpe nescire: neq; tam id mihi oratoris boni, quàm civis Romani proprium videtur: itaque Latinitatis præceptio tam aliena est in Rhetoricis, quàm esset ornatus institutio in Grammaticis. *Verborum*] Partitur verba bifariam, in propria & translata: quæ partitio vera est, si translationis nomine intelligatur quivis tropus secundum Aristotelem, qui tropos metaphoras appellat, ut etiam in Oratore Cic. adnotavit. Quàvis autem vera sit, est tamen aliena in Rhetoricis, in quib. elocutionis genera duo sunt, tropus & figura: in Orat. 3. Distributio verborũ fit aliter, in verba prisca, nova, translata: item in propria, translata, nova. Partitiones sunt parum logicę. Quamvis autem in Rhetoricis aliena, attamen vera est, quæ proponitur hîc in propria & trãslata. nam propria, prisca possunt esse & nova: item translata, prisca

ta, prisca possunt esse & nova. *Aptissima*] Lecta & illustria, in quibus plenum quiddam & sonans inesse videatur. Atque hic delectus aurium quodam judicio ponderandus, in quo consuetudo bene loquendi valet plurimúm. Hæc Crassus Orat.3. Et Quintil.lib.1, cap.9, Sola est (ait) quæ notari possit in verbo velut vocalitas, quæ euphonia dicitur. *In translatu*] Videtur in partitione propriorum & translatorum comprehendere nomine translationis, omnes tropos: at hîc unicũ exponit: metonymiam, ironiam, synecdochen, in quibus nulla est similitudo, omittit: nisi dicas, ut non omnia propria, sed é propriis aptissima deligi; sic non omnia trãslatorum genera, sed é translatis similia præcipué proponi. *Sententiarum*] Sententiarum inventionem triplicem facit, acutarum, argutarum, graviũ: hinc apud Quintil. lib. 5 inventio acutarum ex argumentis; sexto autem, argutarum é facetiis, & gravium é motib. animorũ & affectibus: quod Orat.2. Cicero fecit: nisi quód veluti quartam inventionem quãdam facit in salibus, cúm de tribus jam dixisset. Quæ tam varia tamque multiplex doctrina, una doctrina ad legem veræ methodi esse non possit: Inventio logica est una sententiarum acutarũ, id est, rerum unde sententiæ fiunt: delectatio & motus, & hinc & ex omnibus artibus promiscué hauriuntur. *Verborum structura*] Dispositio verborum hîc bifariam dividitur, in numerum & lenitatem, ut in Partitionibus, ubi Cic. ita loquitur: Numeri quidam sunt in conjunctione servandi, consecutioq; verborum. Sed partitio manca est: nec enim figuras omnes comprehendit. In Oratore trifariam fit ista distributio, in collocationem, concinnitatem, numerum. Quintilianus etiam dissentiens á Cicerone, pauló secús partitur. Sed de vitiis earum partitionum Brutinæ quæstiones, & Rhetoricæ distinctiones satis loquuntur. *Numerum*] Cujus species Cicero multas fecit: Quintilianus multó plures: fecit enim quadraginta, de quibus ibidem dictum. De veritate autem (quam nos observatione Ciceronianarum orationũm, id est vero usu, approbavimus) videbis Audomari Talæi Rhetoricam. *Lenitatem*] Ne sit hiulca oratio concursu, ne dura asperitate literarum. *Compositionem*] Collocatio rerum, de qua nunc,

duplex est; altera doctrinæ, altera prudentiæ. Vide 2 lib. nostræ Dialecticæ de methodo. *Sed earum*] Memoria & actio demum comprehenduntur. Memoria (ait Tullius in Partitionibus) est germana literaturæ quodammodo & in dissimili genere persimilis. Nam ut illa constat ex notis literarum, & ex eo, in quo imprimuntur illæ: sic confectio memoriæ, tanquam cera, locis utitur, & in his imagines, ut literas, collocat. Idemque multó copiosiús Orat. 2 tradit: Sed Quintil. lib. 11 totum hoc græcanicum artificium in locis & imaginibus meritó derisit, veréque statuit, memoriæ artem (si qua possit esse) totam esse ordinis in partitione & compositione rerum: quod 20 Animadversionum lib. pleniús ostendimus esse dispositionis logicæ in enunciatione, syllogismo, methodo. Sed ut cæteræ omnes virtutes, sic memoria inprimis exercitatione confirmatur, ediscendis ad verbum quamplurimis & nostris & alienis, ut Crassus docet Orat. 1. Modus etiam (ait Quintilianus) est per partes ediscere, & quidem modica voce & tacito quodam murmure, ut duplici motu memoria juvetur & dicendi & audiendi. Mirum veró dictu est, nec in promtu ratio, quãtum interposita nox afferat firmitatis, sive quiescit labor ille, sive maturatur & concoquitur. Ergo verum memoriæ subsidium totumque est in collocatione rerum & meditationis exercitatione. *Lumen*] Hæc metaphora magnæ sententiæ pondus habet. Actio quidem (ait in Partitionibus Cicero) oratori & cum rerum & cum verborũ monumentis commutanda maximé est: facit enim & dilucidam orationem, & illustrẽ, & probabilem, & suavem, non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu: quæ plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient, ejusque vim ac varietatem subsequentur. Hæc Tullius: quæ omnia modó uno metaphoræ tropo cõplexus est. Lumen inventionis, dispositionis, elocutionis, est actio, quia hæc omnia illuminat & illustrat. *Ea igitur*] Colligitur inductionis summa ad illam graduum, non generum differentiam. *Itaq;*] Nova dissimilitudinis exempla. *Demosthenis*] Quem plané quidem perfectum, & cui nihil admodum desit, facilé dixeris: nihil acuté inveniri potuit in eis caussis, quas scripsit, nihil (ut ita dicam) subdolé, nihil versu-

versuté, quod ille non viderit: nihil subtiliter dici, nihil pressé, nihil enucleaté, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contrà grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborũ gravitate, vel sententiarum, quo quicquam esset elatius. Hæc in Bruto. *Menander*] Atheniensis poëta comicus novæ comœdiæ, strabus, mente peracutus, amore in mulieres insanus, scripsit fabulas 80, & epistolam ad Ptolemęum, & alia nonnulla prosa oratione, ait Suidas. Menander veró diligenter lectus, ad cuncta oratoris opera sufficiat: ita omnem vitæ imaginem expressit: tanta in eo inveniendi copia & eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus, ut Quintil. ait lib. 10. Vivus tamen non magnopere laudatus est, ut ait Martialis:

Rara coronato plausère theatra Menandro,
Et sua riserunt sæcula Mæonidem.

Homeri] Homerus, flos ingeniorum, ait Plinius. Atq; ut ex Oceano vis amnium fontiumque cursus initium capiunt; sic omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit, ait Quintil. lib. 10. *Aut etiam*] Secunda solutio, quód oratoris tolerabilis genera fortasse diversa sint, nõ sint autem perfecti. *Tolerabilis*] Probabili, vendibili, mediocri, ut in Oratoriis Cicero sæpe loquitur.

Hæc dixi breviús equidem, quám res petebat: sed ad id quod agimus, non fuit dicẽdum pluribus. Unum enim cúm sit genus, id quale sit, quærimus: est autem tale, quale floruit Athenis: ex quo Atticorum oratorum ipsa vis ignota est, nota gloria. Nam alterum multi viderunt, vitiosi nihil apud eos: alterum pauci, laudabilia esse multa. Est enim vitiosum in sententia, si quid absurdum, aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum est: in verbis, si inquinatum, si abjectum, si non aptum, si durum, si longé petitum. Hæc vitaverunt feré omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt Atticé: sed quatenus valuerunt, sani & sicci duntaxat habeantur: sed ita ut palæstricé spaciari in xysto li-

L. sed qui hactenus valuerunt, sani & sicci d. h. ita, ut eis pal. sp. in x. l.

ceat, non ab Olympiis coronam petant: qui cùm careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinem quærunt, quandam etiam suavitatem coloris: eos imitemur, si possumus: sin minùs, illos potiùs, qui incorrupta sanitate sunt (quod est proprium Atticorum) quàm eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit.

HAEC DIXI] Tertia oratoris illustratio, quód tales oratores sint Attici, non tamen omnes: itaq; etiam gradus Atticorum dicentur. *Breviùs*] Quæ latiús in Bruto & in Oratore differuntur. *Ad id*] Ad præfationem conversionis præsentis. *Athenis*] Ubi eloquentia nata & perfecta est, ut Cic. docet in Bruto. *Vis ignota*] Caussa & virtus quamobrem Attici laudantur, multis ignota est: non enim placent ob id solúm, quia vitio careant, sed quia habeant laudabilia multa. *Est enim*] Laus Atticorum omnium communis, vitiosi nihil habere: quod per vitia explicatur, virtutibus expositis contraria. Ut enim tres sunt sententiarum laudes, acumen, argutia, gravitas; sic sunt sententiarum totidem vitia. Si sententia sit aliena, aut non acuta, nil docet: si subinsulsa, displicet: si absurda, alienat. Verborum propriorum & translatorum elegantia laudatur. Ergo é propriis inquinatum aut abjectum, aut non aptum denique: in translatis, durum aut longé petitum, vitiosum est. *Hac vitaverunt*] Hæc Atticorum genera duo distinguuntur per allegoriam á corporibus athletarũ, primó subtile & acutum. *Palæstrice*] Palæstra, luctam proprié significat, ut apud Virgil. 6 Æneid.

Pars in gramineis exercent membra palæstris.

Per synecdochen sumitur generaliter pro umbratili exercitatione, non seria ipsa actione, ut in Oratore: Gymnasiis & palæstræ dicatum, spretum & pulsum foro. Et in Bruto: Non tam argutiis institutus, quàm palæstra. Aliquãdo chironomiam (quam libro primo Quintilianus inter artes liberales statuit) significat, id est legem corporis componẽdi & formandi gestus. Hinc primo de Legibus de Antipatro:

Vires habuit agrestes & horridas sine nitore atq; palæstra. Unde etiam ἀπάλαιστροι, palæstræ expertes appellantur in Oratore. Ergo palæstricé spaciari, est palæstritarum more inambulare, ad speciem nempe aliquam & pompam, non ad veritatem certaminis agere. *Xysto*] Xystus est porticus ampla, in qua athletæ exercentur hyberno tempore: Xystum autem, inambulatio est aperta, ubi exercentur sereno cælo. *Olympiis*] Olympia, urbs est Achaiæ, quæ Pisa priús dicebatur, ubi Jovis Olympii certamina quinto quoque anno celebrabantur. In quibus victor, Olympionices dicebatur: qui pené tantus apud Græcos honor fuit, quantus apud Romanos fuit, Consulem esse, ut pro Flacco. Ergo coronam ab illis ludis petere, præstantium fuit palæstritarum, non eorum qui tantúm palæstricé spaciari possent in xysto. Et tenues oratores hac allegoria significatur, qui parvarum rerum caussulas agére possunt, magnas & graves nō possunt. *Qui cum*] Allegorica notatio est perfecti oratoris, qui non est tantúm sanus & subtilis orator, sed suavis & robustus. *Lacertos*] Lacertus, proprié brachium significat á cubito ad carpum, in quo præcipuū robur est hominis: hinc per metaphoram vires significantur. *Sin minús*] Secundo loco imitationis proponit subtiles, tū Asiaticos rejicit. Varietas autem oratorum Atticorum & Asiaticorum, atq; inter utrosq, mediorum Rhodiorum, ex auditorum differētia orta est, ut docet in Oratore Cicero. Semper oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim qui probari volunt, voluntatē eorum qui audiunt, intuentur, ad eamq; & ad eorū arbitrium & nutum totos se fingunt & accommodant. Itaq; Caria & Phrygia & Mysia, quód minimé politæ miniméq; elegātes sunt, asciverunt aptū suis auribus opimum quoddā & tanquā adipale dictionis genus: quod eorū vicini (non ita lato interjecto mari) Rhodii nunquam probaverunt Græci autem multó minús: Athenienses veró funditus repudiaverunt: quorum semper fuit prudens syncerumq; judicium, nihil ut possent nisi incorruptum audire & elegans. Eorum religioni cúm serviret orator, nullum verbū insolens, nullum odiosum ponere audebat. *Asia*] Asiaticæ hujus abundantiæ duo genera sunt: alterum in sententiis, in

verbis alterum. de quibus sic in Bruto Tullius: Genera autem Asiaticæ dictionis duo sunt: unum sententiosum & argutum, sententiis non tam gravibus & severis, quám concinnis & venustis: qualis in historia Timæus; in dicēdo autem, pueris nobis, Hierocles Alabādeus, magis etiam Menecles, frater ejus, fuit: quorum utriusque orationes sunt in primis, ut Asiatico in genere, laudabiles. aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quám verbis volucre atque incitatum: quali est nunc Asia tota; nec flumine solúm orationis, sed etiam exornato & faceto genere verborum: in quo fuit Æschylus Gnidius & meus æqualis Milesius Æschines. in iis erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat. *Multos*] Ut qui nempe modó numerati sunt, ut item reliqui illi Ciceronis doctores fuēre, Menippus Stratonicensis, Dionysius Magnes, Adramitenus Xenocles: talem veró Romæ fuisse oratorem Hortensium Cicero ait: Tullium etiam Attici ajunt utroque genere & sententiarum & verborū redundantem, ut in Ciceroniano docuimus.

Quod cúm faciemus, si modó id ipsum assequamur (est enim permagnum) imitemur, si poterimus, Lysiam, & ejus quidem tenuitatem potissimúm. Est enim multis in locis grandior: sed quia & privatas ille plerasque, & eas ipsas aliis, & parvarum rerum caussulas scripsit, videtur esse jejunior, quoniam se ipse consultó ad minutarum genera caussarum limaverit. Quod qui ita faciet, ut si cupiat uberior esse, non possit, habeatur sané orator, sed de minoribus: magno autem oratori, etiam illo modo sæpe dicendum est in tali genere caussarum. Ita fit, ut Demosthenes certé possit summissé dicere, elaté Lysias fortasse non possit. Sed si eodem modo putant, exercitu in foro, & in omnibus templis, quæ circum forum sunt, collocato, dici pro Milone decuisse, ut si de re privata ad unum judicem diceremus:

al. debuisse:

mus: vim eloquentiæ sua facultate, non rei naturâ metiuntur.

Quod cúm] Exemplum subtilis oratoris in Lysia proponitur. *Est enim*] Sic in Oratore: Ac primúm informandus est ille nobis, quem solum quidam vocant Atticum: summissus est & humilis, consuetudinem imitans: ab indisertis re plus, quám opinione differens: itaque eum qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. Nam orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur existimári, sed nihil èst experienti minus. *Lysiam*] Lysias primó professus est artes Rhetoricas, deinde quód Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem jejunior, orationes aliis cœpit scribere, artem removit: habet autem Lysias certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quám gracilitates consectentur: quos, valetudo modó bona sit, tenuitas ipsa delectat: verúm est certé genere toto strigosior, sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa ejus subtilitate admodū delectentur. Hæc feré Tullius in Bruto. *Aliis*] Ut Cicero sæpé aliis orationes scripsit, ut Pompejo, Domitio: nec erant orationes illæ tales, quales fuissent á Cicerone habitæ. Trecentas autem orationes dicitur Lysias scripsisse. *Magno autem*] Transit ad exemplum perfecti oratoris, quod iterum á Demosthene petitur. *Illo modo*] Sic in Bruto: Sin autem acutum, prudens, & idem syncerum & solidum & exsiccatum genus orationis probant, nec illo graviore ornatu oratorio utuntur, & hoc proprium Atticorum esse volunt, recté laudant. Est enim in arte tanta tamq; varia, etiam huic minutæ subtilitati locus. *Ita fit*] Sic in Bruto, sed generaliter: Ita fiet, ut non omnes qui Atticé, iidem bene; sed ut omnes qui bene, iidem etiam Atticé dicant. Sed in Bruto Cic. bene dicere, appellat idem, quod nunc optimé. *Sed si*] Illustratio é dissimili argumento, quód magnæ caussæ, ut Miloniana, Lysiano genere tractari non debeant. *Exercitu*] De hoc sic Asconius: Clausæ fuerunt tota urbe tabernæ: præsidia in foro & circa omnes fori aditus Pompejus disposuit: ipse pro ærario consedit septus delecta manu militum. Citatur autem á Cicerone

Miloniana, ut pulcherrima & nobilissima orationum, sicut etiam á Quintiliano appellatur: tametsi longé secús habita sit, quám postea rescripta est, ut Quintilianus testatur: & Miloni Massiliæ exulanti cúm oratio hæc recitata esset, exclamasse fertur: Si sic egisses M. Tulli, Milo non esitaret Massiliæ barbatos pisces. Locus autem hic admonet conversas esse Æschinis & Demosthenis orationes post Milonis judicium: ac fortassis eo tempore quo Orator, qui quæstionis ejusdem gratiá descriptus est, & cujus summa quædam in hoc libello repetitur, de oratoris perfecti definitione & ejus distinctione ab historicis, philosophis, sophistis, ut postea patebit. *Sua facultate*] Sic Tuscul. 2. Reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, nisi quod imitari se posse confiderent, quemq; sperandi sibi, eundem bene dicendi finē proponerent: & cúm obruerentur copia sententiarum atque verborum, jejunitatem & famem se malle, quám ubertatem & copiam dicerent. Hæc Cic. ubi tamen Rhetoricé potiús quám historicé videtur agere: nec enim Atticorum, quos insectatur, videtur ea sententia fuisse, ut in Ciceroniano docuimus. Idem est etiam positum in Oratore, cúm de Demosthene agitur & Romanis Atticis. Quid enim sit Atticum, discant (ait Tullius) ut vim eloquētiæ, ipsius facultate, non imbecillitate sua metiantur.

Quare quoniam nonnullorum sermo jam increbuit, partim seipsos Atticé dicere, partim neminem nostrûm dicere, alteros negligamus: satis enim his res ipsa respondet, cúm aut non adhibeantur ad caussas, aut adhibiti derideantur. Nam si arriderentur, esset id ipsum Atticorum. Sed qui dici á nobis Attico more nolunt, ipsi autem se non oratores esse profitentur, si teretes aures habent, intelligensque judicium, tanquam ad picturam probandam adhibentur etiam inscii faciendi, cum aliqua solertia judicandi: sin autem intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, neque eos quicquam excel-

excelsum magnificumque delectat: dicant se subtile quiddam & politum velle, grave ornatumque contemnere: id veró desinant dicere, qui subtiliter dicunt, eos solos Atticé" dicere. Idcirco si siccé, " & integré, & amplé, & ornaté, & copiosé cum eadem integritate, Atticorum est: quid dubium est, utrúm orationem nostram tolerabilem tantúm, an etiam admirabilem esse cupiamus? non enim jam quærimus, quid sit Atticé, sed quid sit optimé dicere.

al. dicere, id est, quasi siccé, L. & integre. At si amplé, & ornaté, & copiosé, cū ead. integr. Att. est: cui dub. est,

QUARE] Hactenus propositio fuit, *Optimus orator est, qui docet, delectat, movet*: sequitur deinceps assumtio conclusioque gemina, prior adversus Atticos, qui nihil horum præstent, ideoque negligendi. *Sermo*] Sic in Oratore: Monendi sunt ii, quorum sermo imperitus increbuit, qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Atticé volunt dicere. *Neminem nostrum*] Sed ego solus alius sum, ait ad Atticum hac de re Cicero, ubi significat cæteris Romanis oratoribus se Asiaticum esse visum. *Satis enim*] Sic Tuscul. 2. Unde erat exortum genus Atticorum, iis ipsis, qui id se sequi profiterentur, ignotum: qui jam conticuere pené ab ipso foro irrisi. Idem etiam ponitur in Bruto: At cúm isti Attici dicunt, non modó á corona, quod est ipsum miserabile, sed ab advocatis relinquuntur. Veruntamen in hac tribus locis iterata assumtione, licentia quædam videtur oratoria, non veritas historica, ut in Ciceroniano pleniús docuimus. nec enim id Calvo, Callidio, Asinio, Bruto Atticis accidit. *Arriderentur*] Lectio hæc commodior est, quám ut in quibusdam codicibus legitur, *arrideantur*. Arridere autem proprié est cum ridentibus ridere.

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus,—

ait Horatius. Hîc veró generaliter accipitur pro quavis affectione animi, qua subsequitur auditor oratorem. Sic enim de Atticis in Bruto Cicero: Volo hoc oratori contingat, ut cúm auditum sit eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribæ sint in dando & cedendo loco, corona multiplex, judex erectus: Cúm surgit is, qui dicturus sit, significetur á corona silentium: deinde crebræ assensiones, multæ admirationes, risus cúm velit, fletus: ut qui hæc procul videat, etiam si quid agatur, nesciat, at placere tamen, & in scena esse Roscium intelligat. Hæc cui contingant, eum scito Atticé dicere, ut de Pericle audivimus, ut de Hyperide, ut de Æschine, de ipso quidem Demosthene maximé. *Sed qui dici*] Sequitur altera assumtio conclusioque pro Cicerone, quód Cicero doceat, delectet, moveat: sed modesté id dici non poterat: itaque aptiús refellitur contraria reprehensio Atticorum, negantium Ciceronem Atticé dicere: Qui (ut hic ait Tullius) si iudicio id affirmarent, essent fortassis audiendi: At fastidium tantúm hîc adhibent: Quare non audiendi. *Profitentur*] Rhetorica licentia est. Nam Attici isti de principatu eloquentiæ cum Cicerone contendebant: tantum aberat, ut se oratores non profiterentur esse. *Teretes*] Teres proprié quod in longum rotundum est, ut cylindrus: hinc metaphora, qua etiam Orat. 3 sic utitur Cicero: Plena quædam, & tamen teres & tenuis oratio. Sed tamen similius illud in Oratore: Ad Atticorum igitur teretes aures & religiosas qui se accommodant, ii sunt existimandi Atticé dicere. *Tanquam ad picturam*] Brevis est similitudo: qua, ni fallor, ad Apellem allusio quædam est, de quo sic Plinius: Idem perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus: atque post ipsam tabulam latens, vitia, quæ notarentur, auscultabat, vulgum diligentiorem judicem, quám se præferens: feruntque á sutore reprehensum, quód in crepidis una intus pauciores fecisset ansas: eodem postero die superbo emendatione pristinæ admonitionis, cavillante circa crus, indignatum prospexisse, denunciantem, ne supra crepidam sutor judicaret: quod & ipsum in proverbium venit. Hæc Plinius. Tametsi locus de omnibus pictoribus intelligi potest, quem etiam generaliter

Offic.1 de pictoribus,statuariis,poëtis Cicero proponit: Ut enim, ait, pictores, & ii qui signa fabricant, & veri etiam poetæ, suum quisque opus á vulgo considerari vult, ut si quid reprehensum sit á pluribus,id corrigatur. *Inscius faciendi*] Sic Aristotel.3 Polit.ait:De nonnullis rebus non solus effector & opifex judicat acutiús, quám hi qui res illas utcunque vel sine arte norunt, ut de domo rectiús œconomus judicat, quám architectus: & de gubernaculo meliús gubernator,quám faber: & de convivio elegantiús conviva, quám coquus. *Sin autem*] Assumtio quædam est contra proximam thesin, quód non reprehendant judicio, sed fastidio: & pro complexione distinctio quædam generum ponitur,qualis est etiam in Bruto: Sin autem jejunitatem & siccitatem & inopiam, dum modó sit polita, dum urbana,dum elegans,in Attico genere ponit, hoc certé duntaxat: sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat ne ignoret & gradus & dissimilitudines & vim & varietatem Atticorum. *Solos*] Atticorum genera plura sunt, ait in Oratore Tullius de suis Atticis: Hi unum modó quale sit suspicantur: putant enim qui horridé incultéq; dicat, modó id eleganter enucleatéque faciat, eum solum Atticé dicere. Et ibidem: Ac primúm informandus est ille nobis, quem solum quidam vocant Atticum. *Idcirco*] Deducitur inde manifesta pro Cicerone conclusio,quód non solúm tolerabilis, sed etiam admirabilis &optimus sit orator. Et hæc conclusio demonstrat huc antecedentia spectasse. *Idcirco*] Codices alii habent pro *idcirco si, id est, quasi*: quæ lectio sensum nullum haberet: quamvis hoc ipsum *idcirco*, pro *quamobrem*, consideratione indiget. *Atticorum*] Talis enim & Atticus Demosthenes fuit. Si recordabere ἀνωσθένους fulmina, jam intelliges posse & ἀττικώτατα gravissimé dici,ait Tullius ad Atticum. Itaque etiam amplitudo orationis, & gravitas Attica est. *Attice*] Aliud est Atticé,aliud est optimé dicere. Nam & Attica facundia suos etiam gradus habet, ut ἀττικῶς, ἀττικώτερον, ἀττικώτατα, sicut bene, meliús, optimé dicatur. Nec satis accuratum est illud Quintiliani lib.12, cap.10, Meliús de hoc nomine sentiant (inquit cúm de Atticis loquitur) credantque Atticé dicere, esse optimé dicere. Et contrarium

est illud Cic. in Bruto, ubi bene dicere sic usurpatur, ut nunc optimé. Ita fiet, ut non omnes qui Atticé, iidem bene: sed ut omnes qui bene, iidem etiam Atticé dicant.

Ex quo intelligitur, quoniam Græcorum oratorum præstantissimi sunt ii qui fuerunt Athenis, eorum autem princeps facilé Demosthenes: hunc si quis imitetur, eum & Atticé dicturum, & optimé: nt, quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, bene dicere, id sit Atticé dicere. Sed cúm in eo magnus error esset, quale esset id dicendi genus, putavi mihi suscipiendum laborem utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium. Cõverti enim ex Atticis duorum eloquentissimorũ nobilissimas orationes inter se contrarias, Æschinis Demosthenisq;: nec converti ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem, & earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non "verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum vimq; servavi: non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere. Hic labor meus hoc assequetur, ut nostri homines quid ab illis exigant, qui" se Atticos volunt, & ad quam eos quasi formulam dicendi revocent, intelligant.

L. verbũ verbo nec.

L. se esse Att.

Ex quo] Connectitur ex superiore disputatione syllogismus alter: Si quis Æschinem imitetur & Demosthenem, Atticé dicit & optimé: Æschines autem primó non ponitur, sed explicatur deinceps. Assumtio veró & conclusio cúm de Atticis, tùm de Cicerone non exponitur. *Græcorum*] Atticorum, Rhodiorũ, Asiaticorum: omnes enim hi Græcé loquebantur. *Qui fuerunt Athenis*] Periphrasis est Atticorum. Caussa veró præstantiæ in Atticis jam dicta est ex auditorum prudentia. *Princeps*] Sic in Oratore:

tore: Sed recordor longé omnibus unum anteferre Demosthenem, qui vim accōmodarit ad eam, quam sentiam, eloquentiam: non ad eam, quam ipse in aliquo cognoverim. Hoc nec gravior extitit quisquam, nec callidior, nec temperantior. Itaque nobis monendi sunt ii (quorum sermo imperitus increbuit, qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Atticé volunt dicere) ut mirētur hunc maximé, quo ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas. Et ibidem de Demosthene: Nihil Lysiæ subtilitate cedit, nihil argutiis & acumine Hyperidi, nihil lenitate Æschini & splendore verborum. *Imitetur*] De hac etiam imitatione sic in Bruto: Demosthenem igitur imitemur. O dii boni, quid quasi nos aliud agimus? aut quid aliud optamus? At non assequimur. Isti enim videlicet Attici nostri assequuntur quod volunt. *Atticé dicturum*] Hinc fortasse Quintiliano fuit occasio idem faciendi, dicere Atticé & dicere optimé: quod nequaquam tamen verum est, ut anté jam patuit, & mox patebit. *Propositis*] A Romanis, qui se Atticos dici desiderant. *Bene*] Atque ut bene, meliús, optimé, sic ἀττικῶς, ἀττικώτερον, ἀττικώτατα, dici potest, ut jam dixi: ut hinc error Quintiliani manifestus fit. *Sed cum*] Assumtionis sententia sequebatur, quód Romani non imitarentur Æschinem & Demosthenem: Tullius autem imitaretur, ut pateret ex eorum orationibus: at id é propositione intelligi Cicero maluit. *Error*] Cúm Romani Attici putarent, qui subtiliter dicerent, eos solos Atticé dicere, ut jam patuit. *Studiosis*] Studere & studiosus, cujuscunque rei dicitur apud Ciceronem. apud Quintilianum autem, studere ponitur absoluté pro studere literis: ut cúm quærit, utilius ne sit domi studentem continere, an publicis præceptoribus tradere. Quomodo Grammatici notant hic á Cicerone dici studiosos, pro studiosis literarum. Videbis ne quid hic desit, ut studiosis eloquentiæ Latinæ. *Mihi*] Græcé luculenter intelligenti. Nam Cicero Græcé declamitavit ad Præturam usque, ut ait Suetonius: imó ad extremam senectutem, ut in Ciceroniano nostro videbis: tã familiaris ei fuit Græca lingua. *Nobilissimas*] De quibus sic Oratorio tertio Crassus ait; Quo mihi meliús etiam illud ab Æschine dictum videri

solet, qui cùm propter ignominiam judicii cessisset Athenis, & se Rhodum cōtulisset, rogatus à Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat: qua perlecta, petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quæ erat contrà à Demosthene pro Ctesiphonte edita: quam cùm suavissima & maxima voce legisset, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum? *Æschines*] κατὰ κτησιφῶντος, contra Ctesiphontem: de cujus orationis argumento pauló póst. Fuit veró Æschines, Atheniensis orator, Demostheni proximus eloquentiâ, ut est in Bruto, magis fusus & grandiori similis, quó minús strictus: carnis tamen plus habet, minus lacertorum: latior denique & audentior & excelsior, ut ait Quintil. lib. 2 & 12. Tres ejus orationes extant, & aliquot epistolæ. *Demosthenes*] περὶ στεφάνου, de corona. sic enim inscribitur. Interrogatus Cicero, quæ optima Demosthenis esset oratio? Quæ longissima, respondit, ut est apud Plutarchum. Sed in Oratore magis etiam hæc eadem laudatur: Demosthenes (ait) in illa pro Ctesiphonte oratione longé optima, summissiús à primo, deinde, dum de Legibus disputat, pressius: post sensim incedens, judices ut vidit ardentes, in reliquis exultavit audaciús. Atque iterum ibidem: Verùm hæc vis, quam quærimus, quanta sit, suspicemur, quoniam exemplum nō habemus: aut si exempla sequimur, á Demosthene sumamus: & quidem perpetuæ dictionis ex eo loco, unde in Ctesiphontis judicio de suis factis, consiliis, meritis in Rempubl. aggressus est dicere: Ea profectó oratio in eam formam, quæ est insita in mentibus nostris, includi sic potest, ut major eloquentia ne requiratur quidem. *Nec converti*] Digressiuncula de conversionis officio. *Interpres*] Nempe qui verbum pro verbo reddendum necessarió existimet, ut mox Cicero ipse interpretatur: quomodo sæpé in Philosophia interpres sumitur á Cicerone. locus unus est Tuscul. 3, ubi præcipué illud expressum est: Quid (inquit) tergiversamur, Epicure? nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cúm os perfricuisti, soles dicere? Sunt hæc tua verba, néc ne? In eo quidem libro qui continet omnem disciplinam tuam (fungar enim jam interpre-

terpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis hæc: Nec equidem habeo quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ ſapore percipiuntur: detrahens eas etiam, quæ auditu & cantibus: detrahens eas etiam, quæ ex formis percipiuntur oculis, ſuaves motiones, ſive quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet é ſenſu. Hic igitur Cicero ſe interpretem vocat, ubi ſané verbũ de verbo exprimit, ut Græca illa, quæ ſunt apud Laërtium & Athenæum, conferenti intelligere liceat. οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω τ' ἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ τῶν χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις. Quare Ciceronis definitione & intelligentia interpres eſt, qui verbum verbo reddit. Quod Horatius etiam notaſſe, diligentiús animadvertenti videatur eo loco:

Publica materies privatı juris erit, ſi
Nec circa vilem patulumq́; moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres.—

Minús apertus eſt hîc Horatius, quám Cicero illo loco fuit: attamen cúm ſic Horatii ſententiam diſtingues (Publica materies erit privati juris, ſi nec moraberis circa vilem & patulum orbem, nec fidus interpres curabis reddere verbũ verbo) cúm, inquam, ſic diſtingues, fidus interpres Horatii, idem erit quod hîc interpres Ciceronis. *Orator*] Quæ Grammatica ſermonis integritas, qui troporum & figurarum ornatus, quod acumen inventionis, quæ collocatio rerum in Græcis illis orationibus fuit, ea omnia ſibi reddenda & exprimenda Tullius propoſuit. Qui veró modó ſententiam reddiderint, interpretis officium ſe præſtitiſſe arbitrantur, de tribus oratoris laudibus prudentiam exprimunt: at ſuavitatem, qua delectat; at gravitatem, qua movet, ſi cætera illa deſpiciant, non reddunt: quas tamen laudes in Oratore Cicero longé maximas exiſtimavit: qui tamen verbum de verbo exprimens, ſententiam reddit: in Logica & in figuris ſententiarum offendere non admodũ poteſt, in cæteris reb. plurimúm poteſt. Ergo redde Grammaticam, Rhetoricam, Logicam propoſiti authoris, authorem totum redditum & converſum arbitrabor: ſecús,

vide ne partem unam reddideris, multas omiseris, *Annumerare*] Metaphoræ sunt, Annumerare & appendere, à trapezitis & aurificibus, qui plerunque non annumerant, sed appendunt & ponderant. Atque interdum uno verbo potes multa verba exprimere: interdum cogeris multis unum convertere: Reddatur igitur si non par numerus, par certé pondus, necesse est. *Hic labor*] Finis est & utilitas, quamobrem conversæ sint orationes illæ contrariæ. *Nostri*] Nostrates, id est, Romani, seu Latini: Quomodo Terentius in Eunucho dixit:

Haud similis virgo est nostrarum virginum,

id est, nostratium. *Formulam*] Regulam postea dicet: Erit regula, ad quam dirigantur eorum orationes, qui Atticé volunt dicere.

Sed exorietur Thucydides. ejus enim quidam eloquentiam admirantur: id quidem recté, sed nihil ad eum oratorem, quem quærimus. Aliud est enim explicare res gestas narrando, aliud argumẽtando criminari, criménve dissolvere: aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare. At loquitur pulchré. Num meliús quám Plato? necesse tamen est oratori, quem quærimus, controversias explicare forenses, dicendi genere apto ad docendum, ad delectãdum, ad permovendum. Quare si quis erit, qui Thucydidio genere caussas in foro dicturum sese profiteatur, is abhorreat etiam á suspicione ejus, quæ versatur in re civili & forensi: qui Thucydidem laudavit, ascribat suæ nostram sententiam.

SED EXORIETUR] Prolepsis, quód Thucydides sit etiam Atticus: quæ solvitur dissimilitudine historici & oratoris. *Eloquentia*] De hac sic Oratorio 2, cúm de Herodoto dictum esset: Est post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facilé vicit: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum propé numerum sententiarum

tiarum numero consequatur: ita porró verbis aptus & pressus, ut nescias utrúm res oratione, an verba sententiis illustrentur. *Sed nihil*] Sic Oratorio 2. Atqui ne hunc equidem, quanquam est in Repub. versatus, ex numero accepimus eorum qui caussas dictitarunt: & hos libros tum scripsisse dicitur, cúm á Repub. remotus, atq; (id quod optimo cuiq; Athenis accidere solitum est) in exilium pulsus esset. Sic in Bruto describitur Thucydides, ut nimiúm vetus, nec aptus oratori: Thucydidem (inquit) imitamur. Optimé, si historiam scribere, non si caussas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum gestarũ pronunciator syncerus & grandis etiam fuit; hoc forense, concertatorium, judiciale non tractavit genus. Orationes autem, quas interposuit (multæ enim sunt) eas ego laudare soleo: imitari neq; possim, si velim: nec velim fortasse, si possim: ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis Cõsulibus natum velit; nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quærat. Atqui eæ notæ sunt optimæ: credo, sed nimia vetustas nec habet eam, quã quærimus, suavitatem, nec est jam sané tolerabilis. Num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? Minimé, sed quandã sequatur ætatem. Sic ego istis censuerim, & novam istam quasi de musto ac lacu fervidam, orationẽ fugiendam, nec illam præclaram Thucydidis nimis veterem, tanquam Anicianam notam, persequendam. Ipse enim Thucydides, si posteriús fuisset, multó maturior fuisset, & mitior. Idem feré est in Oratore: Ecce autẽ aliqui se Thucydidios esse profitentur, novum quoddam imperitorum & inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quendam sequuntur, non illum quidem amplum atq; grandem, subtilem & elegantem tamen, & qui in forensibus caussis possit præclaré consistere: Thucydides autem res gestas & bella narrat & prælia, graviter sané & probé; sed nihil ab eo trãsferri potest ad forẽsem usum & publicum. Ipsæ illę conciones ita multas habent obscuras abditasq. sententias, vix ut intelligantur: quod est in oratione civili vitiũ vel maximũ. Quæ est autẽ in hominib. tanta perversitas, ut inventis frugibus, glande vescãtur? an victus hominũ, Atheniensiũ beneficio excoli potuit, oratio non potuit? Quis porró unquã

Græcorum Rhetorum á Thucydide quicquam duxit? At laudatus est ab omnibus. Fateor: sed ita, ut rerum explicator prudens, severus, gravis: non ut in judiciis versaret caussas, sed ut in historiis bella narraret: itaq; nunquam est numeratus orator. Nec veró si histotiam non scripsisset, nomen ejus extaret, cúm præsertim fuisset honoratus & nobilis. Hujus tamen nemo neque verborum, neque sententiarum gravitatem imitatur: sed cúm mutila quædam & hiantia locuti sunt, quę vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas. *Res gestas*] Ut Thucydides, qui rerum gestarum pronunciator syncerus & grandis etiam dictus est, qui res gestas narrat, & prælia graviter sané & probé. *Argumentando*] Quod Orator facit. *Narratione*] Nam in historia narratur inornaté, & regio sæpé aut pugna describitur: interponuntur etiam conciones & adhortationes, sed in his tracta quædam & fluens expetitur, non hæc contorta & acris oratio. Cic. in Orat. ubi oratoris ab historico hæc distinctio est, unde huc repetitur, ut antea dixi. *Concitare*] Quod oratoris est munus partitione tertium, genere maximũ, ut est in Bruto. Quanquam & Thucydides incitatus interdum fertur, & de bellicis rebus canit quodammodo classicum, ut est in Oratore. *At loquitur*] Iteratur prolepsis, & collatione majoris exempli refellitur: Plato meliús loquitur, qui tamen non habetur orator. *Plato*] Quid uberius Platone? Jovem sic, ajunt philosophi, si loquatur, loqui: ut est in Bruto. Atque ut exemplo Thucydidis oratorem separat ab historico, sic modó Platonis exẽplo, separat á philosopho. qua de re locus ille est amplissimus in Oratore: Quãquam enim & philosophi quidam ornaté locuti sunt (si quidem & Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit, & Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit, & Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt; & longé omnium quicunque scripserunt, aut locuti sunt, extitit & gravitate princeps Plato) tamen horum oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet. loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt, quám incitare: siquidem de rebus placatis ac minimé turbulentis docendi caussa, nõ capiendi, loquuntur: ut in eo ipso quód delectationem aliquam

dicen-

dicendo aucupentur, plus nonnullis, quám necesse sit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquétiam, de qua nunc agitur, secernere. Mollis est enim oratio philosophorum, & umbratilis, nec sententiis, nec verbis instructa popularibus, nec juncta numeris, sed soluta liberiús: nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum: casta, verecũda, virgo incorrupta quodammodo. itaque sermo potiús quám oratio dicitur. *Quare*] Conclusio solutæ prolepseως.

Quin ipsum Isocratem, quem divinus author Plato suum feré æqualem admirabiliter in Phædro laudari fecit á Socrate, quanquam omnes docti summum oratorem esse dixerunt, "tamen hoc in numero non repono. Non enim in acie versatur" & foro, quasi rudibus ejus eludit oratio. A me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobilissimum inducitur: Æschines tanquam Æserninus (ut ait Lucilius)

L. tamen hunc hoc in n.

L. & ferro: sed quasi r.

--Non spurcus homo, sed doctus & acer,

Cum" Pacideiano hîc componitur, optimus longé

L. Placidiano

Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Nihil enim illo oratore arbitror cogitari posse divinius.

QUIN IPSUM] Altera majoris exempli collatio, ubi separatur item orator á sophista: qua de re sic in Oratore: Sophistarum, de quibus suprá dixi, magis distinguenda similitudo videtur, qui omnes eosdem volunt flores, quos adhibet orator in caussis, persequi. Sed hoc differunt, quód cúm sit his propositum non perturbare animos, sed placare potiús; nec tam persuadere, quám delectare; & apertiús id faciunt, quám nos, & crebriús; concinnas magis sententias exquirunt, quám probabiles: á re sæpé discedunt, intexunt fabulas, verba apertiús transferunt, eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum: paria paribus referunt, adversa contrariis, sæpissimeque similiter extrema

definiunt. *Isocr. item*] De quo sic in Bruto: Similiter Isocratem primò artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in judiciis uterētur: sed cùm ex eo, quia quasi committeret contra legem, quo quis judicio circumveniretur, sæpè ipse in judicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere, totumque se ad artes componendas transtulisse. Item, Extitit igitur jam senibus illis, quos pauló antè diximus, Isocrates (cujus domus cunctæ Græciæ quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi) magnus orator, & perfectus magister, quanquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo judicio est postea consecutus: is & ipse scripsit multa præclaré, & docuit alios: & cùm cætera meliùs, quàm superiores, tum primus intellexit etiam in soluta oratione, dum versum effugeret, modum tamen & numerum quendam oportere servari. *Phædro*] Phædrus, dialogus est Platonis: locum Cicero convertit in Oratore his verbis: Est enim (ut scis) quasi in extrema pagina Phædri his ipsis verbis loquens Socrates: Adolescens etiam nũc, ô Phædre, Isocrates est: sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Majore mihi ingenio videtur esse, quàm ut cum orationibus Lysię comparetur: præterea ad virtutem major indoles: ut minimè mirum futurum sit, si, cùm ætate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum quantum pueris, reliquis præstet omnibus, qui unquam orationes attigerunt: aut si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu majora concupiscat. inest enim naturâ philosophia in hujus viri mente quædam. Hæc de adolescente Isocrate Socrates auguratur: at ea de seniore scribit Plato, & scribit æqualis; & quidem exagitator omnium Rhetorum; hũc miratur unum: Me autem, qui Isocratem non diligunt, unà cum Socrate & Platone errare patiantur. *Tamen*] Magnus orator & perfectus magister, quanquam forensi luce caruit, ut jam citavimus è Bruto. Ergo quamvis à quibusdam dicatur orator summus, attamen in oratoris nostri numero non ponitur. *Non enim*] Allegoriâ à gladiatoribus significat Isocratem Rhetorem & sophistam, nõ actorem caussarum & veritatis oratorem fuisse: sic veras actiones, aciem vocat,

ut Orat. 1. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione & umbratili mediũ in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque aciem forensem. *Rudibus*] Rudis, fœminini generis, virga impolita: Hæc rude misceto ter in die, ait Cato. Rudibus autem solitos pugnare gladiatores, testis est Lampridius, cúm ait, Commodum in arena rudibus inter cubiculares depugnasse. Quod & Suetonius in Caligula planiús dicit: Mirmillonem é ludo rudibus secum batuentem, & sponté prostratum confodit ferrea sica, ac more victorum cum palma discurrit. Batualia autem, exercitationes gladiatorum rudibus depugnantium: & batuatores gladiatores ipsi dicuntur, ut arenarii, qui in arena: & machærati, quia machæra: & bustuarii, quia ad bustum fortium virorum: & bestiarii, quia contra bestias depugnarent. Aliquando autem rudis, eodem genere, signum missionis significat, & vocationis á gladiatorio munere: ut donati rude, dicantur emeriti gladiatores & consummati, quique gladiaturam desiêre, & publicé alimenta capiunt, quique ideo rudiarii appellantur, ut apud Suetonium in Tiberio: Munus gladiatorium dedit primum in foro, secundum in amphitheatro: Rudiariis quoq; quibusdam revocatis, authoramento centenûm millium. Itaque sensus est hujus allegoriæ: Quamvis Isocrates eloquentia tanta sit, versatur tamen in sophistico & epidictico, táquam ludicro genere, in foro & vero certamine non versatur. *Eludit*] Metaphora item gladiatoria est:

Persisti, eludet, ubi te victum senserit,

ait Terentius. Eludere enim (ait ad eum locum Donatus) est ludo finem imponere. *A me*] Opponuntur adversus historicum Thucydidem, philosophum Platonem, sophistam Isocratem, Æschines & Demosthenes veluti gladiatores summi. *Ut cum*] Oratoris enim, id est, in Republ. principis, persona maxima est: gladiatoris, id est, spurci mancipii, minima. *Cum maximis minima*] Virgilius á Cicerone id mutuatus est:

Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos,
Noram sic parvis componere magna solebam.

Par] Neutri generis. Sic in Lælio Cicero: Ex omnibus vix tria aut quatuor numerantur paria amicorum. *Nobilis-*

simum] Sic orationes nobilissimæ antea dictæ sunt. *Lucilius*] Lucilius Satyricus 40 anno mortuus,& elatus Neapoli publico funere: de quo Horat.1 Sermon.Sat.4,

Emunctæ naris, durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora sæpe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno:
Cùm flueret lutulentus, erat quod tollere velles,
Garrulus, atq; piger scribendi ferre laborem.

Et ibidem Satyra 10,

—At idem, quòd sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eâdem.

Non spurcus] Crinitus libri 19, capite 9, citat hos versus integros á Nonio Marcello:

AEsernimus fuit flacco ore, atqueq; Samnis,
Spurcus homo: vita fuit illa dignus locoq;
Cùm doctus, tum acer componier, optimus multò
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Cælius Rhodiginus libri 11, capite 11, citat pauló secús, quēadmodum hodieque leguntur in Nonio, citante ex quarto Satyrarum Lucilii. Sic enim habent,

AEsernimus fuit flacco ore, unà equidem
Samnis, spurcus homo, vita illa dignus locoq;
Cum Pacideiano componier, optimus multo
Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Et certé Crinitus parum attendit, á Cicerone verbis commutatos esse poëtæ versus, ut collatio congrueret: neq; tamen collationis sententia percipietur, nisi versus ultimus plenus ita & legatur & intelligatur:

Post homines natos gladiator qui fuit unus.

Itaque hemistichium reposuimus, ut Pacideiano Demosthenes comparetur, qui fuit omnium oratorum, tāquam gladiatorum, longé præstantissimus: secús, Æschini attribuerentur, quæ sine dubio Tullius Demostheni attribuit. nec enim Cicero dicere vult, Æschinem post homines natos longé optimum, nec illo oratore nihil esse divinius: sed hæc omnia de Demosthene intelligit. *Componitur*] Côponi gladiatores dicuntur, cúm depugnaturi in arenā producuntur: pro quo etiam committi dicitur. *Illo oratore*] Demosthene, quo ne Athenas quidem ipsas credo

magis

magis Atticas fuisse: & cujus oratio in eam formam, quæ in mentibus nostris inhæret, sic includi potest, ut major eloquentia non requiratur, ut jam dictum est.

Huic labori nostro duo genera reprehensorum opponuntur: unum hoc, Verùm meliùs Græci: A quo quæratur, ecquid possint ipsi meliùs Latinè. Alterum, Quid istas potiùs legam quàm Græcas? Iidem Andriam & Synephebos, nec minùs Terentium & Cæcilium, quàm Menandrũ legunt: nec Andromacham aut Antiopam, aut Epigonos Latinos recipiant: sed tamen Ennium & Pacuvium & Accium potiùs, quàm Euripidem & Sophoclem legunt. Quod igitur est eorum in orationibus à Græco conversis fastidium, nullum cùm sit in versibus?

L. Nec Andromachã igitur, aut Antiopã, aut Epigonos Latinos recipiant. Sed tamen Ennium, & Pacuvium, & Accium potiùs, quàm Euripidem, & Sophoclẽ legũt. Iidem Andriam, & Synephebos: nec minùs Terentium, & Cæciliũ, quàm Menãdrum legunt.

HUIC LABORI] Prolepsis duplex: prima est, At Græcipui Oratores Æschines & Demosthenes, meliùs dicunt Græcè, quàm Cicero Latinè converterit: cui respondetur: parium collatione quadam: At reprehensores isti, Latinè melius reddere non possent. Qualis est Martialis ille locus:

Ista tamen mala sunt, quasi nos manifesta negemus:
Hæc mala sunt, sed tu non meliora facis.

Alterùm] Secunda prolepsis, quæ ex prima ferè deducitur, quòd Græcæ Orationes Æschinis & Demosthenis potiùs legendæ, quàm Latinæ Ciceronis: cui respondetur per collationem minorum, Si poëtæ conversi legantur, cur non etiam oratores? At primum verum, secundum igitur. Ejusmodi autem argumentũ est 1 de Finibus. His igitur est difficilius satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere: in quibus hoc primum est: In quo admiror, cur in gravissimis rebus non delectet eos patrius sermo, cùm iidem Latinas fabellas ad verbum de Græcis expressas non inviti legant. *Andriam & Synephebos*] Fabulas Græcè à Me-

nandro primùm factas: Andria autem cur dicta sit, ex Andria Terentii cognosces, é prima scena: ubi mulier ex Andro Andria describitur: συνέφηβοι autem, uná pubescentes æquales. *Terentium*] A quo Andria ex Menandro Latina facta est: tametsi in Andriam ex Perinthia quædam translata sunt, ut est in Prologo Terentii. *Cæcilium*] A quo Synephebi Latiné redditi. *Menandrum*] Qui utranque Græcé scripserat, ut dixi. Sic 1 de Finibus, Synephebos ego, inquit, potiús Cæcilii, aut Andriam Terentii quám utranque Menandri legam? A quibus tam dissentio, ut, cúm Sophocles vel optimé scripserit Electram, tamen malé cõversam Attilii mihi legendam putem. De quo Licinius, ferreum scriptorem: verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit. rudem enim esse omnino in nostris poëtis, aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi. Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt: At,

Utinam ne in nemore,

nihilo minús legimus, quám hoc idem Græcum. *Andromacham*] Andromacha, uxor Hectoris, tanquam Virago dicta: hinc eo nomine ab Euripide tragœdia, quæ etiam hodie inter Euripidis tragœdias habetur. *Antiopam*] Antiopa fuit Myrtei regis filia, Lyci Thebanorum regis uxor, amata á Jove: unde tragœdiæ Euripideæ nomé. *Epigonos*] ἐπίγονοι, fœtus succidanei, posteri: sic appellati sunt, qui secundum bellum Thebanum gessere. *Recipiant*] Sententia explenda é prolepsi: Si Latinas conversiones hi reprehensores contemnant, ne recipiant Andromacham, Antiopam, Epigonos fabulas Latiné conversas: At recipiunt. *Sed tamen*] Assumtio est ex illa propositione, At recipiunt Latinas conversiones. *Ennium*] A quo Andromacha Latina facta est. *Pacuvium*] A quo Antiopa, ut est apud Persium:

Sunt quos Pacuviusq; & verrucosa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.

De quo etiam illud 1 de Finibus: Quis enim tam inimicus pené nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat ac rejiciat, qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas literas oderit? *Accium*] A quo

quo Epigoni, ut hîc Cicero indicat. *Euripidem*] Poëtam tragicum, á quo Andromacha & Antiopa Græcé scriptæ, ut hîc ostendit Cicero. Scripsit autem Euripides fabulas 75, & quinquies vicit, ut Suidas docet: quem Cicero tanti fecit, ut est ad Tyronem, ut singulos ejus versus, singula testimonia putaret. *Sophoclem*] Poëtam tragicum, qui fabulas dedit 123, vicitque ter & vicies: cujus tanta fuit gravitas, ut Sophocleum in hoc genere pro summo usurpetur, ut 8 Eclog. Virg.

En erit ut liceat mihi totum ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?

Quod igitur] Sententia propositionis est: Si poëtæ conversi de Græco legantur, cur non & oratores legentur? *Fastidium*] Sin autem intelligentiam ponunt in audiendi fastidio, fuit pauló anté.

Sed aggrediamur jam quod suscepimus, si priús exposuerimus, quæ caussa in judicium deducta sit. Quum esset lex Athenis, ne quis populi scitum faceret, ut quisquam corona donaretur in magistratu priús, quám rationes retulisset: & altera lex, eos qui á populo donarentur, in concione donari debere: quia in Senatu Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eosq; refecit pecunia sua. De hoc igitur Ctesiphon scitum fecit, nullis ab ipso rationibus relatis, ut corona aurea donaretur, eaque donatio fieret in theatro, populo convocato: qui locus non est concionis legitimæ: atq; ita prædicaretur, eum donari virtutis ergó, benevolentiæq;, quam erga populum Athenienſem haberet. Hunc igitur Ctesiphontem in judiciũ adduxit Æschines, quód contra leges scripsisset, ut & rationibus non relatis corona donaretur, ut & in theatro: & quód de virtute ejus & benevolentia, falsa scripsisset, quoniam Demosthenes nec vir bonus esset, nec bene meritus de civitate.

L. in sua tribu Dem.

SED AGGREDIAMUR] Hactenus fuit caussa conversionis, sequitur argumentum conversarũ orationum: Qui populi scitum fecerit de magistratu, non relatis rationibus, & extra concionem coronando, legibus tenetur: Id fecit Ctesiphon: Tenetur igitur. Cicero autem argumentum earum orationum eleganter in unum syllogismum comprehendit: sed in propositione oblitus est de tribus legibus unam, quam assumtione & complexione expressit, ut mox videbis. *Lex Athenis*] Verba Æschinis sunt hac de re: κατιδὼν δέ τις ταῦτα νομοθέτης, τίθησι νόμον καὶ μάλα καλῶς ἔχοντα, τὸν διαῤῥήδην ἀπαγορεύοντα τοὺς ὑπευθύνους μὴ στεφανοῦν. Atqui his perspectis, legislator quidam legem tulit, & valde præclarã, quæ nominatim prohibet, ne qui non relatis rationibus coronentur. Cui legi Æschines differit etiam sacerdotes, viros ac fœminas, non magistratus tantúm politicos, imó veró etiam privatos & Rempubl. suo sumtu adjuvantes, subjectos esse, adeó ἀνεύθυνον καὶ ἀζήτητον καὶ ἀνεξέταστον οὐδέν ἐστιν τῶν ἐν τῇ πόλει, nihil est in civitate non subditum rationi, disquisitioni, examini: ut si nihil neque acceperis publicum, neque impenderis, dicas in referendis rationibus, οὔτ' ἔλαβον οὐδὲν τῶν τῆς πόλεως, οὔτ' ἀνήλωσα, Neque accepi quicquam é publico, neq; impendi. *Altera lex*] De qua sic Æschines: ὁ γὰρ νόμος διαῤῥήδην κελεύει, ἐὰν μέν τινα στεφανοῖ ἡ βουλὴ, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἀνακηρύττεσθαι· ἐὰν ὁ δῆμος, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ. Lex enim manifesté jubet, si quempiam Senatus corona donaverit, ut prædicetur in Senatu: sin autem populus, in concione, alibi nusquam. Hæ sunt leges Æschinis, quas Cicero syllogismi sui propositione complectitur: At præterea illud etiam est in Æschine, cõtra laudes Demosthenis, quas falsas Ctesiphon retulerat in populi scitum: ἁπαντες γὰρ ἀπαγορεύουσι οἱ νόμοι, μηδένα ψευδῆ γράφειν ἐν τοῖς δημοσίοις ψηφίσμασι, Omnes enim leges vetant, ne falsa in publicis decretis perscribat. Hanc, inquam, tertiam legalis probationis partem, Ciceronis propositio non habet: quam tamen assumtio & conclusio assumit & concludit. *Quia in Senatu*] Sententia est assumtionis de triplici Ctesiphontis culpa contra tres leges. *Curator muru reficiendu*] ἄρχων τὴν τῶν τειχοποιῶν ἀρχὴν, est illud Æschini. *Scitum*]

Decre-

Decretum: populi scitũ dixit pauló anté. *Nullis*] Quod erat contra primam legem, contra quam tamen rationes affert Demosthenes, & exempla. *Theatro*] Quod est contra secundam legem. *Qui locus*] Ut Æschines criminabatur: contrá Demosthenes disputavit licuisse, si Senatus populúsve jussisset. Concionis autem legitimæ locus erat Athenis nõ theatrum, ubi fabulæ agerẽtur, sed Pnyce, quod Athenis forum fuit. *Atque ita*] Quod Æschines contra leges omnes esse contendebat: & hoc nimirum de tribus est tertium, quod nunc assumitur à Cicerone, cùm tamen propositum non esset. *Hunc igitur*] Sententia complexionis est, ubi & triplex culpa distinctè repetitur, quæ assumpta fuerat *Relatis*] Quod est primæ legis. *Theatro*] Quod est secundæ legis. *Virtute*] Quod est tertii capitis de legibus omnibus. *Falsa*] Videtur Æschines initio accusationem partiri εἰς τὰ παράνομα καὶ ψευδῆ, in ea quæ contra leges, & falsa.

Caussa ipsa abhorret illa quidem formula consuetudinis nostræ, sed est magna. Habet enim & legum interpretationem satis acutam in utramque partem, & meritorum in Rempublicam contentionẽ sané gravem." Itaque caussa fuit Æschini, quoniã ipse á Demosthene esset capitis accusatus, quód legationem ementitus esset, ut ulciscendi inimici caussa, nomine Ctesiphontis, judicium fieret de factis famaq; Demosthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quám de eo, quód civis improbus, ut optimus laudatus esset. L. Caussa autem fuit accusandi Ctesiphontis Æschini, qui

CAUSSA] Tractationis duæ laudes attinguntur, subtilitas & gravitas. *Formula*] Vel legum, quæ diversæ Athenis & Romæ erant. Quamvis enim coronæ apud Romanos variæ fuerint, civicæ, murales, & ejusmodi reliquæ: attamen has leges de rationibus, de præconiorum loco nõ commemini fuisse: vel oratorum formula potiús hîc significatur, quorum licẽtia major Romæ quám Athenis olim fuerat. *Utramque*] Æschinis disputatio de prima & se-

cunda lege est initio peracuta: Demosthenis defensio est hîc infirmior: contra primam argumenta quædam & exempla opponit: adversus secundam, aliam quandam legem, qua liceret in theatro coronari, si populus aut Senatus scivisset, ut dixi. Ideoque disputatio hæc in medio prudenter á Demosthene cōprehensa, ut Libanius annotavit. *Gravem*] Hic locus feré totam Æschinis accusationem continet post disputationem superiorum duarum legum: & defensio Demosthenis, robur hoc præcipuum habuit: ideoque & primo loco positum, & cōtinuatum postremo. *Itaque*] Caussa susceptæ accusationis, cupiditas ulciscendi Demosthenis. *Accusatus*] Extat veró hæc oratio Demosthenis παραπρεσβείας, falsæ, ementitæ, vel malé gestæ legationis: sed Plutarchus in vita Demosthenis dubitat an unquam á Demosthene habita sit, quia in contrariis orationibus, de quibus nūc agitur, nulla sit judicii hujus mentio: Cicero tamen hîc videtur affirmare. *Legationem*] Ad Philippum regem Macedonum. *Ementitus*] De quo sic Libanius in argumentū illius accusationis: περὶ δὲ ταῦτα τὰ πράγματα κατηγορεῖ ὁ Δημοσθένης Αἰσχίνου τρία· ὅτι Φιλοκράτους αἰσχρὰν καὶ ἀσύμφορον εἰρήνην λέγοντος καὶ γράφοντος, συνεῖπεν αὐτῷ· ὅτι τοὺς χρόνους κατέτριψε, παρ' ὃ συνέβη τὰ ἐν Θρᾴκῃ διαφθαρῆναι· ὅτι ψευδῆ πρὸς Ἀθηναίους ἀπήγγειλε, παρ' ὃ συνέβη Φωκέας ἀπολέσθαι. In his autem rebus Demosthenes Æschini tria objicit: quód cúm Philocrates fœdam & inutilem pacem suaderet & promulgaret, ei assensus sit: quód tēpora duxerit & distulerit, unde Thraciæ clades cōtigerit: quód falsa Atheniensibus renunciarit, quo factum est, ut Phocenses occumberent. *Tam multa*] Id enim significavit Æschines: ἔστι δὲ ὑπόλοιπόν μοι μέρος τῆς κατηγορίας, ἐφ' ᾧ μάλιστα σπουδάζω, Est veró reliqua mihi pars accusationis, de qua multó maximé laboro.

Hanc multam Æschines á Ctesiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem: sed judicium factum est aliquot annis póst, Alexandro iam Asiam tenente.

Hanc multam] Tempus judicii describitur é Macedoniæ Regibus, qui tum etiam Græciæ imperarunt.

Hanc multam petiit] Id est, sic accusavit. Petere multam est accusatoris, & (ut vulgó loquimur) concludere ad multam: Judicis autem est imponere: irrogare autem, commune est judicis & accusatoris. Plautus in Captivis,

Qui consilium iniere, quo nos victu & vita prohibeant,
His diem dicam, irrogabo multam, ut mihi cœnas decem
Meo arbitratu dent, cúm cara annona sit.

Hîc accusatoris est, aliquando etiam judicis: ut leges privatis hominibus irrogare: sic dicere multam, commune est. *Philippi*] Philippus, rex Macedonum, cúm obses pacis gratia datus esset ab Alexandro fratre Thebanis, apud Thebanum Epaminundam rudimenta pueritiæ exercuit, ut videbis apud Trogum: quanta veró calliditas ejus, astutiaque fuerit, Demosthenis orationes testantur: interfectus veró est á Pausania, quód ei stupri pœnas ab Attalo repetenti jus negavisset. *Alexandro*] Alexander, Philippi filius & Olympiadis qui rebus gestis patrem longé superavit. pater enim Græciam, filius orbem terrarum vicit: sed vino & ira victus, facilitate & humanitate patri nequaquam respōdit. *Asiam*] Asiæ provincias, Pontum, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Medos, Persas, Bactrianos, Indos. *Tenente*] Decennium igitur feré intercessit ab irrogatione multæ ad diem judicii.

Ad quod judicium concursus dicitur é totá Græcia factus esse. Quid enim aut tam visendum, aut audiendum fuit, quám summorum oratorum in gravissima caussa, accurata & inimicitiis incensa contentio? Quorum ego orationes, si (ut spero) ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, id est, sententiis, & earū figuris, & rerum ordine verba persequens, eatenus, ut ea non abhorreant á more nostro (quæ si é Græcis omnia conversa non erunt, tamen ut generis ejusdem sint, elaboravimus) erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Atticé volunt dicere. Sed de nobis sa- L. aut tam aud.

tis: aliquando enim Æschinem ipsum Latinè dicentem audiamus.

AD QVOD] Sic de Demosthene nominatim in Bruto: Ne illud quidem intelligunt, non modó memoriæ proditum esse: sed ita necesse fuisse, cúm Demosthenes dicturus esset, ut concursus audiendi caussa ex tota Græcia fierent. Et illa nimirum boni oratoris signa sunt, de quibus jam dictum: Volo hoc oratori contingat, ut cúm auditum sit eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribæ sint in dando & cedendo loco, corona multiplex. Hũc veró populi cõcursum Æschines in accusatione sua significat: ἐγώ τε ἀποκρίνομαι ἐναντίον σοι τῶν δικαστῶν, ὦ Δημόσθενες, καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν, ὅσοι δὴ ἔξωθεν περιεστᾶσι, καὶ τῶν Ἑλλήνων, ὅσοις ἐπιμελὲς γέγονεν ὑπακούειν τῆσδε τῆς κρίσεως· ὁρῶ δὲ οὐκ ὀλίγους παρόντας, ἀλλ' ὅσους οὐδεὶς πώποτε μέμνηται πρὸς ἀγῶνα δημόσιον παραγενομένους. Atque ut ego tibi respõdeam coram judicibus, Demosthenes, & aliis civibus, qui foris circunstant, & aliis Græcis, quibus studio fuit judicium hoc audire: video autem non paucos adesse, sed quod nemo unquam meminit ad publicum judicium convenisse. Quod Cicero cúm locis aliis, tum 4. Philip. in primis imitatus est: Frequentia vestrum incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminisse non videor, & alacritatem mihi summam affert Reipubl. defendendæ, & spem recuperandæ libertatis. *Quorum ego*] Repetitur munus illud interpretis, & utilitas hujus conversionis. *Ut spero*] Hæc dubitatio difficultatem conversionis ostendit. *Sententiis & earum figuris*] Illud antea fuit, Sententiis iisdem & earum formis, tanquam figuris. *A nostro more*] Illud fuerat, Verbis ad nostram consuetudinem aptis. *Quæ si omnia*] Cui illud respondet, In quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere, sed genus omnium verborum, vimque servavi: non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere. *Erit regula*] Atque illud idem nimirum fuit. Hic labor meus hoc assequetur, ut nostri homines, quid ab illis exigant, qui se Atticos volunt, & ad quam eos quasi formulam dicendi revocent, intelligant. *De nobis*] De nostræ

con-

conversionis ratione & utilitate. Aliquando igitur, ait Tullius, Æschinem Latiné dicētem audiamus: Et nos aliquando præfationis hujus interpretandæ finem faciamus: in qua summam quandam recollegimus disputationis oratoriæ, quæ in Bruto, quæque in Oratore continetur, de muneribus oratoris, quæ Ciceroni, quæque Ciceronis Atticis visa sunt, deque facultate Ciceronis & Atticorum Romanorum.

P. RAMI PRÆLECTIONUM FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN RAMI PRÆLECTIONIBVS PRAECIPVORVM INDEX.

Elo-

Hor-

Obli-

Possessio-

Thucy-

FINIS.

LECTO-